Collationes Brugenses.

Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Illmi ac Revmi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7





BRUGIS FLANDRORUM

Typis Ad. Maertens-Matthys

MCMXIII

30114

v. 18
1913

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVII, pag. 505).

—

DE DONIS SPIRITUS SANCTI.

Supra agentes de unione cum Deo quam sine medio, et quam sine differentia, appellat Rusbrochius, contemplationem infusam dispesci diximus (1), consentientibus plerisque Auctoribus mysticis, in duplicem quasi speciem: quarum altera donis gratis datis viaque plane extraordinaria infunditur; altera vero via ordinaria infunditur atque exercetur per dona Spiritus sancti, quæ in omni justo sunt.

Hac de specie altera contemplationis infusæ ut paulo fusius agamus, non una ratio nos invitat; scilicet inter alias tum ratio immediate practica, quatenus ad hanc speciem contemplationis eique respondentis unionis cum Deo unusquisque perfectionis studiosus adspirare merito potest ac debet; tum ratio quoque magis theoretica seu mediate practica, quatenus hæc contemplationis species quo melius dignoscitur, eo facilius, Dei adspirante gratia, exerceri potest.

(1) Tom. XVII, p. 496.

Jamvero, ut ex ipsa modo data hujus contemplationis descriptione patet, ejusdem notitia præprimis petenda est ex doctrina de donis Spiritus sancti, quam idcirco breviter exponemus, primo quidem scholastice, et in genere, duce S. Thoma; deinde vero in specie, simul attentis Mysticorum explicationibus, qui omnes, et singulariter Rusbrochius noster, sæpius de Spiritus sancti donis agunt.

De donis Spiritus sancti in genere.

En primo compendium doctrinæ S. Thomæ de donis Spiritus sancti. In 1, 2, q. 68, docet (art. 1) dona distingui a virtutibus, quatenus habent aliquid superveniens rationi communi virtutis, in quantum perficiunt hominem in ordine ad supremum motorem, Deum, ut nempe connaturaliter et prompte sequatur instinctum Spiritus sancti, sicuti per virtutes acquisitas aut infusas sequitur instinctum seu motionem rationis naturalis aut et elevatæ.

Inde jam (art. 2) manifestatur necessitas donorum: in ordine quidem naturæ, homo conversus esset in finem naturæ per principia naturalia, et ratio naturalis cum prudentia acquisita moveret ad actus bonos; ut autem vires appetitivæ obedirent huic motioni, facerent virtutes morales acquisitæ, suppositis tantum motione ac concursu Dei generali; atvero in ordine præsenti, homo convertitur in finem supernaturalem per virtutes theologicas, et ratio quidem illustrata fide et instructa prudentia infusa movet ad actus supernaturales circa media, cujus instinctum rationis elevatæ ut sequamur insunt nobis virtutes morales infusæ: ast, quoniam principia supernaturalia, licet perfectiora naturalibus, non tam perfecte possidentur a nobis quam natura, sed nobis insunt imperfecte per participationem tantum, ideo non sufficit ipsa motio rationis nisi desuper adsit instinctus seu motio Spiritus sancti, cui per gratiam

virtutesque theologicas tamquam motori unimur in charitate. Hunc autem instinctum Spiritus sancti ut prompte ac connaturaliter sequamur, necesse est disponamur per dona Spiritus sancti.

Qui proinde sunt habitus (art. 3), iique perficientes vires humanas ut prompte sequantur inspirationem divinam; quorum quatuor pertinent ad rationem elevatam, tres vero ad vires appetitivas, ideoque convenienter enumerantur septem (art. 4, coll. 2. 2, q. 8, a. 6).

Videlicet quatuor perficiunt rationem, fide divina instructam. « Fides autem primo quidem et principaliter se habet ad Veritatem primam, secundario ad quædam circa creaturas consideranda, et ulterius se extendit etiam ad directionem humanorum operum, secundum quod per dilectionem operatur... Sic ergo circa ea quæ fidei proponuntur credenda, duo requiruntur ex parte nostra. Primo quidem ut intellectu penetrentur, vel capiantur: et hoc pertinet ad donum intellectus. Secundo autem oportet ut de eis homo habeat judicium rectum, ut æstimet his esse inhærendum et ab eorum oppositis recedendum. Hoc ergo judicium quantum ad res divinas, pertinet ad donum sapientiæ; quantum vero ad res creatas, pertinet ad donum scientiæ; quantum vero ad applicationem ad singularia opera, pertinet ad donum consilii (1) ».

« Appetitiva autem virtus, in his quidem quæ sunt ad alterum, perficitur per pietatem; in his quæ sunt ad seipsum, perficitur per fortitudinem contra timorem periculorum, contra concupiscentiam vero inordinatam delectabilium per timorem (2) ».

---

(1) 2. 2, q. 8, a. 6; quæ quidem sunt retinenda præ illis quæ habet S. Thomas in loco, cujus compendium exhibemus, scil. 1, 2, q. 68. In hac enim quæstione, art. 4, quatuor dona spectantia ad intellectum distinguit aliter, nempe penes rationem speculativam et practicam; quam opinionem retractat et relinquit loco cit. e 2ª 2ᵃᵉ, quemadmodum advertit Cajetanus in utrumque locum.

(2) 1, 2, q. 68, art. 4.

Ex his jam aliquatenus prospicere licet quomodo varia dona Spiritus sancti respondeant variis virtutibus tum theologicis, tum cardinalibus, ut exponit S. Thomas agendo in 2ª 2ª de his virtutibus et donis in specie. Sed hac de re infra sermo erit, ubi de singulis donis, attenta quoque doctrina Mysticorum, tractandum erit.

Eadem dona Spiritus sancti connectuntur sibi invicem in charitate, qua unimur motori Spiritui sancto: ita quod qui charitatem habet, omnia dona habet, quorum nullum sine charitate haberi potest (art. 5).

Remanent eadem dona in patria, quantum ad essentiam et perfectissime quidem, ubi perfectissime movebimur a Spiritu sancto. Quantum vero ad materiam circa quam operantur, sic in præsenti habent operationem circa aliquam materiam, circa quam non habebunt operationem in statu gloriæ (art. 6).

Quod dignitatem donorum ad invicem spectat, simpliciter loquendo, scilicet per comparationem ad proprios actus, eadem est ratio comparationis quoad dignitatem in ipsis et in virtutibus, quia dona ad omnes actus potentiarum animæ perficiunt hominem, ad quos perficiunt virtutes. Unde sicut virtutes intellectuales præferuntur moralibus, sic præferuntur quatuor dona ad rationem spectantia tribus reliquis; et sicut inter intellectuales virtutes præferuntur contemplativæ activis, ita sapientia et intellectus præferuntur scientiæ atque consilio, ita ut sapientia sit donum dignitate omnium primum, utpote ad quam pertinet judicium quantum ad res divinas; deinde veniat intellectus, quo apprehenduntur ac capiuntur universim credenda, postea scientia quæ judicat de rebus creatis, et tandem consilium, ad quod pertinet applicatio ad singularia opera, ut modo vidimus expositum a S. Thoma, 2. 2, q. 8, a. 6. Inter dona reliqua, pietas præfertur fortitudini, et fortitudo timori, sicut in virtutibus justitia fortitudini et fortitudo temperantiæ. Sed alio modo loquendo, nempe secundum quid, per comparationem ad

materiam, fortitudo et consilium præferuntur scientiæ et pietati, quia fortitudo et consilium habent in arduis locum, pietas autem et etiam scientia in communibus. Unde vides Isaïam servare in enumerandis donis ordinem dignitatis partim simpliciter, quatenus sapientia et intellectus omnibus præmittuntur; partim secundum ordinem materiæ, secundum quod consilium et fortitudo præferuntur scientiæ et pietati (art. 7).

Dona Spiritus sancti subordinantur, ut quædam derivationes earum, virtutibus theologicis, quibus mens Deo conjungitur, et quæ regulant dona. Præferuntur vero reliquis virtutibus infusis, quæ perficiunt hominem in ordine ad motionem rationis virtutibus theologicis instructæ, dona vero in ordine ad virtutes theologicas et instinctum ipsius Spiritus sancti, supremi motoris, et universalis, moventis tum absolute ad sublimiora quam ratio elevata, tum secundum modum altiorem ad ea ipsa ad quæ movet ratio (art. 8).

Post hæc, explicat S. Thomas *beatitudines* (q. 69) et *fructus Spiritus sancti* (q. 70). Hi sunt actus quidam virtutum in quibus homo delectatur. Illæ sunt excellentiora opera, quæ potius attribuuntur donis. Hæc S. Doctoris doctrina diligenti meditatione digna est, ad quam remittimus, postea ex ea hausuri ubi de donis in specie amplius acturi sumus.

Ut jam penitius intelligatur doctrina generalis de donis, juvabit breviter conferre ordinem hypotheticum naturæ cum ordine præsenti gratiæ, quod prosecutionem ultimi finis attinet, et in utroque ordine principia operationis moralis, præprimis habitus diversos eorumque functiones, uno conspectu exhibere.

Ad finem naturæ, homo esset conversus seu rite dispositus per principia suæ naturæ, intellectum nempe, habitu naturali principiorum instructum, quo finem verum i. e. Deum cognoscit, et voluntatem natura sua inclinatam in felicitatem ceu finem, qua finem appetit, et vero fini cognito, Deo, se conformare potest per

amorem. Eadem principia sunt simul semina virtutum, quas homo actibus bonis acquirere potest, et quibus, conversus ad finem, rite disponeretur circa ea quæ sunt ad finem, adeoque, solo concursu Dei generali auxiliante, finem prosequeretur.

Et hæ sunt quas virtutes morales acquisitas vocamus: *acquisitas,* quia propriis naturæ viribus per actus bonos acquiruntur; *morales,* quia circa mores, circa agibilia in finem versantur, et perfectionem moralem dant seu rectitudinem appetitus involvunt, aliis verbis, non solum perficiunt potentiam ad agendum, ut virtutes minus stricte dictæ, qualis est scientia, ars, etc., sed dant insuper rectum usum, et sunt virtutes stricte dictæ; quædam earum sunt quidem in intellectu tamquam in subjecto, qualis est prudentia, sed rectitudinem voluntatis includunt, et circa moralem materiam, i. e. circa agibilia, non ut ars circa mere factibilia, versantur; hæ virtutes intellectuales dicuntur, prout contradistinctæ a moralibus (sensu strictiore), quæ sunt in solo appetitu, sive intellectuali, sive sensitivo in quantum voluntati subjacet; appetitus enim proprie est inclinare ad actum, *mos* autem significat quamdam inclinationem naturalem vel quasi naturalem ad aliquid agendum. Itaque virtutes hæ morales sunt *habitus bonis naturæ actibus acquisiti, perficientes potentias ad agendum recte, circa ea quæ sunt ad finem naturæ.*

Atvero in ordine præsenti, *ad finem supernaturalem* homo converti debet per principia supernaturalia, quod fit incomplete quidem et inchoative per habitum supernaturalem fidei in intellectu, deinde et per habitum infusum spei in voluntate, complete vero per superadditam, item in voluntate, virtutem charitatis, quæ est inseparabilis a gratia sanctificante seu habituali, et a reliquis donis et virtutibus supernaturalibus. Et hæ quidem tres virtutes habent duplicem quasi functionem: primo enim elevant potentias animæ, sicut gratia sanctificans exaltat ipsam animæ substantiam; secundo

vero, utpote habitus seu virtutes, inclinant ad actus circa Deum ut finem supernaturalem, quod est proprium eorum objectum, ideo virtutes *theologicæ* seu divinæ dictæ.

Eædem virtutes, rite disponentes hominem ad finem supernaturalem, postulant eidem homini, perfecte converso in finem, inesse et virtutes morales supernaturales, quibus connaturaliter operari possit circa media ad finem, et quæ ita se habeant ad virtutes theologicas, sicut morales acquisitæ ad principia naturæ.

At, virtutes theologicæ loco quidem naturalium principiorum habentur, et sunt his perfectiores, non vero tam perfecte habentur quam natura, sed per solam participationem supernaturalem; et ideo, ut habitus, non ita inclinant ad actus potentias elevatas, ut sola motione Dei generali hæ operari possint; nec, ut elevantes potentias, ita sunt semina reliquarum virtutum, ut, sola movente ratione elevata, hæ per actus, etiamsi supernaturales ex gratia actuali, acquiri possint: sed 1° necessaria est specialis motio Dei qui, sicut principia supernaturalia indit, ita eadem in actum reducere debet. Hæc motio est vel mere transiens, si nondum charitas adsit, vel, si jam Spiritus Sanctus inhabitet per charitatem et gratiam sanctificantem, est motio actualis, positis simul infusis dispositionibus habitualibus in omnibus facultatibus, ad eam motionem connaturaliter et perfecte recipiendam, qui habitus vocantur *dona Spiritus Sancti*. Unde 2° necessaria sunt hæc dona, ut homo prompte sequatur instinctum Spiritus Sancti. Virtutes ergo theologicæ formatæ, seu perfectum statum virtutis habentes per charitatem et gratiam sanctificantem, convertunt complete hominem in finem supernaturalem, et simul sunt radices quædam donorum Spiritus Sancti, in quantum et uniunt hominem cum Spiritu Dei dona infundentis, et hæc dona requirunt: in quantum elevant potentias, supposita simul motione Spiritus inhabitantis, movent et regulant dona, et tamquam habitus producunt proprios actus circa finem.

Præterea 3° item in quantum elevant, efficiunt ut ratio fide illustrata et ipsa moveat (1) ad actus circa ea quæ sunt ad finem, et, cum ipsæ, ut habitus, tantum circa finem, saltem immediate, operentur, postulant homini inesse habitus seu *virtutes morales supernaturales* proxime circa media ad finem, quibus homo connaturaliter sequatur ductum rationis per fidem elevatæ: fides enim remote tantum, mediante prudentia infusa, quæ proxime rationem habilitet circa media, regulat et movet morales appetitivas infusas, quæ proxime exsequuntur medium seu regulam istam a fide, mediante prudentia, impositam. Cum tamen rursus motio rationis per fidem elevatæ sit imperfecta, utpote non a natura sed a principio supernaturali quod imperfecte habetur per participationem, intelligitur iterum præter hanc motionem rationis elevatæ, ad quam perficitur homo per virtutes morales supernaturales, requiri motionem Spiritus Sancti, cui homo prompte obedit per dona: movet enim Spiritus Sanctus tum ad absolute altiora ratione, licet elevata (2); tum secundum modum altiorem etiam ad ea ad quæ ratio movet, et ita simul in actum reducit virtutes morales supernaturales.

Quod autem nec dona nec hæ virtutes acquiri possint, sed sint infusa per se, non per accidens tantum, ex eo patet quod nullum sit in homine principium nobilius ipsis virtutibus infusis, quod eas generare possit: dona enim sunt quidem nobiliora sed diversi generis, et virtutes theologicæ sunt nobiliores utrisque sed rursum diversi generis cum utrisque (3).

---

(1) Quotiescumque de ratione *movente* agitur, intellige eam movere voluntatem *ex parte objecti, ad speciem;* nam *ad exercitium* seu ad actum, *ex parte subjecti,* movet voluntas seipsam, sicut et rationem, et alias potentias sibi subjectas. Gratia autem divina utroque modo movet, et tum rationem, tum appetitum.

(2) Fides enim ostendit quidem objectum appetitui tendenti in Deum ut finem supernaturalem, non vero moderatur appetitum illum sicut facit mediante prudentia in mediis, quia motus talis appetitus in Deum excedit cognitionem, etiam fidei. Cf. 1ª 2ᵃᵉ, q. 66, art. 6, ad 1ᵐ.

(3) Vid. nostr. Tract. *de virt. card.*, Tr. I *de Prudentia,* etc., Introd. cap. I.

Ut finem imponamus huic brevi tractationi scholasticæ de donis Spiritus sancti in genere, remanet solvenda aliqua difficultas, cujus solutio clariorem lucem in rem totam effundet.

Quidam theologi, inter quos Card. Billot (1), instinctum Spiritus sancti, cui prompte obeditur per dona, accipiunt pro adjutorio actualis gratiæ in justo, quin distinguant inter gratiam actualem qua solum excitans est, et gratiam actualem tum excitantem, tum adjuvantem.

Istud autem adjutorium statuunt non esse necessarium ad *omnem* actum salutarem ac meritorium in justo, appellantes ad S. Thomam, 1, 2, q. 109, a. 9, ejusque commentatorem Cajetanum, qui in cit. articulum inter alia hæc scribit: « homo in gratia (2) constitutus habet gratiam sanantem et elevantem, quæ est potens operari opera bona etiam meritoria ». Et infra: « Stat quod homo ex sola gratia (3) potest ipsa gratia uti, bona faciendo et mala vitando, nunc et ad hoc ».

Ast, concesso quod justus egeat speciali auxilio gratiæ ut simpliciter, non determinate hic aut nunc, vitet peccatum et operetur bonum, qua de re præcise est quæstio 109 prædicta, in art. 9, itemque ut perseveret (art. 10) vel et proficiat in gratia; præterea, e converso, dato etiam vel et concesso quod Cajetanus, ut supra, non ipse S. Thomas, deducit ex modo enuntiata doctrina, scilicet non ad *omne* opus salutare necessarium esse in justo speciale auxilium gratiæ: definiendum tamen manet quid intelligat Cajetanus per istud speciale auxilium, an nempe gratiam actualem tum excitantem tum adjuvantem, anvero mere excitantem tantum seu simplicem motionem supernaturalem reducentem in actum habitus

---

(1) *De virtutibus infusis*, ubi de donis Spiritus sancti, thesi VII.

(2) Intellige gratiam *habitualem*, id est, gratiam sanctificantem, non præcisive ab habitibus virtutum theologicarum et moralium infusarum necnon donorum, sed simul cum omnibus istis habitibus.

(3) Nempe *habitualis*, ut in nota præcedente.

supernaturales. Quodsi primum intelligat, nihil objicimus, atque jure merito admittitur hanc esse mentem Cajetani. Quodsi vero gratiam ne ut solummodo excitantem quidem necessariam dixeris ad omnem actum supernaturalem justi, quemadmodum autumare videtur Card. Billot, illud contradicere putamus doctrinæ **S. Thomæ, nec verum esse censemus.**

Re quidem vera S. Thomas necessitatem donorum Spiritus sancti deducit (1) ex necessitate instinctus Spiritus sancti; hanc vero demonstrat ex hac ratione universali, quod nempe habitus supernaturales, licet perfectiores naturalibus, modo tamen minus perfecto possidentur, videlicet non ut natura sed per participationem tantum, et ideo egent moveri a motore externo ac superno. Ergo motio specialis, profecto supernaturalis. Spiritus sancti necessaria affirmatur ad omnem actum habituum supernaturalium in justo, id est, gratia ut mere excitans; quamquam non asseritur universalis necessitas gratiæ actualis complete sumptæ; quod mirum non est, siquidem insunt justo habitus supernaturales qui semel excitati agunt supernaturaliter et **supplent gratiam adjuvantem.**

Præterea, in ipsa supra citata q. 109, art. 9, duas rationes adducit S. Thomas cur justus indigeat « auxilio gratiæ... ut scilicet a Deo moveatur ad agendum... Primo quidem, ratione generali propter hoc quod... nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ. Secundo, ratione speciali propter conditionem status naturæ humanæ », etc. Et hanc quidem rationem specialem non esse universalem profecto admittimus, nec ex ea sequi auxilium gratiæ actualis complete sumptæ esse necessarium ad omnem actum bonum justi. Sed manet prior ratio, eaque generalis, ex qua sequitur gratiam saltem ut excitantem ad omnem actum meritorium requiri, cum habitus super-

(1) 1, 2, q. 68, art. 2

naturalis semper reduci debet in actum motione supernaturali Spiritus sancti.

Censet quidem Card. Billot (1) non aliam motionem Dei requiri, quam generalem in ordine etiam naturæ universaliter et absolute necessariam, quæ non est gratia sed debetur omnibus causis secundis ut in actum exeant.

Atvero, in hoc contradicit S. Thomæ, qui in textu modo citato aperte necessitatem *gratiæ* asserit, primo ex ratione generali propter hoc quod nulla res creata potest in actum prodire, nisi virtute motionis divinæ. Ergo de motione supernaturali agitur hic, quæ quidem dici potest supplere motionem naturalem seu hanc sub se etiam continere, sed quæ vere gratia est.

Præterea, motio hæc specialis Spiritus sancti, ut nobis videtur, suapte natura differt a motione generali ordinis naturæ, quemadmodum demonstravimus in nostris *Meditationibus theologicis* (2), ad quas remittimus. Sufficiat nunc advertisse motionem naturalem efficacem quidem esse ut moveantur facultates, intellectus nempe et voluntas justi ut in actum exeant, uti reipsa fit cum justus in actum peccati venialis prodit, absque eo certe quod habitus supernaturales, illas facultates ornantes, moveantur ; sed eamdem motionem naturalem non esse efficacem ut habitus supernaturales in actum deducantur.

Ex his facile respondetur ad ea quæ in citata nota Card. Billot continentur.

Quando dicitur : motio « non est alius generis pro opere mere naturali, et pro supernaturali » negamus assertum.

Ad rationem additam : « quia non est principium a quo actus naturalitas vel supernaturalitas pendet. Hæc

---

(1) Loc. cit. in nota, ad pag. 174, ed. 1901.

(2) Tom. I, IIe partie, chap. I, art. V, § V; seu apud *Collationes Brugenses*, tom. VII, p. 417 et sqq.

enim pendet unice ex hoc quod potentia activa quæ per generalem motionem applicatur ad actum, agit ut elevata aut non elevata per supernaturalem habitum aut fluentem qualitatem quæ habitus defectum supplet. » Respondemus hanc rationem non esse efficacem ad probandum assertum. Esto enim quod potentia *ut elevata* sit unicum principium supernaturalitatis actus, adhuc demonstrandum manet potentiam *ut elevatam* exire in actum ex sola motione generali et non indigere motione speciali Spiritus sancti, quod negamus juxta supra dicta, et quod heic immerito supponitur, non vero demonstratur.

Quod additur: « Cæterum motio generalis solum facit ut quod in potentia facultatis est, et eo modo quo est in potentia ejus, exeat in actum » rursum idem supponit quod negandum censemus, nempe sola motione generali habitus etiam supernaturales in actum reduci et « ex eadem motione generali tam in naturalem quam in supernaturalem actum processum esse posse; » ut ibidem subjicitur. Nobis, contra, videtur motionem supernaturalem seu instinctum Spiritus sancti movere ad actum *hunc* et *talem*, dum motio naturalis solummodo movet ad actum simpliciter (1).

(Continuabitur).

(1) Cf. cit. loc. e *Medit. theol.*

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Novembris propositas.

—

I

Q. *Magnis lineis describe statum controversiæ de authentia commatis Joannei (I Jo. V, 7).*

R. I. **Status quæstionis.**

In I^a Joannis, prout textus refertur in Vulgata nostra hodierna, seu in editione Sixto-Clementina legitur, V, 7 s.: « Quoniam tres sunt, qui testimonium dant *in cœlo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra:* Spiritus, et aqua, et sanguis: et hi tres unum sunt (1) ». — Porro quæstio, jam a quatuor sæculis agitata, est utrum ista verba quæ literis *italicis* scripsimus, et quæ expressione recepta *comma Joanneum* dicuntur, sint *authentica* necne.

Sensus autem quo hæc vox: *authentica*, apud auctores occurrit, triplex distingui potest; intelligitur enim:

a/ authentia *humana* seu *historica:* utrum, posito epistolam revera esse Joannis Apostoli cui adscribitur, etiam *hic* textus ab ipso fuerit scriptus;

b/ authentia *divina* seu *canonica:* utrum, posito epistolam quoad reliqua esse divinitus inspiratam, hæc eadem inspiratio asserenda sit in specie de hoc commate Joanneo;

c/ authentia quæ dici posset *auctoritativa* vel *eccle-*

---

(1) In textu græco legitur:.... καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἓν εἰσιν.... καί οἱ τρεῖς τὸ ἓν εἰσιν.

siastica, quam huc quidam induxerunt (1): juxta illos comma Joanneum authenticum fuit declaratum (per decr. S. O. de quo infra), eo sensu quo tota Vulgata ut authentica est admittenda; unde verba de quibus agitur *servanda sunt in editionibus textus* Novi Testamenti, sicuti tota Vulgata edenda et in omni usu publico tamquam textus officialis adhibenda est eo textu quem edidit Clemens VIII, — et verba ista *auctoritatem dogmaticam* habent quatenus, sicut tota Vulgata, agnoscuntur ab Ecclesia ut conformia fidei catholicæ; aliis verbis: comma Joanneum admittendum est ut pertinens ad *textum officialem* et *auctoritatem habentem* in Ecclesia (2).

In sequentibus restringimus quæstionem ad solam authentiam *humanam* seu Joanneam: quam quidem hodie Rationalistæ et Protestantes vix non omnes rejiciunt (3); inter catholicos authentiam tuebantur FRANZELIN, LEHIR, DANKO, et alii; eam negarunt, vel saltem ipsam reliquerunt tamquam probatu impossibilem: BISPING, SCHANZ, CORNELY, MARTIN, KÜNSTLE, MANGENOT, JANSSENS, BELSER, aliique (4).

---

(1) Ita BELSER, *Einleitung in das Neue Testament* (2ª ed.), p. 347 (Freiburg i. B., 1905). — Simile quid proponit VIGOUROUX-BACUEZ-BRASSAC, *Manuel biblique*, t. IV, (13ª ed.), n. 1140 (Paris, 1911); item KÜNSTLE, *Das Comma Joanneum. Auf seine Herkunft untersucht* (Freiburg i. B., 1905).

(2) Authentia *humana* etsi minime cum authentia *divina* sit confundenda, tamen in casu cum ipsa satis intime cohæret: admissa authentia humana, eo ipso, ut patet, admittenda est authentia divina seu inspiratio; negata autem authentia humana, sane non ideo neganda esset inspiratio, quum per se nil obstiterit quominus textui primo ab uno auctore inspirato, puta a Joanne, conscripto, alius quidam, et ipse divinitus inspiratus, quædam addiderit; attamen *in casu*, si vere, ut volunt plures, comma Joanneum esset interpolatio omnino posterior, puta ex s. IV tantum oriunda, eo ipso jam non posset constare vel de ipsa inspiratione hujusmodi textus.

(3) Inter patronos authentiæ enumerantur inter Protestantes: BENGEL, SANDER, BESSER, FORSTER, ARMFIELD, (apud JANSSENS, *De Deo uno*, 1900, p. 138), et KÖLLING (apud BELSER, *o. c.*, p. 347).

(4) Cfr. VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *Commentarius in epistolas catholicas* (1909) p. 193; VIGOUROUX-BACUEZ-BRASSAC, *o. c.*, n. 1136 ss.

II. Status controversiæ.

Quæstionis nostræ intentio fuit magnis tantum lineis, indicare quænam in hac quæstione afferantur ab auctoribus argumenta, paucis de eorum valore adjectis. Hæc porro sunt alia critica, alia theologica.

A. **Argumenta critica**: ea sunt quæ spectant textum nostrum ut mere humanum, abstractione facta ab omni respectu divino aut ecclesiastico quem vi inspirationis vel vi alicujus interventus auctoritatis ecclesiasticæ textus noster habere posset: de his infra agetur sub B, nomine argumentorum theologicorum.

Ex his argumentis criticis alia sunt *interna*, alia *externa*. Interna sunt quæ desumuntur ex considerato ipso textu cum suo contextu; externa quæ desumuntur extra textum, nempe ex testimonio sive codicum referentium I^am^ Jo., sive scriptorum antiquorum de ea agentium.

1/ **Argumenta externa**:

a **Traditio textualis**, seu status codicum antiquorum minime favet authentiæ loci nostri.

Hic enim deest in omnibus codicibus *græcis* usque ad sæc. XV, item in omnibus lectionariis antiquis, item in antiquis *versionibus*, syriaca, coptica, æthiopica, armenica, slavonica; deficit in antiquioribus codicibus ipsius Vulgatæ latinæ: plus centum cognoscuntur ubi deest, inter quos computantur ipsi præstantissimi et antiquissimi; et quamquam inde a s. IX jam frequenter in manuscriptis latinis inveniatur, vario tamen modo exhibetur, et nonnisi a sæc. XIII universaliter et uniformiter in Vulgata exstat. Accedit quod facile explicatur quomodo textus in latinos codices irrepserit (1).

---

(1) Cfr. CEULEMANS, *Comm. in epp. Cath. et Apoc.*, p. 154 s. — Hæc latius evoluta vide apud VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *o. c.*, ubi proponitur quoque hypothesis, in dies magis admissa, juxta quam comma Joanneum ex Hispania originem suam duceret, ipsiusque auctor PRISCILLIANUS esset, ejusque propagator PEREGRINUS. Contra hanc originem Priscillianam, scripsit MANGENOT, *Revue des Sciences ecl. et la Science catholique*, t. I, pp. 334 ss. — Cfr. *Nouvelle Revue théologique*, 1908, pp. 705 ss. Ex

b **Testimonium scriptorum** antiquorum nec ipsum favet: Etenim textum nostrum inter antiquos Patres et scriptores *orientales*, græcos, syros, armenos, nullus citat, licet optimum ad hæreticos, præsertim Arianos, Macedonianos et Sabbellianos confutandos præbuisset argumentum: — illud quoque ignorant antiqui *latini*, etiam strenui Arianorum et Macedoniorum adversarii. — Textus quos in favorem authentiæ desumunt quidam ex Tertulliano et Cypriano sunt saltem **dubia** (1).

2 Argumenta **interna**:

Pauca tantum, eaque ut sæpe fit, subtilia nimis et subjectiva afferuntur *in favorem* authentiæ, puta necessitas v. 7 ad intelligendos vv. 9-10 (2), — parallelismus inter v. 7 et v. 8 (3), etc.; — alia *contra* authentiam adduci possent, puta ipse nexus rerum quem alii dicunt inobvium, — mirum illud quod Pater, Verbum et Spiritus sanctus testimonium dant *in cœlo:* cuinam? — enumeratio hæc: Pater, Verbum et Spiritus sanctus, quæ nullibi in S. Scriptura et in specie apud Joannem talis occurrit, quum ubique dicatur vel: Pater, *Filius* et Spiritus sanctus, — vel Pater et Filius, vel Deus et Verbum, etc.

B. **Argumenta theologica.**

In favorem authentiæ sequentia adducta fuerunt argumenta:

1 Decretum *Concilii Tridentini:* Postquam enim enumeravit omnes utriusque Testamenti libros, pergit: « Si quis

---

opposito quidam voluerunt comma Joanneum bene potuisse *excidere* per *homœoteleuton*, quatenus aliquis amanuensis antiquus, oculo fallente, decepto nempe per tantam similitudinem verborum, integrum comma omiserit; — attamen quovis modo fingatur amanuensem fuisse deceptum, explicari nequit per-homoioteleuton ipsum omisisse simul verba: *in cœlo* — et — *in terra*.

(1) Cfr. Jacquier, p. 301 s.

(2) Cfr. Le Hir, *Etudes Bibliques*, t. II, p. 34. (Cit. apud Ceulemans, *l. c.*).

(3) Hic parallelismus *primo* non est perfectus; græce enim legimus: οὗτοι οἱ τρεῖς ἓν εἰσιν, — et: οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εισιν; — *prudentia* etsi esset, quid probaret?

autem libros ipsos *cum omnibus suis partibus,* prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit...: anathema sit » (1); — cui consonat decretum *Concilii Vaticani:* « Qui quidem Veteris et Novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem Concilii (Tridentini) decreto recensentur, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt » (2). — Descriptæ autem conditiones de commate nostro verificari videntur.

2/ Alterum quoque decretum quo Concilium Tridentinum **Vulgatam** declaravit **authenticam**; jamvero in Vulgata occurrit ipsum etiam comma Joanneum; unde et istud ut authenticum habendum est;

3/ Neque ad 2m respondeatur decretum istud non approbasse ut authenticum aliquem textum determinatum, sed tantum, in genere, versionem antiquam latinam ad quam non pertinuerit textus noster, nam *editio Sixto-Clementina* quam præ manibus habemus hodie, fuit edita in exsecutionem decreti Concilii Tridentini, adeoque hæc est editio quæ ut authentica habenda est: jamvero, in hac editione, absque dubio occurrit comma Joanneum, illudque proinde ut authenticum habendum est.

Triplicis hujus argumenti expositio eorumque valoris inquisitio longius nos duceret; quare sufficiat hic ea indicasse, alia occasione penitius examinanda (3).

4/ Quartum argumentum proponitur (4): Usus nempe hujus versiculi in Ecclesia: nam per multa sæcula theologi hoc versiculo usi sunt ad probandum dogma SS. Trinitatis, et Ecclesia hoc testimonium tum in Vulgata editione Scripturæ, tum in officio liturgico legendum proponit.

---

(1) Conc. Trid., Sess. IV. — Apud DENZINGER (ed. 1900, n. 666).

(2) Conc. Vat., Constit. *De Fide catholica,* cap. II. — Apud DENZINGER, n. 636.

(3) Jam inter quæstiones quæ in fine hujus fasciculi *Collat. Brug.* pro Conferentiis proponuntur, invenitur examinandum argumentum hic primo loco positum; subsequentur mensibus sequentibus duo alia.

(4) Cfr. CEULEMANS, *o. c.,* p. 156.

Resp. — Quod attinet commà Joanneum occurrere in editione Vulgata, remittimus ad dicenda circa 3m argumentum supra propositum; quod spectat usum *liturgicum* hujus textus in Ecclesia, ille quidem ostendit formulam hanc aptam fuisse habitam ad dogma SS. Trinitatis exprimendum, sed nil inde concludere licet quoad textus originem, quum etiam scriptorum profanorum, et in specie Apocryphorum (III-IV Esdræ) usus liturgicus fiat; — quod tandem spectat usum *dogmaticum* quem theologi et Ecclesia hujus textus instituerunt, ille quidem ostendit textum esse conformem fidei catholicæ et præbere ad demonstrandum dogma SS. Trinitatis certum argumentum *traditionale* (1), ast non probat textum pertinere ad S. Scripturam et præbere argumentum *scripturisticum*.

5/ Quintum tandem hic inducitur argumentum: responsum S. Officii: « Die 13 Jan. 1897.... Proposito dubio: Utrum tuto negari aut in dubium revocari possit, esse authenticum textum S. Joannis, in epistola prima, cap. V, qui sic se habet: Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt. Omnibus diligenter examine perpensis, præhabitoque DD. Consultorum voto, iidem Emi Cardinales respondendum mandarunt: Negative. Die vero 15 ejusdem mensis et anni... Sanctitas sua resolutionem Emorum Patrum approbavit et confirmavit » (2). — Circa hoc decretum examinanda sunt tum a/ sensus, tum b/ vis obligatoria ipsius.

a/ *Sensus* decreti, et signanter *authentiæ* de qua agitur.

Etsi vox illa « *authentia* » triplici illo sensu supra definito fuerit ab auctoribus intellecta, præferendum omnino videtur in quæsito et in responso directe actum

---

(1) Si enim per plura sæcula theologi omnes utuntur hoc textu ad demonstrandum dogma SS. Trinitatis, et ab Ecclesia continuo adhibetur in usu liturgico et in textu officiali retinetur, — eo ipso apparet ipsum esse fidei catholicæ conformem.

(2) Cfr. *Analecta ecclesiastica*, an. 1897, p. 99 s.

esse de authentia *humana* seu *historica*, adeoque decretum egisse de commate Joanneo *ut a Joanne scripto:* iste enim sensus solus, potissimum spectato statu controversiæ jam diu vigentis (1), obvius est in textu decreti (2).

b/ Quod autem *vim* obligatoriam decreti spectat, hæc dicenda videntur:

1. Decretum minime est *definitio* ex cathedra, ut nemini hodie dubium facit (3), et revera nequidem adest ea Romani Pontificis approbatio quam *in forma specifica* vocant, sed *communis tantum et ordinaria;*

2. Nec videtur esse decretum *dogmaticum* (4), quasi prohibuisset quominus aliquis *actu interno intellectus* sui negaret vel in dubium sibimetipsi revocaret authentiam commatis. — Decretum *disciplinare* tantum fuisse censuerunt plures, inter quos L. JANSSENS (5) MANGENOT (6) BRASSAC (7) aliique; et revera decreta:

---

(1) Utrum comma fuerit scriptum a Jo., an vero additio sit posterior, puta sæculi 3i vel 4i.

(2) Dicimus: *Directe* agebatur in decreto de authentia *humana* seu *Joannea*. Etenim *indirecte* utraque authentia quæ remanet eo ipso soluta erat: in quantum enim Congregatio imposuerit vers. esse *a Joanne* conscriptum, in tantum et eo ipso imposuit eumdem vers. esse *inspiratum* (authentia divina), et consequenter esse in textu S. Scripturæ retinendum (authentia auctoritativa seu *ecclesiastica*).

(3) Cfr. quæ latius exposuimus circa varios modos quibus Ecclesia intervenit in proponenda doctrina fidei vel cum fide connexa, apud *Collat. Brug.*, t. XIV, pp. 410 ss., — item circa obligationem adhærendi quæ ex parte fidelium vario isti interventui respondet, *ibid.*, pp. 417 ss. — Modum quo acatholici interdum ea quæ in Ecclesia catholica aguntur intelligunt, desume ex CONYBEARE protestante anglico de decreto S. O. scribente: « Le Pontife (Léon XIII) (?), affaibli par l'âge, publia une encyclique (?) pour définir solennellement (?) que l'addition frauduleuse (?) de I Jo. V. 7 faisait partie authentique de l'Ecriture. (Cit. apud *Revue pratique d'apologétique*, t. XII, p. 144).

(4) Decretum *dogmaticum* seu *doctrinale* aliquid *admittendum* imponit vel prohibet alicui doctrinæ *mente adhærere;* decretum *disciplinare* aliquid *faciendum* imponit vel prohibet ne aliquid *fiat*.

(5) *Revue Bénédictine*, 1906, p. 119; *Summa theol.: De Deo trino* (1900).

(6) *Revue pratique d'apologétique*, 1908, p. 38; *Dictionnaire de la Bible* (VIGOUROUX), vo JEAN, *Première épître de Jean*.

(7) *Manuel Biblique*, n. 1140.

« *Tuto doceri nequit, tutum non est negare* » et similia, etsi doctrinalia esse possent, et sane *fundamento* doctrinali non careant, sæpius tamen disciplinaria tantum dicenda sunt (1);

3. Unde tandem *disciplinare* tantum est, et statuit *prudenter non agere* vel *periculo errandi se exponere* qui negat vel in dubium revocat authentiam commatis Joannei (2): est *lex prohibens* ne illud fiat, adeoque, quousque lex illa, decretum illud subsistit, tenetur quivis catholicus sese dicto decreto submittere, et legem infringeret qui saltem in publicis suis scriptis vel dictis (3) dictam authentiam negaret vel in dubium revocaret, minime autem ille qui etiam in publicis suis scriptis proponeret rationes pro et contra militantes: hoc enim a decreto non prohibetur (4).

Addimus: *quousque decretum subsistit:* etenim quod aliquid sit prudens vel imprudens factu, id sæpe pendet ab adjunctis, et ita merito potuit, a. 1897, spectato statu scientiæ criticæ tunc obtinente, vel disputationibus pro et contra inter catholicos agitatis, S. C. O. judicare imprudens esse negare vel in dubium revocare dictam authentiam, dum postea, re jam magis eliquata et magis jam sopitis disputationibus, idem prudenter fieri jam posset. Unde fieri potest hujusmodi decretum sicut omnem legem subsequenti tempore reformari, etiam absque interventu *explicito* auctoritatis eccle-

(1) Decretum *doctrinale* esse affirmavit HETZENAUER, Η ΚΑΙΝΗ ΔΙΑΘΗΚΗ (Inspruck, 1898, t. II, p. 386 s.).

(2) Cf. *Analecta ecclesiastica*, 1902, pp. 36 ss. de opportunitate hujus decreti.

(3) Dicimus: Saltem in *publicis* scriptis aut *dictis*. Non enim apparet vi decreti eo ipso prohiberi similia dubia vel contrariam certitudinem inter privatos exprimere.

(4) Revera fere statim post latum decretum, in epistola publica sic scribebat Card. VAUGHAN: « I have ascertained from an excellent source, that the decree of the Holy Office on the passage on the « Three Witnesses » which you refer to, *is not intended to close the discussion on the authenticity of that text*. The field of Biblical criticism is non touched by this decree ». (Cfr. *Revue Biblique*, 1898, p. 148 s.).

siasticæ, puta per consuetudinem contrariam debitis conditionibus stipatam, vel per tacitum consensum legislatoris.

Hujusmodi autem consensum jam locum habuisse, proindeque, quod praxim spectat, decretum S. C. O. posse haberi ut abrogatum inde forte desumi poterit quod, inde a decreto emisso, edita jam fuerunt varia catholicorum opera, cum approbatione Episcopi loci, et tacente auctoritate Romana (1) in quibus dicta authentia Joannea negatur vel in dubium revocatur (2). Conferantur quoque quæ hac in re jam plures docti et prudentes proposuerunt inter quos JANSSENS (3) et MANGENOT (4).

A. VANDER HEEREN.

II

Q. *Quid est actio intrinsece supernaturalis? An tenendum est omnes actus, quibus homo positive disponitur ad justificationem, esse intrinsece supernaturales?*

R. I. 1. Actio *intrinsece supernaturalis* est actio quæ in semetipsa, in sua entitate, est positive indebita naturæ finitæ, sive creatæ sive creabili.

---

(1) Ita occasione operis KÜNSTLE, de quo supra, scribit MANGENOT, *l. c.*: « Il n'est pas nécessaire qu'elle (la réponse de la S. O. C.) soit réformée officiellement, et il est peu probable qu'elle le soit ainsi. Il suffit que l'autorité ecclésiastique n'en urge pas l'observation et qu'elle autorise, comme l'a fait l'archevêque de Fribourg en Brisgau, des études du genre de celle de M. Künstle. Comme le dit justement Dom Janssens, l'un des secrétaires *ab actis* de la Commission biblique, il n'y a pas à s'étonner de l'*imprimatur* donné, phénomène « en apparence en contradiction avec le décret du 13 Janvier, comme si la Sainte Eglise n'était pas la meilleure interprète de ses propres volontés, et comme si parfois, le moyen le plus efficace de les interpréter n'était pas tout juste la largeur de sa conduite ». La discipline, inaugurée le 13 Janvier 1897, aura ainsi duré à peine une dizaine d'années ».

(2) Cfr. *Revue Biblique*, 1906, pp. 132 s.; — LEBRETON, *Les origines du dogme de la Trinité*, 1910, pp. 524 ss.

(3) *Revue Bénédictine*, 1906, p. 119.

(4) *Revue des Sciences eccl. et la Sciences catholique*, 1907, pp. 337 s.

Hinc actio intrinsece supernaturalis opponitur actioni quæ diceretur *extrinsece* supernaturalis; extrinsece, quatenus vel actio deliberata quin *in semetipsa* habeat aliquid supernaturale, acceptaretur a Deo tamquam *meritoria* vitæ æternæ (1), vel actio indeliberata esset cogitatio *congrua*, qua posita, homo de facto resistit alicui tentationi et sic removet impedimentum salutis, scilicet non peccando (2).

Quando vero dicitur actio *intrinsece* supernaturalis nondum determinatur qua præcise ratione actus sit supernaturalis et valde diversæ sunt theologorum sententiæ de illa re.

Prænotemus oportet distingui posse actiones triplicis ordinis: actiones *naturales*, quæ nempe a nostris facultatibus eliciuntur secundum ordinarias conditiones operationis humanæ (3); actiones *præternaturales*, quæ nempe a Deo efficerentur modo miraculoso: sicut Deus miraculoso modo facere potest ut aliquis cæcus videat, vel surdus audiat, ita potest Deus facere ut intellectus alicujus hominis hic et nunc aliquid cogitet, quod non cogitaret secundum ordinarias et consuetas leges cogitationis illius hominis (4); actiones *supernaturales*, quæ nempe *in sua entitate* consideratæ, sive essentialiter sive accidentaliter, sunt *physice* indebitæ.

---

(1) Hanc supernaturalitatem actus per denominationem extrinsecam exponit ac refutat SUAREZ, *De Gratia*, L. II, c. 7, in quo ponit etiam tres alios modos secundum quos actio diceretur extrinsece supernaturalis.

(2) VASQUEZ, in 1-2, q. 109, disp. 189, c. 16 propugnat ad omnem tentationem vincendam prærequiri cogitationem *congruam*; hanc porro esse effectum peculiaris Dei protectionis et dicendum esse auxilium gratiæ; hoc sensu peculiare gratiæ auxilium requiri ad omnes et singulas tentationes vincendas.

(3) Si illi actus a Deo ordinantur ad aliquid supernaturale, non ideo cessant esse naturales.

(4) Talis cogitatio est *in semetipsa* entitative naturalis, sed supernaturalis *quoad modum* quo fit. Non autem diximus actiones supernaturales *quoad modum*, quia illa expressio, quando agitur de actionibus, tam diversimode adhibetur. Actio miraculoso modo producta vocatur etiam supernaturalis *in fieri*, non in facto esse.

2. De illis actibus, sc. supernaturalibus nunc loquimur.

A. Imprimis agemus de actibus *indeliberatis*.

Circa quos celebris est controversia inter Bannezii scholam et Molinæ.

Bannezium qui sequuntur censent illas actiones esse supernaturales quia a nostris facultatibus (intellectu vel voluntate) eliciuntur *supernaturali præmotione physica*, quæ facultati a Deo immittitur, illam ad agendum applicat ac prædeterminat et sic intrinsece supernaturalem reddit actionem quæ et quatenus elicitur a facultate *in semetipsa physice elevata* ad agendum (1).

Molinæ sequaces illam præmotionem supernaturalem omnino rejiciunt et negant immitti aliquam realitatem physicam in facultate (2). Hujus scholæ auctores non conveniunt ulterius in explicando modo quo supernaturales reddantur actus indeliberati, tum intellectus, tum voluntatis, seu intellectus illuminationes ac voluntatis inspirationes:

Suarez (3) duplicem censet dari gratiam excitantem, unam quæ est supernaturalis *quoad modum* tantum; altera quæ est *quoad substantiam* supernaturalis: hæc porro supernaturalitas videtur in hoc consistere quod Deus immediate producit in intellectu et voluntate actum qui in formali ratione *actionis* est diversus ab actibus naturalibus, ita ut illuminatio intellectus sit actio alterius rationis ac actio naturalis, sicut etiam actus deliberatus, in eadem sententia, ut infrà dicemus, habet

---

(1) ALVAREZ, *De auxiliis*, L. VIII. disp 74; inter recentiores, in puncto de quo agitur, Bannezianis consentiunt CARD. BILLOT, *De Gratia*, Romæ, 1908, p. 124 ss.; TERRIEN, *La grace et la gloire*, Paris, 1897, t. II, p. 365: DEL VAL, *Sacra theologia dogmatica*, Madriti, 1906, t. II, p. 499; HERRMANN, *Institutiones theologiæ dogmaticæ*, Romæ, 1908, t. II, p. 207, n. 1130; VAN NOORT, *De Gratia*, Amstelodami, 1908, n. 15; VAN DER MEERSCH, *De divina gratia*, Brugis, 1910, n. 279, 281; MANZONI, *Commendium theologiæ dogmaticæ*, Augustæ Tourinorum, 1911, t. III, n. 290, 302.

(2) Cf. SUAREZ, *De Gratia*, L. III, c. 1, n. 12, c. 4, n. 2; inter recentiores: MAZZELLA, *De Gratia*, Romæ, 1892, n. 143 ss.; LAHOUSSE, *De Gratia*, Brugis, 1902, n. 100 ss.; PESCH, *De Gratia*, Friburgi, 1908, n. 50.

(3) *O. c.*, L. III, c 10, n. 4-13. Cf. LAHOUSSE, *o. c.*, n. 104 ss.

rationem activitatis diversam ab activitate actus naturalis correspondentis. Attamen hæc elevatio non requirit, in hac sententia, entitatem immissam facultati, et ideo hæc elevatio dicitur *extrinseca*.

Palmieri (1) admittit *intrinsecam* voluntatis elevationem, per *modum*, qui tamen non realiter distinguitur a facultate, et censet nullam aliam realitatem adesse præter Deum agentem et animum.

Illmus ac Revmus Waffelaert (2) supernaturalitatem actus reponit in hoc quod facultas a Deo immediate, immediatione suppositi, assumatur ut instrumentum ad producendum *hunc* determinatè actum.

B. Actum *deliberatum* vocamus actum *libere* a voluntate *elicitum*, libertate nempe indifferentiæ seu electionis, et etiam actum aliorum facultatem (v. gr. actum fidei in intellectu) qui et quatenus *imperatur* libero voluntatis actu.

In præsenti consideramus tantum actus *elicitos libere*, et quidem in homine qui non habet virtutes supernaturales, seu habitus supernaturaliter infusos.

Si quæritur quomodo prædicti actus sint supernaturales intrinsece, iterum diversitas occurrit sententiarum et quidem quantum ad duo: primo quidem, quantum ad ipsum *principium quo eliciuntur* illi actus, secundo autem quantum ad ipsam *speciem* ipsorum.

a/ *Quoad primum*, Banneziani docent actum libero arbitrio reddi intrinsece supernaturalem per aliquam entitatem transitoriam ac fluentem, immissam voluntati, naturà priorem ipsi actui et applicantem facultatem ad agendum, imo prædeterminantem physice ad actum deliberatum.

Molinistæ docent nullam entitatem dari quæ a Deo immitteretur voluntati, hancque moveret physice ad agendum. — Ut porro talium actuum supernaturalita-

---

(1) *De gratia actuali, Galopiæ*, 1885, p. 65.

(2) *Collat. Brug.*, t. VII, p. 499 s.; *Méditations théologiques*, Bruges, 1910, t. I, p. 637.

tem explicent, alii dicunt: consensum voluntatis reddi supernaturalem per ipsam supernaturalem inspirationem cui consentit voluntas, ita quidem ut liberum arbitrium et gratia præveniens sint duæ partes unius integræ causæ actus credendi, sperandi, etc., prout ad salutem oportet: a libero arbitrio provenit ut actus sint quoad substantiam credere, sperare, etc.; a gratia vero præveniente, ut sint supernaturales. Deinde in ipso actu libero, non in facultate, debet concurrere Deus, concursu generali et simultaneo (1). — Alii dicunt dari id quod vocant *extrinsecam elevationem actus*, quatenus Deus immediate in actu deliberato suppleret id quod facit habitus infusus quando adest, et hunc suppleret Deus nullam realitatem producendo in ipsa voluntate (2).

Molinistarum sententiam refutare conati sumus (3).

Quoad Bannezianorum sententiam, hanc admisimus pro ea parte qua admittit entitatem physicam supernaturalem (etiam in actu deliberato hominis carentis habitibus infusis); sed eam rejecimus pro ea parte qua statuit hanc entitatem physicam esse prædeterminationem physicam ad unum. Proinde tertia datur sententia, media inter Molinismum et Bannezianismum (4).

b/ Quoad *speciem* ipsius actus supernaturalis deliberati, iterum habetur controversia: Banneziani ac multi Molinistæ censent supernaturalem ac naturalem actum fidei, spei, etc. esse quidem ejusdem generis, quatenus uterque plene verificat rationem fidei, spei, etc., sed actum *supernaturalem* esse *specie* diversum ab actu naturali correspondenti: hæc porro specifica differentia in hoc consistit quod alia sit formalis ratio activitatis in utroque, seu quod aliter attingatur ipsum formale objectum in actu supernaturali et aliter in actu naturali,

---

(1) Ita Molina, *Concordia*, q. 14, a. 13, disp. 37.

(2) Ita Suarez, *o. c.*, L. III, c. 19.

(3) Cf. *De Gratia*, n. 279-289.

(4) Cf. *o. c.*, n. 273, 315. Cf. De Baets, *De Gratia*, Gandavi, 1910, p. 71, 95 ss.

quod proinde objectum *formale sub quo* aliud sit in actu supernaturali ac in actu naturali (1). Alii tenent actum supernaturalem, in formali ratione actionis, non essentialiter nec proinde specifice, differre ab actu naturali correspondenti: ita scilicet ut actus fidei *supernaturalis*, quoad formalem rationem *credendi* sit idem ac actus fidei naturalis, ita etiam ut objectum formale non aliter attingatur in actu fidei supernaturalis ac in actu fidei naturali. Qui tenent hanc sententiam, consequenter docent actus *supernaturalitatem intrinsecam* provenire tantum a principio a quo actus elicitur: hoc principium est facultas *intrinsece elevata* vel per habitum infusum vel per entitatem fluentem ac transitoriam (2).

II. Præcipuas theologorum exposuimus opiniones secundum quas explicant intrinsece supernaturales esse actus quibus homo positive disponitur ad justificationem.

Si nunc quæratur utrum tenendum sit *omnes* actus, quibus homo positive disponitur ad justificationem, sint intrinsece supernaturales, respondendum est hoc *non esse de fide* tenendum, quia Ecclesia nondum definivit gratiam necessariam ad omnes actus salutares esse intrinsecus supernaturalem (3).

Attamen *theologice certa*, ut videtur, est sententia quæ tenet actus, quibus homo positive disponitur ad justificationem, *esse intrinsece supernaturales*, hoc sensu quod sit *in ipsis actibus aliquis influxus indebitus* a Deo, nihil vero determinando circa naturam prædicti influxus: nam variæ sententiæ, quas de hac re exposuimus, libere a doctoribus propugnantur (4).

---

(1) Hanc sententiam multi auctores designant dicendo actus salutares esse supernaturales *quoad substantiam* actus. Sed hæc locutio non semper adhibetur in sensu indicato.

(2) Hanc propugnavi thesim in *tractatu de divina gratia*, n. 242 ss.

(3) Cf. HURTER, *Theologiæ dogmaticæ compendium*, Œniponte, 1896, t. III, n. 35.

(4) Proinde *theologice erroneum* habemus sententiam quæ diceret actus de quibus agimus esse tantum supernaturales *per denominationem*

Actus autem, quibus homo positive disponitur ad justificationem, esse intrinsece supernaturales infertur ex dogmate de absoluta necessitate gratiæ ad omnem actum salutarem: definitum enim fuit hominem non posse *per solum naturæ vigorem* cogitare aut eligere, *bonum aliquid* quod ad salutem pertinet, *eo modo quo oportet* ad salutem (1): inde sequitur hominem esse *physice incapacem* ponendi actum salutarem solis naturæ viribus: homo proinde debet physice elevari ad agendum salutariter, proinde actus salutaris debet, aliquo saltem modo, esse physice seu intrinsece supernaturalis.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Explica quanam ratione Sacrificium Missæ fructus suos operetur* ex opere operato.

R. **Prænotandum.** Nomine *fructuum* Sacrificii Missæ intelligimus effectus Sacrificii *nobis proficuos*, effectus scil. contradistinctos ab effectibus qui directe spectant cultum divinum. Sunt autem fructus *impetratorius*, *satisfactorius* et *propitiatorius*, dum alii effectus sacrificales, cultum spectantes, sunt effectus latreuticus et eucharisticus.

Impetratorius fructus consistit in variis beneficiis spiritualibus ac etiam temporalibus, quæ nobis per Sacrificium Missæ obtinentur.

Satisfactorius fructus est in relaxatione pœnæ temporalis, post peccatum quoad culpam remissum relictæ.

---

extrinsecam. Non idem dicimus de sententia tenente prædictos actus catenus esse supernaturales quatenus fiunt *modo miraculoso*, seu quatenus sunt *præternaturales*, seu supernaturales *in fieri* (non in facto esse). Hæc tamen sententia communiter hodie a theologis rejicitur. — Non repugnat dari tales actus sed non videtur dici posse illis actibus hominem *positive disponi* ad justificationem.

(1) *Conc. Aransicanum*, can. 7. Cf. Denzinger-Bannwart, *Enchiridion*, 1911, n. 180.

Propitiatorius fructus consistit in hoc quod Deus, per Missæ Sacrificium placatus, non subtrahat nobis, in pœnam peccati, gratias et auxilia quibus ad detestationem peccatorum et contritionem peccatorum remissivam disponamur.

Quibus attentis, patet a fructum propitiatorium non esse in remissione peccatorum directe et immediatè collata; sed in concessione gratiarum, quibus, mediante contritione, ad remissionem perducamur. Patet b fructum propitiatorium non confundi cum fructu impetratorio. Per utrumque quidem fructum consequimur gratias et subsidia spiritualia; sed gratiæ et auxilia, in fructu propitiatorio obtenta, præterquam quod unicè ad peccati remissionem ordinantur, nobis non conceduntur formaliter qua dona et beneficia, sicuti dona fructui impetratorio adscribenda: hac scil. ratione nobis contingunt, quatenus divina Justitia, peccatis nostris offensa, placatur nobisque propitia redditur, adeo ut jam non, in pœnam delictorum, auxilia subtrahat et gratias uberiores, sed ea misericorditer impertiatur (1).

Solutio.

Sacrificium Missæ fructus suos confert

1° *Independenter a dispositione subjectiva celebrantis et Sacrificio participantium.*

Nimirum illos confert:

a/ *ex virtute Christi,* quatenus Christus Dominus, principalis offerens, seipsum Deo Patri in victimam immolatum offert, renovando, per realem repræsentationem, Sacrificium crucis, ac Patrem interpellando ut merita et satisfactiones crucis nobis applicare dignetur, illiusque cruenti sacrificii infinita dignitate moveatur ad nobis impertiendos fructus descriptos.

b/ *ex virtute Ecclesiæ:* hæc enim non modò partici-

(1) « Propitiatio igitur respicit directe placandam divinam *Justitiam, ne pœnam inferat*, impetratio divinam *Bonitatem* ac *Misericordiam, ut beneficia concedat* ». Ita FRANZELIN, o. c., p. 375.

pat, mediante ministro suo sacerdote, in oblatione Sponsi sui immolati, ab ipso Christo seipsum offerente facta; sed etiam semetipsam sacrificaliter offert Divinæ Majestati, quatenus Victima divina Ecclesiæ substituitur.

2° *Causaliter.*

Et sane Sacrificium Missæ, in quantum audit oblationem sacrificalem *Christi*, influxum *positivum* exercet et *causalem*, Deum efficaciter movendo, juxta modò dicta, ut fructus impetratos nobis conferat. Similem influxum causalem exercet Sacrificium Missæ, in quantum virtus ejus procedit *ab Ecclesia:* etiam hæc, impetratione sua sacrificali, Deum ad impertiendos eosdem fructus movet et impellit.

3° *Infallibiliter.*

Quod Missa infallibiliter fructum suum operetur, hoc non habet nisi *ex virtute Christi;* in quantum scil. operatur ex virtute Ecclesiæ, fructum suum consequitur fallibiliter dumtaxat.

Nimirum ex una parte, non tanta est vis orationis et impetrationis *Ecclesiæ* ut ipsi infallibilis agnoscatur efficacia. Et ita, suprà, apud *Collat. Brug.*, tom. XVII, p. 30 s., vidimus varias benedictiones et orationes nomine Ecclesiæ datas ac profusas nonnisi fallibiliter prodesse fidelibus super quibus invocantur seu funduntur; quanquam fatendum est supplicationem Ecclesiæ, in ipso Missæ Sacrificio ac in propria sua sacrificali immolatione Deo oblatam, valde efficaciorem esse præ cæteris orationibus ritualibus.

Ex alia parte, non potest Deus Pater resistere interpellationi et impetrationi *Filii sui*, se coram Ipso iterata vice immolantis et annihilantis, Ipsique, per realem repræsentationem, Sacrificium crucis commemorantis, ac infinita merita et satisfactiones in cruce parta exhibentis, ut nobis applicentur et salutariter suffragentur.

Unde *infallibilis* quidem agnoscitur efficacia Sacrificio Missæ; sed hæc infallibilitas ipsi agnoscitur unicè

in quantum efficacia *ex virtute Christi* derivatur; et quidem *salva dumtaxat duplici conditione* sequenti: a/ ut non excedantur leges ordinariæ Providentiæ, utque dona temporalia non noceant saluti æternæ (1); b/ ut removeatur, in fructum consequente, dispositio subjectiva prohibens, ad modum quo noscitur idem obtinere in sacramentis. Ita pro relaxatione pœnæ temporalis supponitur status gratiæ, cum incongruum censeatur relaxari reatum pœnæ temporalis apud illum quem manet pœna æterna (2).

Conclusio. Posset dici Sacrificium Missæ fructum operari *ex opere operato*, etiam in quantum operandi virtutem habet *ex Ecclesia* (3), siquidem obtinent, etiam sub hoc respectu, duo elementa quæ passim requiruntur ad operationem ex opere operato, independentia scil. a dispositione subjectiva celebrantis et assistentis, et influxus causalis. Atvero, cum operatio ex opere operato soleat strictius intelligi, et soli applicari causæ effectum suum infallibiliter consequenti, satius est illam operationem non adscribere Missæ, nisi in quantum virtus est ex Christo Domino.

Etiam Missæ efficacia, in quantum est *a Christo*, si dicitur esse ex opere operato, non est cogitanda eadem ac efficacia sacramentorum: differt tum in modo operandi, tum in effectu producto. Nimirum alia est causalitas causæ *exequentis*, quæ competit sacramentis, alia causalitas causæ *imperantis* seu *impetrantis*, quæ convenit Sacrificio Missæ: hæc nempe, uti vidimus, effectus suos non obtinet nisi Deum movendo ut fructus descriptos conferat, dum sacramenta agunt in ipsum

---

(1) Cf. dicta circa eamdem conditionem quæ supponitur adesse pro consecutione sanitatis corporalis, in Extrema Unctione, apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 15 et 17.

(2) *Collat. Brug.*, t. IV, p. 648 s.

(3) Profecto efficacia illa, *relate ad Ecclesiam*, est ex opere operantis; sed *relate ad nos* — et sub hoc respectu est attendenda — est ex opere operato.

effectum producendum, absque intermedio causæ intelligentis quam moveant. Ulterius, dum sacramenta causæ existunt gratiæ sanctificantis, restringitur Sacrificii efficacia, quoad nos, salva relaxatione pœnæ temporalis et consecutione variorum beneficiorum, ad collationem gratiarum actualium: ordinatur quidem Missæ Sacrificium et offertur in remissionem peccatorum, adeoque ad gratiæ sanctificantis infusionem; sed hanc non operatur nisi mediantibus gratiis actualibus quibus ad contritionem disponantur peccatores, quemadmodum prænotando diximus.

IV

Q. *Qualis intentio requiritur et sufficit, in sacerdote celebrante, pro applicatione fructus specialis seu ministerialis?*

R. **Prænota.** Intentionem requiri applicandi fructum Missæ, id innuit tota œconomia institutionis. Nimirum, sicut Christus ordinavit ut per ministerium sacerdotis, ministrum agere intendentis, Sacrificium offeratur; ita conveniens est ut voluerit Christus Dominus etiam applicationem fieri per ministerium ejusdem celebrantis, intentione sua fructum ministerialem ad certum quemdam finem dirigentis.

Intentio illa debet esse:

1° **Determinata**, saltem *objective et implicite.*

Quod requiratur intentio *determinata*, continetur in modò dictis: si namque ab intentione sacerdotis pendet applicatio a Deo facienda fructus sacrificalis, intentionis illius objectum debet esse determinatum; secus Deus non haberet cuinam personæ vel cuinam causæ applicatio sit facienda.

Sufficit autem intentio determinata *objective et implicitè*. Nimirum satis est ut intentio pro qua Missa celebratur habeat objectum *a parte rei* determinatum, illique *implicitè* sese conformet sacerdos: a. v. non est opus ut

celebrans ipse cognoscat personam vel causam pro quibus Missa est applicanda, sed sufficit ut intentio feratur in adjuncta, quæ illas objectivè determinent easque absolute cognoscibiles reddant.

Unde potest celebrari ad intentionem dantis, superioris (1), fundationis, ad intentionem in indice Missarum vel in calendario pro tali die inscriptam. Contrà, irrita foret Missæ applicatio in casu quo sacerdos, cui tres v. gr. Missæ a tribus distinctis personis sunt commissæ, pro ipsis respective offerendæ, inciperet Missam celebrare pro uno ex illis, dein pro altero et tertio, ulterius non determinando : oportet ut accedat quædam determinatio, puta ut incipiat ab illo qui primus stipendium errogaverit et pergat juxta ordinem oblati stipendii, vel ut inchoet v. g. a natu majori, pergendo juxta ordinem ætatis, et ita porro. Uno verbo, determinatio requiritur, sed sufficit qualiscumque, modò talis sit qua mediante Deo innotescat ad quid ex celebrantis voluntate Missæ sunt applicandæ (2).

2° Debet existere **ante consecrationem,** *alterius saltem speciei.*

Profectò melius est et convenit ut Sacerdos intentionem suam efformaverit ante Missæ exordium; stricte

---

(1) Ita, in specie, quod attinet Missas quæ, ad tramites Decreti S. C. C. *Ut debita*, 11 Maii 1904, sub 4° et 5°, committuntur Ordinario, qui eas celebrandas transmittat sacerdotibus diœceseos: præstaret quidem, sed non postulatur ut sacerdotes, has Missas acceptas celebrantes, distincte cognoscant intentiones a primariis oblatoribus assignatas; sufficit ut celebrent ad mentem Episcopi, qui intentionem efformaverit singulis Missis convenientem. Pro efformanda autem illa intentione, sufficit Episcopo ut Missarum onera successive accepta ex ordine consignanda curet cum sua respectiva intentione, utque juxta descriptum ordinem committantur exoneranda, servata distinctione inter varias Missarum series ad diversas intentiones traditas. Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 322 s., collato *Rev. Théol. Franç.*, 1905, p. 275-278.

(2) Quodsi, in exemplo proposito vel alio simili, omnis inter varias acceptas intentiones ordo desideretur, opportunum remedium est in celebrando tres Missas ita ut unaquæque pro tribus personis simul offeratur.

tamen *sufficit*, pro fructus ministerialis applicatione et obligationis ex stipendio contractæ adimpletione, ut *ante consecrationem* efformata existat; sed et hoc *requiritur:* consecratiòne namque essentia Missæ absolvitur et fructus acquiri censetur; illo igitur momento innotescere debet Deo cuinam sit fructus applicandus.

Probabile est autem applicationem esse validam si fieri contingat post prioris speciei consecrationem, sed *ante* alterius speciei consecrationem: quousque enim absoluta non est utriusque speciei consecratio, nondum perfecta est Missæ essentia nec fructus sacrificalis adeptus; nondum proinde de intentione ad quam applicetur constare debere videtur. Cujus attenta sententiæ probabilitate, non esset cogendus sacerdos, qui intentionem conceperit inter duas consecrationes, ad stipendii restitutionem vel alterius Missæ celebrationem.

3° *Sufficit* **habitualis.**

Non requiritur intentio *actualis nec virtualis*, quia intentio nullum influxum positivum exercere debet; non postulatur intentio nisi tanquam conditio sine qua non, ut scil., ea posita, Deus noverit cuinam et ad quid Missæ fructus sit applicandus; est aliquid mere removens prohibens, i. e. removens indeterminationem personæ vel causæ ad quam Missæ applicatio sit dirigenda; unde nihil est quod requirat ut intentio actu vel virtute remaneat. Sufficit igitur intentio *habitualis,* olim scil. habita et non retractata, quantumvis actu et virtute transierit.

Quibus attentis, liquet intentionem sufficere ante hebdomadam, ante mensem, imo ante annum et ultra efformatam, nec deinceps renovatam. Et sic non esset inquietandus, quamvis minus laudandus, sacerdos qui, sufficienti Missarum copia fruens, non ante anni finem exoneranda, Missas, anno inchoante, in calendario notaret pro singulis diebus currentis anni, et exinceps usque ad 31m Decembris celebraret non cogitans de intentione renovanda. Sufficit enim intentio *olim habita* et *non revocata.*

Quod spectat intentionis *revocationem*, passim ab Auctoribus inquiritur utrum et quousque intentio prævie concepta per aliam intentionem supervenientem revocetur.

Huc autem redit responsum: Nova intentio succedens certò revocat priorem, si nova concepta sit cum clausula cuicumque intentioni contrariæ derogante, vel si, stante prioris intentionis memoria, sit efformata; quodsi concepta sit, absque dicta clausula, a sacerdote prioris intentionis non memore, etiam tunc priori prævalet secunda, nisi in concursu veniat cum intentione præcedente, quæ explicitè excluderit intentionem contrariam, absque prioris memoria forte subsecuturam (1). Post factum, dubium, quod facile aderit, utrum prior intentio fuerit exonerata, an vero secunda, practice solvetur celebrando alia die ad intentionem cui nondum est satisfactum.

4° Debet esse intentio **absoluta**, vel *absolutæ æquivalens*.

Nimirum valet intentio concepta sub conditione de futuro necessario, de præsenti vel de præterito, utpote quæ intentio est æquivalenter absoluta; non valet vero habita sub conditione suspensiva de futuro contingenti.

Ratio hujus alterius partis asserti est in promptu: vidimus namque quod intentio præsto esse debet ante absolutam consecrationem; in casu autem suspenditur intentio usque ad eventus futuri adimpletionem, nec incipit existere nisi inde ab hujus adimpletionis momento, quod momentum consecrationem supponitur subsequi.

Nota. Applicatio Missæ facta cum intentione descripta, omnibus dotibus induta, adhuc irrita fieri potest ex

---

(1) Eadem exceptio admitti posse videtur in casu quo prior intentio adnexa est ipsi diei, pro qua successit nova intentio huic diei non propria; puta si prior intentio dirigitur in peculiarem necessitatem illa ipsa die sublevandam, in beneficium stata illa die obtinendum, dum altera intentio qualicumque diei convenit.

eo quod adeptio finis, in quem dirigitur Missæ applicatio, jam evaserit, consecrationis momento, impossibilis. Casus esset pro Missa applicata ad obtinendam sanitatem personæ infirmæ, quæ ante consecrationem obiisse contingit. Aliud esset si intentio non fuerit taxative ordinata in sanitatis recuperationem, sed universim in bonum personæ infirmæ: huic etiam defunctæ prodesset tunc Missæ applicatio, non obstante errore celebrantis circa conditionem personæ, quam vivam reputat (1).

V

Q. *Breviter indica præcipuas dispositiones Ecclesiæ circa Missæ ejusque fructus ministerialis applicationem: infidelibus, hæreticis et excommunicatis, sive vivis sive defunctis.*

R. *Prænota.* Distinguenda est Missæ celebratio ejusque applicatio *publica* et *privata*. *Publica* habetur hic quando sacerdos publice et quasi officialiter Missam celebrat ad alicujus intentionem, quando scil. vel præcedit publica Missæ et intentionis denuntiatio, invitato populo fideli ad participationem in illius Missæ ad nuntiatam intentionem oblatione, vel quando intentionis aut personæ pro qua litatur mentio fit in orationibus liturgicis, uti contingit in Missa pro defunctis, signanter in depositionis die.

Privata censetur Missæ oblatio et applicatio, quando, omissa omni intentionis vel personæ mentione ac denuntiatione, solo celebrantis voluntatis actu, Missæ applicatio ad determinatam personam vel determinatum finem dirigitur, sive hæc applicatio sit omninò secreta et soli sacerdoti nota, vel non.

Qua notione præmissa,

I. Publica Missæ celebratio et applicatio *regulariter*

---

(1) Cf. GASPARRI, *Tractatus Canonicus de SS. Eucharistia*, Parisiis, 1897, I, n. 474 et 472.

non licet in gratiam cujuscumque personæ in foro externo extra gremium Ecclesiæ constitutæ, sive infidelis sit, sive hæretica (1) seu schismatica, sive sit excommunicata nec reconciliata (2).

Dicitur *regulariter:* quia exceptionaliter permittitur publice orare et Missam offerre: a) pro infidelibus, hæreticis et excommunicatis *universim* et *indeterminatè*, ut convertantur et in sinum Matris Ecclesiæ reducantur, quemadmodum publicæ orationes ab Ecclesia fieri jubentur in Missa præsanctificatorum; b) pro *regibus et principibus* paganis, vel et hæreticis et excommunicatis (3), in quantum spectantur *ut reges* et *boni publici provisores*, ad hoc scil. ut prosperum consequantur regiminis effectum (4): quo pacto Missæ oblatio et Ecclesiæ oratio in fidelium potius quam in regis bonum dirigitur.

II. Privata Missæ celebratio ad eorumdem intentionem *licet* (5), *salvis restrictionibus sequentibus:*

---

(1) *Hæretici* hic intelliguntur soli illi qui cuidam hæreticæ sectæ existunt adscripti.

(2) Notum est excommunicatos cum Ecclesia reconciliari posse in foro externo etiam *post mortem*, juxta formulam *Rituali Romani*, Tit. III, cap. 4.

(3) Bened. XIV, in Constitutione *Ex quo primum*, 1 Martii 1756 (P. B., XI, p. 288 ss.), par. 27, id tolerandum expresse docet pro regibus ethnicis, sed id fieri posse negat pro hæreticis et schismaticis; videntur tamen tolerantiæ limites exinde fuisse ampliati.

(4) Hæc exceptio in gratiam regum et principum restringitur ad tempus quo *inter vivos* degunt; pro regibus infidelibus, hæreticis et schismaticis *defunctis* prohibetur, non secus ac pro aliis, publica Missæ oblatio et applicatio. Cf. Wernz, *Jus Decretalium*, III, 1901, n. 542, nota 155.

(5) Plura Ecclesiæ documenta videntur prima specie prohibere omnem, etiam *privatam*, Missæ celebrationem pro infidelibus, hæreticis et excommunicatis. Ita cap. 28 et 38, X. V, 39, *De Sent. excommunicationis*, necnon alia decreta relata a Benedicto XIV, l. c., par. 22 et 23, sicut etiam decr. S. C. de P. Fide, 19 Aug. 1876 (*Collectanea* I, n. 873). Atvero, vel canones illi et decreta prohibitiva, quemadmodum ex ibidem a Benedicto disputatis liquet, censentur solam spectare celebrationem sensu indicato *publicam:* vel, ubi spectant celebrationem *privatam*, eam excludunt dumtaxat in quantum accedit aliqua circumstantia vitians, uti est superstitionis immixtio, juxta dicenda in mox notandis. Cf. Gasparri, o. c., n. 483 et 486.

1° *Pro defunctis* applicari non potest Missa nisi ea lege ut ante obitum signa positiva dederint resipiscentiæ vel bonæ fidei (1).

2° *Pro vivis hæreticis, schismaticis et excommunicatis,* non licet determinatè Missam celebrare *nisi ad eorum conversionem* (2); pro *infidelibus* expresse indulgetur ut *ad alios fines* Missæ Sacrificium offeratur (3).

3° *Vitanda est vetita communicatio;* et ita ab excom-

---

(1) Hæc conditio ex natura rei intelligitur. Urgetur etiam eadem conditio in decretis C. S. O., 7 Aprilis 1875, et S. C. de P. Fide, 12 Sept. 1645 (*Collectanea* I, n. 891 respective et n. 866), in quibus decretis intenditur Missæ celebratio privata. In *priori* decreto, respondetur *negative* ad utrumque postulatum: « An licet Missam offerre pro illis qui *in manifesta hæresi moriuntur*, præsertim quando hujusmodi applicatio nota esset »; et: « An liceat etiam in casu quo hujusmodi applicatio Missæ tantùm sacerdoti et illi qui dat eleemosynam nota esset ». In *altero* autem decreto, ad quæstionem: « Si in illo regno (Sinarum) licebit christianis orare et Sacrificium facere Domino Deo nostro pro suis defunctis qui in sua infidelitate ab hac vita discedunt », respondetur: « Si *vere* in infidelitate decedunt, omninò non licere ».

Porro ex ipsius tenoris verbis subnotatis liquet agi de illis qui mente et spiritu hæresi vel infidelitati adhærent; adeoque non est cur ad hæc decreta provocetur ab illis qui vellent privatam Missæ celebrationem prohiberi pro defunctis infidelibus, et pari ratione pro hæreticis et excommunicatis *quibuscumque,* etiam illis qui resipiscentiæ vel bonæ fidei signa indubia dederint.

(2) Decretum C. S. O., 19 Aprilis 1837 (*Collectanea* I, n. 877), in quo ad dubium: « Utrum possit aut debeat celebrari Missa ac percipi eleemosyna pro Græco schismatico, qui enixe oret atque instet ut Missa applicetur pro ipso, sive in ecclesia adstante sive extra ecclesiam manente », respondetur: « Juxta exposita non licere nisi constet expressè eleemosynam a schismatico præberi *ad impetrandam conversionem* et veram fidem » Hæc declaratio, qua ex una parte docetur posse celebrari Missa, et ex alia parte monetur eam non posse celebrari nisi ad conversionem tantùm, spectat quidem solos schismaticos; eam tamen ex paritate rationis extendimus ad hæreticos et excommunicatos, non intelligentes quare Ecclesia prohiberet quominus oraret sacerdos privatim vel Missam offerret ad hoc ut ad Ecclesiam redeant.

(3) Ita S. C. de P. Fide, die 11 Martii 1848 (*Collectanea* I, n. 885), respondit *affirmative* ad propositum dubium: « Num possit missionarius recipere eleemosynam Missæ hancque applicare juxta mentem seu intentionem gentilis offerentis, qui vult obtinere liberationem a morbo, vel a pœna capitali sibi impendenti ». Juxta versionem datam apud Gasparri, o. c., n. 486.

municato *vitando* non potest accipi stipendium; vitanda est etiam omnis superstitionis immixtio (1).

4° Sedulò occurrendum est *scandali periculo* (2); et ideo sæpe sæpius curandum et ut sacerdotis intentio privata *prorsus occulta* maneat nec ulli manifestetur; pariter a stipendio recipiendo erit abstinendum frequentius, etiam ubi aliunde eleemosynam accipere non esset prohibitum.

Nota. Quæstio posita non spectabat nisi oblationem Missæ ejusque applicationem *directam*, salva scil. quæstione quousque Sacrificium *indirecte* prodesse valeat ac possit variis illis personarum speciebus, quæ, ex lege Ecclesiæ, a directa applicatione excluduntur. Nimirum, uti notat LEHMKUHL, *Theol. Mor.*, II, n. 175, « nihil impedit quominus (Missa) ita evadat etiam iis utilis pro quibus, ob Ecclesiæ prohibitionem, proprie et directe Missa offerri non potest. Eo ipso enim quod v. gr. Missa offertur pro exaltatione S. Ecclesiæ, *indirecte* utilis fieri potest ipsis excommunicatis iisque etiam vitandis, qui alioquin a communione bonorum Ecclesiæ excluduntur ».

A. DE SMET.

---

(1) Ita C. S. O., 12 Julii 1865 (*Collectanea* I, n. 888, proposito dubio circa liceitatem celebrationis Missæ ad intentionem Turcarum vel aliorum infidelium, respondendum censuit affirmative, « dummodo non adsit scandalum.... et, quoad intentionem, constet nihil mali, aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse ».

In hunc etiam sensum interpretandum est decretum C. S. O., 14 Maii 1779 (*Collectanea* I, n. 874). Ad dubium utrum a Turcis eleemosyna accipi posset et Missa celebrari ad eorum intentionem, respondetur: « juxta propositas facti circumstantias non licere »; ex expositis autem constat speciales illas circumstantias referri potissimum ad superstitiones quas fovebant Turcæ circa cultum S. Antonii, in cujus honorem Missa postulabatur celebranda.

(2) Cf. decr. modò citatum anni 1865.

VI

Q. *Quels subsides sont accordés aux fabriques pour la construction et l'ameublement des églises?*

R. I. Il est toujours loisible *aux communes* d'allouer, dans les limites de leurs prévisions budgétaires, des subsides aux fabriques pour la construction et l'ameublement des églises. Lorsqu'il est établi que les ressources fabriciennes sont insuffisantes pour subvenir à la dépense totale des constructions, restaurations, réparations et embellissements nécessaires, la commune *doit* intervenir: mais rien ne s'oppose à ce que ce soit par voie de *subsides* accordés à la fabrique (1).

II. En cas d'insuffisance démontrée (2) des ressources de la fabrique et de la commune (3) pour faire tous les frais des travaux en question, *l'État* et *la province peuvent* y suppléer par des subsides pris sur les fonds portés à cet effet dans leurs budgets. Mais il est de jurisprudence que ces administrations n'interviennent qu'en cas d'intervention de la commune. Les règles suivies par l'État et la province dans l'octroi des subsides sont différentes: d'après qu'il s'agit de la construction et restauration des édifices du culte ou de l'ameublement des églises; d'après qu'il s'agit de travaux ordinaires ou de travaux artistiques.

---

(1) V. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, nº 1088, 1148 s.

(2) Pour que l'administration, dont on sollicite l'intervention, soit à même de statuer sur les demandes de subsides, celles-ci doivent être accompagnées d'un relevé de la situation financière de la fabrique, pendant les cinq dernières années. V. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 1088.

(3) L'État, d'après la jurisprudence actuellement suivie, se refuse d'allouer aucun subside quand la situation financière des communes n'apparaît pas comme certainement mauvaise. V. une déclaration du Ministre Van den Heuvel aux Chambres, du 27 mars 1900, *Collat. Brug.*, t. V, p. 344.

1° *Travaux ordinaires de construction et de restauration des églises.*

a/ Les montant des allocations données par *le ministère de la Justice* est en règle générale le même que celui du subside de la province (1), sans qu'il puisse être supérieur à un sixième de la dépense totale. En des cas exceptionnels l'intervention de l'État est majorée.

b/ Pour ce qui concerne plus spécialement les subsides accordés pour cet objet par la *province* de la Flandre Occidentale, les bases fixées dans la circulaire, en date du 26 juin 1889, ont été remplacées par le barème indiqué ci-après (2), porté à la connaissance des administrations intéressées par une circulaire du 23 septembre 1900.

Il n'est cependant pas dérogé aux autres dispositions de la circulaire du 26 juin 1889 (3), notamment à celle qui établit que les subsides de la province peuvent être majorés dans des circonstances toutes exceptionnelles et en vertu d'un vote spécial du Conseil provincial.

2° *Travaux aux églises classées comme monuments.*

a/ Un crédit de 100,000 francs est inscrit au budget *du ministère des Sciences et Beaux-arts* en vue d'aider à la restauration des édifices religieux classés comme monuments.

Les allocations de cette nature ne pourront à l'avenir dépasser le montant de celles accordées pour le même objet par le département de la justice, ni être supérieu-

---

(1) Il est des cas ou l'État intervient seul, lorsque la province rejette systématiquement toute demande de subsides. V. *La revue de l'art chrétien*, 1908, t. XLI, p. 72.

(2) V. p. l., p. 50. Les *Collat. Namurcen.* 1908-1909, t. IX, p. 135 ss. communiquent les nouvelles règles que la Députation permanente de la province de Namur a fixées concernant les subsides provinciaux et publiées par une circulaire du 31 déc. 1908. La part d'intervention de la province est fixée à 1/5 quand il s'agit de construction d'églises dans les paroisses nouvelles, à 1/6 lorsqu'il s'agit de reconstruction ou de restauration d'églises. Cette distinction est fort justement établie.

(3) V. De Brabandere-Van Coillie, *l. c.*

res à un sixième de la dépense totale. En conséquence, les administrations intéressées sont invitées, avant d'adresser leur requêtes au Gouvernement, à s'assurer un chiffre de ressources qui, ajouté au montant des subsides de la province, représente au minimum les deux tiers de la dépense à couvrir (1).

Le crédit de 100,000 francs n'est employé qu'à subsidier des travaux *artistiques* et le département de la justice est seul chargé de pourvoir à une partie des frais des grosses restaurations à effectuer aux édifices classés (2).

b/ *Les provinces* interviennent également pour couvrir les frais de ce genre de travaux.

Pour ce qui concerne la province de la Flandre Occidentale (3), la Députation permanente est compétente pour accorder — en dehors du barême qui règle les subsides à prélever sur le crédit destiné aux « Églises et Presbytères » — une subvention spéciale sur le crédit affecté aux « Monuments ».

3° *Ameublement et décoration des églises.*

a/ Le *gouvernement*, par l'intermédiaire du ministère des Beaux-arts et sur le même crédit de 100,000 francs inscrit à son budget, subsidie le placement et la restauration du mobilier *artistique :* vitraux, décoration picturale, autels, restauration de tableaux (4).

b/ *Les provinces* ont la faculté d'allouer des subsides pour le mobilier et la décoration des édifices du culte. Jusqu'à présent la province de la Flandre Occidentale

---

(1) Circ. ministérielle du 20 nov. 1895, *Collat. Brug.*, t. I, p. 323; MOULART, *Des fabriques d'églises*, 9e édit., p. 477. Louvain, 1899.

(2) Déclaration du ministre de la justice en 1893, MOULART, *o. et l. c.*

(3) Circulaire du 23 janvier 1904 publiée ci-après, p. 51. Dans la province de Namur, les demandes de subsides pour des travaux aux églises classées feront l'objet d'une décision du Conseil provincial qui sera saisi des projets lors de la session ordinaire de chaque année. V. *Collat. Namurcen., l. c*, p. 138.

(4) Voir le *Moniteur*, passim. Table v° *Culte*, subsides pour travaux artistiques.

n'a pas jugé opportun d'accorder des crédits pour ce genre de travaux, préférant majorer, en des cas exceptionnels, les allocations consenties pour la construction ou la restauration des édifices. Les subsides accordés par la province de Namur (1) sont, d'après le chiffre de la population, d'un cinquième ou d'un sixième de la dépense pour les meubles reconnus indispensable, dans les paroisses nouvellement instituées; ils sont d'un sixième, en cas de nécessité reconnue, pour l'ameublement d'églises dans les paroisses existantes; les travaux de décoration et de peinture, le placement de vitraux et d'orgues ne sont pas subsidiés (2).

A. De Meester.

---

(1) *Collat. Namurcen., l. c.*, p. 138.

(2) Quant aux conditions mises par les administrations de la province et de l'État à l'octroi des subsides, aux formalités à observer pour obtenir des subsides et pour justifier de leur bon emploi et quant à l'escompte des subsides promis. V. De Brabandere-Van Coillie, *l. c.*; Brixhe, *Dictionnaire des fabriques d'églises*, 2e édit., vo subsides, Liége, 1873; Warnier, *Répertoire de l'administration des communes et des établissements publics*, no 125 ss., Namur, 1911; *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 174.

ALLOCUTIO PII PP. X

habita die XVIII Novembris MCMXII ad sacerdotes consociationi « l'Unione Apostolica » addictos, quinquagesimo recurrente anno ab ejusdem consociationis initio (1).

Je vous remercie, mes bien-aimés confrères, de la délicate pensée qui vous a conduits au Vatican pour célébrer ici, avec votre ancien confrère, le cinquantième anniversaire de la fondation de l'*Union apostolique*. Je vous en remercie du fond du cœur, et je prie le Seigneur qu'il daigne vous récompenser pour cet acte d'exquise charité.

Je me félicite aussi avec vous de ce que vous vous soyez fait inscrire dans cette *Union*, parce que par cet acte vous avez pris à cœur de remplir fidèlement toutes les obligations sacerdotales, obligations que j'ai résumées dans l'*Exhortatio ad clerum* publiée à l'occasion de mon jubilé sacerdotal; en les remplissant nous pourrons nous maintenir fidèles à la vocation à laquelle nous a appelés le Seigneur: *Vocavit vocatione sua sancta:* en d'autres mots nous pourrons ainsi nous élever à la sainteté nécessaire au sacerdoce auquel nous avons été appelés.

Si, parlant des simples chrétiens, saint Pierre les nommait *gens sancta, genus electum, regale sacerdotium*, à combien plus forte raison sommes-nous tenus de justifier ces appellations, nous

---

(1) Vide textum italianum apud *Acta Apost. Sedis*, t. IV, 1912, p. 693 ss. Citamus fere ad verba versionem gallicam ex organo hujus Unionis *Etudes ecclésiastiques*, 1912, p. 345 ss. « L'*Union apostolique* est la fédération des associations sacerdotales dont les membres, unis sous le patronage du Sacré-Cœur de Jésus, souverain Prêtre, observent une règle destinée à assurer leur sanctification et la fécondité de leur apostolat par la régularité de leur vie. » *ibid.*, p. 337. Floret etiam in diœcesi brugensi, et utinam in dies crescat, talis consociatio cleri sæcularis sub titulo *Omnia pro Jesu;* præses ejus est R. A. D. Vander Meersch, Decanus B. M. V. Brugis. Hæc porro Unio annum jubilæum Romæ celebravit mense Novembri elapso, qua occasione Sanctissimus Pater, sodalis olim, nunc vero patronus eximius Unionis laudatam orationem ad delegatos habuit.

qui sommes les représentants de Dieu sur la terre et ses ministres, *quos elegit Deus in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in caritate, quos non dixit servos sed amicos, pro Christo legatione fungentes, ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.*

Mais pour parvenir à cette sainteté, je vous recommande de vous maintenir toujours fidèles à l'observance des règles de votre *Union,* et de bien vous garder de vous dispenser en aucun jour et pour aucun motif, des devoirs qu'elles vous imposent, c'est-à-dire de la méditation, de la lecture spirituelle, de l'examen de conscience, de la visite au Très Saint-Sacrement, parce que en observant ce règlement vous vous conserverez bons et vous deviendrez saints.

Distraits par tant d'autres occupations, il est facile d'oublier les choses qui conduisent à la perfection de la vie sacerdotale; il est facile de se faire illusion et de croire qu'en s'occupant du salut de l'âme d'autrui on travaille par le fait à sa propre sanctification. Mais ne vous laissez pas tromper par ce prétexte, car *nemo dat quod non habet,* et pour sanctifier les autres il faut ne négliger aucun des moyens destinés à nous sanctifier nous-mêmes.

Comme vous l'avez très bien dit, la caractéristique des prêtres de l'*Union apostolique* et leur devise particulière doit être, et est de fait, l'amour du Pape, et cela aussi contribuera admirablement à votre sanctification. Et pour aimer le Pape, il suffit de réfléchir à ce qu'il est.

Le Pape est le gardien du dogme et de la morale; il est le dépositaire des principes qui rendent vertueuses les familles, grandes les nations, saintes les âmes; il est le conseil des princes et des peuples; il est le chef sous lequel nul ne se sent tyrannisé, parce qu'il représente Dieu lui-même; il est le père par excellence, qui réunit en lui tout ce qu'il peut y avoir d'aimant, de tendre, de divin.

Il semble incroyable, et c'est néanmoins une douloureuse réalité, qu'il existe des prêtres auxquels il faille faire cette recommandation; mais nous ne sommes que trop, aujourd'hui, en cette dure, en cette malheureuse condition de devoir dire à des prêtres: aimez le Pape!

Et comment doit-on aimer le Pape? *Non verbo neque lingua, sed opere et veritate.* Quand on aime quelqu'un, on cherche à

se conformer en tout à ses pensées, à exécuter ses volontés et à interpréter ses désirs. Et si Notre-Seigneur Jésus-Christ disait de lui-même : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, ainsi pour montrer notre amour au Pape il est nécessaire de **lui obéir.**

Et c'est pourquoi, quand on aime le Pape, on ne s'arrête pas à discuter sur ce qu'il décide ou exige, ou jusqu'où va le devoir rigoureux de l'obéissance, et dans quelles limites cette obligation s'impose. Quand on aime le Pape, on n'objecte pas qu'il n'a point parlé assez clairement, comme s'il était obligé de redire directement à l'oreille de chacun sa volonté clairement exprimée tant de fois non seulement de vive voix, mais par des lettres et d'autres documents publics ; on ne met pas en doute ses ordres, sous le facile prétexte de qui ne veut pas obéir, qu'ils n'émanent pas effectivement de lui, mais de son entourage ; on ne limite pas le champ où il peut et doit exercer sa volonté ; on n'oppose pas à l'autorité du Pape celle d'autres personnes, si doctes soient-elles, qui diffèrent d'avis avec le Pape. D'ailleurs, quelle que soit leur science, la sainteté leur fait défaut, car il ne saurait y avoir de sainteté là où il y a **dissentiment avec le Pape.**

Ce cri d'un cœur attristé, je le pousse avec une profonde amertume, non pour vous, mes chers confrères, mais avec vous, pour déplorer la conduite de tant de prêtres qui, non seulement se permettent de discuter et de juger les volontés du Pape, mais ne rougissent pas d'aller jusqu'aux désobéissances impudentes et effrontées avec un si grand scandale pour les bons chrétiens et une telle ruine pour les âmes.

Cette plainte, je le répète, n'est pas provoquée par vous, mes chers confrères, vous qui, observant les règles de l'*Union*, faites solennellement profession de votre obéissance, de votre **affection, de votre piété envers le Pape.**

Que Dieu vous maintienne dans ces saints propos et vous fortifie de sa bénédiction. Cette bénédiction, je l'invoque sur vous, **sur vos confrères, sur vos familles, sur toutes les** personnes qui vous sont chères et que vous avez dans l'esprit, pour qu'à toutes elle soit une messagère de pleine et **entière consolation.**

Documents de Jurisprudence administrative

Églises et Presbytères. Monuments. — Subsides de la Province de la Flandre occidentale.

I

Bruges, le 24 Septembre 1900.

Aux administrations communales et fabriciennes dans la Province.

MESSIEURS,

J'ai l'honneur de porter à votre connaissance qu'en séance du 21 Juin dernier, le Conseil provincial a arrêté un nouveau tarif-règlement pour l'allocation des subsides de la Province en faveur de travaux à effectuer aux églises et aux presbytères.

Les bases tracées dans ma circulaire, en date du 26 Juin 1889, insérée au *Mémorial administratif* de la même année, partie générale, pages 282 et suivantes, sont remplacées par le barême indiqué ci-après :

A. — CONSTRUCTION, RECONSTRUCTION, RESTAURATION OU AGRANDISSEMENT D'ÉGLISES.

1° *Dans les communes rurales*, la Province peut intervenir par un subside égal au 1/6 calculé sur un maximum de dépenses de :

75,000 frs	dans une paroisse de moins de	2,500 âmes,
100,000 frs	»	2,500 à 4,000 âmes,
120,000 frs	»	4,000 à 6,000 âmes,
150,000 frs	»	6,000 à 8,000 âmes,
175,000 frs	»	8,000 à 12,000 âmes.

2° *Dans les villes*, les travaux de même nature peuvent être subsidiés sur les bases préindiquées, mais seulement jusqu'à concurrence de 1/8.

B. — CONSTRUCTION, RECONSTRUCTION, RESTAURATION OU AGRANDISSEMENT DE PRESBYTÈRES.

1° *Dans les communes rurales*, la Province peut intervenir par un subside égal au 1/6 d'une dépense limitée à 15,000 frs.

2° *Dans les villes*, le subside provincial peut s'élever au 1/8 d'une dépense maxima de 20,000 frs.

Quant aux autres dispositions de ma circulaire prérappelée, elles sont toutes restées en vigueur.

POUR LE GOUVERNEUR :
Le Député délégué,
Bon BETHUNE.

II

Bruges, le 23 Janvier 1904.

Aux administrations communales et fabriciennes de la Province.

MESSIEURS,

Le Conseil provincial a arrêté, en séance du 21 Juin 1900, un tarif-règlement pour l'allocation des subsides en faveur des travaux à effectuer aux églises et presbytères. Le barême règlementaire, qui a été publié au *Mémorial administratif* de la même année, partie générale, pages 297-98, ne peut être dépassé que dans des circonstances absolument exceptionnelles et en vertu d'une décision expresse du Conseil provincial.

Cependant, lorsqu'il s'agit de la restauration d'une église classée parmi les édifices monumentaux du culte, la Députation permanente est compétente pour accorder — en dehors du barême qui règle les subsides à prélever sur le crédit destiné aux « Églises et Presbytères » — une subvention spéciale sur le crédit affecté aux « Monuments ».

Cette seconde allocation a fait naître chez les administrations fabriciennes et communales l'idée que l'obtention d'un double subside est de droit du moment qu'une église a été inscrite au catalogue des monuments religieux.

C'est là une erreur qu'il importe de prévenir en vue d'éviter des déceptions chez les administrateurs des fabriques d'églises et des communes.

L'allocation de tous subsides provinciaux, particulièrement de ceux qui ne sont pas réglementés par un barême voté par le Conseil provincial, relève de la juridiction gracieuse de la Députation permanente et, dès lors, on ne peut considérer leur octroi comme une obligation. Le Collège provincial se réserve d'examiner, dans chaque cas spécial, — même lorsqu'il s'agit d'une église classée — si les projets soumis à son approbation méritent un encouragement particulier sur le crédit budgétaire spécial pour les monuments ou même sur le crédit ordinaire pour les édifices du culte.

Il est de principe que la Députation permanente octroie ses subsides d'après son propre jugement et sans être tenue de régler sa participation sur les engagements qui seraient acceptés par l'autorité supérieure.

En tout cas, la faveur de l'octroi d'un subside spécial, à imputer sur le crédit destiné à la restauration des monuments ne sera plus appliquée dorénavant qu'aux travaux ayant un caractère réellement artistique ou présentant un intérêt archéologique particulier. Le cas échéant, un départ sera fait entre les ouvrages de ce genre et ceux qui n'offrent pas le caractère monumental, alors même qu'il s'agit d'une seule entreprise.

La Députation permanente a décidé, en séance du 18 Décembre 1903, de maintenir strictement ces règles dans l'examen de toutes les demandes de subsides en faveur de la restauration de monuments et d'en donner information par la voie du *Mémorial administratif*.

Le Gouverneur,
Bon **BETHUNE.**

DE VOCATIONE SACERDOTALI

Oportunum nobis videtur, breviter in memoriam revocato tenore alicujus documenti e Secretaria status nuper emanati circa vocationem sacerdotalem, consectaria quædam practica exinde deducere in usum eorum ad quos, etiam magis remote, spectat examinare, discernere, dirigere juvenes ad sublime sacerdotium aspirantes (1). In parte positiva citatæ epistolæ tria asserta egregie laudanda declarantur: 1° « Neminem habere unquam jus ullum ad ordinationem antecedenter ad liberam electionem episcopi; — 2° Conditionem quæ ex parte ordinandi debet attendi quæque *vocatio sacerdotalis* appellatur, nequaquam consistere, saltem necessario et de lege ordinaria, in interna quadam adspiratione subjecti seu invitamentis Spiritus Sancti ad sacerdotium ineundum; — 3° Sed nihil plus in ordinando, ut rite vocetur ab episcopo, requiri quam rectam intentionem simul cum idoneitate in iis gratiæ et naturæ dotibus reposita, et per eam vitæ probitatem ac doctrinæ sufficientiam comprobata, quæ spem fundatam faciant fore ut sacerdotii munera recte obire ejusdemque obligationes sancte servare queat ».

Omissa quæstione juris relate ad *vocationem canonicam* in primo puncto declarata, et quæ fluit ex ipsa constitutione hierarchica Ecclesiæ, pressius insistamus in dotibus ex parte ipsius candidati requisitis et consequenter a moderatoribus ejus attendendis, ut legitime et prudenter ad ordines sacros promoveri possit: hic complexus qualitatum *vocatio sacerdotalis* appellatur.

---

(1) Vide textum *Collat. Brug.*, t. XVII, 1912, p. 618 sq. *Acta Apost. Sedis*, t. IV, 1912, p. 485. Cfr. *Nouvelle Revue theologique*, t. 44, 1912, p. 709 ss. *Etudes*, t. 132, 1912, p. 764 ss.

Imprimis inter illas qualitates nequaquam reponenda est ut conditio necessaria et in omnibus exigenda « interna quædam adspiratio subjecti seu invitamenta Spiritus Sancti ». His verbis sane non intelligitur desiderium seu voluntas sacerdotii suscipiendi, dum infra requiritur intentio recta, neque excluditur cooperatio supernaturalis Spiritus Sancti in præparandis animabus ad sacerdotium. Negatur vero hanc operationem Spiritus Sancti debere esse invitamentum conscientia nostra perceptibile provocans internam quamdam adspirationem seu inclinationem sensibilem ad dignitatem sacerdotalem.

Duo autem sunt quæ in omnibus, tamquam conditiones necessariæ et sufficientes ad vocationem canonicam, requiruntur, **recta** scilicet **intentio** et **idoneitas.** Quid sit **recta** hæc **intentio** superfluum est multis evolvere: illa est nimirum qua candidati ii velint omnino esse « qui pro muneris officio esse debent », homines Dei, qui « formando in ceteris Christo rite destinantur; » (1) non vero intendant sacerdotium tamquam communem vitæ statum *(une carrière)* commoda temporalia facile afferentem. Huic rei igitur imprimis attendendum est directoribus juvenum ne vulgari et profano animo rem sacram suscipiant, sed ut sursum corda erigant ad Ipsius Christi vestigia premenda generosos discipulos provocabunt.

Idoneitas autem CONSISTIT in pluribus gratiæ et naturæ dotibus, iis scilicet quibus sacerdotii *munera* recte obire ejusdemque *obligationes* sancte servare aliquis queat. Quænam illa munera, quænam illæ obligationes?

Munera hæc tria assignari possunt, sacrificandi, docendi, sanctificandi.

Obligationes vero: prosequendi sanctitatem non com-

---

(1) *Exhortatio Pii X ad clerum catholicum,* ed. J. MAHIEU, Brugis, 1908, p. 6.

munem, neglectis negotiis sæcularibus, perfectam servandi castitatem, reverentiam et obedientiam episcopo promissam exhibendi (1).

Quot autem dotes hæc munera et obligationes exigunt tam ordinis mere naturalis, quam ordinis præsertim supernaturalis! Sacerdos oportet ut sit tum *vir perfectus*, prudens scil. judicio, fortis et constans animo, in passiones suas fretus dominio, in externa loquendi et agendi ratione discretus, affabilis, excultus; tum *sanctus*, ad exemplum Summi Sacerdotis Christi *innocens, impollutus* (2), fide scilicet imbutus, in humilitate, obedientia et maxime sui abnegatione fundatus, comprobatus in castitate sive illibata sive restaurata, sincera pietate enutritus, sola tandem caritate Dei et proximi in omnibus motus et ad omnia etiam heroïca officia paratus: « quicumque enim sacerdotio potitur, eo non sibi tantum sed aliis potitur » (3).

Hæc vero **idoneitas** MANIFESTARI debet et probari per probitatem vitæ et doctrinæ sufficientiam tales quæ spem fundatam faciant sancti sacerdotii.

Externa illa signa, quæ ad vocationem canonicam legitimandam requiruntur, ab omnibus attendi debent ad quos cura juvenum spectat, quos ita graviter admonet Illustrissimus ac Reverendissimus D. Episcopus (4): « Rectoris est, auditis sæpius cooperatorum suorum suffragiis, collatoque cum iisdem consilio, rite invigilare juvenibus, qui medium jam fere curriculum humaniorum studiorum perfecerunt, ut discernat quinam tum dotibus intellectualibus, tum docilitate ac indole bona necnon totius agendi rationis meritis apti, qui vero illis deficientibus inepti videantur ad ordines sacros aliquando suscipiendos... Quodsi hujusmodi ineptum ad sacerdo-

(1) Cfr. H. MAHIEU, *Probatio charitatis*, p. 82 ss.

(2) Hebr. VII, 26.

(3) *Exhortatio ad clerum*, p. 10.

(4) Epistola 13 Decembris 1898 ad omnes Rectores, Magistros et Confessarios utriusque Seminarii necnon Collegiorum.

tium adspirare compererit, eum opportuno tempore... moneat, ne frustra in proposito permanens, ultimo tandem studiorum anno, in sua spe deceptus, repelli debeat; » nisi forte « opportuno tempore monitus ea signa dederit emendationis vel profectus ut jam spes certa sit admissionis ».

Dispositiones autem *intimæ* quæ hisce externis signis subesse debent, ad forum internum pertinent seu ad confessarios spectant. Quemadmodum rectam intentionem ita quoque veram idoneitatem ipsi dijudicandam et evolvendam habent. Iis pœnitentibus quos sacerdotium intendentes repererint, frequenter ob oculos ponant exemplar sublime Christum Jesum, tam dotum naturalium quam virtutum supernaturalium supra enumeratarum typum idealem, ac simul fontem vitæ et sanctitatis quem « qui invenerit inveniet vitam et hauriet salutem a Domino » (1). Sacerdotium quoque exhibeant ut jugum quidem et onus, angelicis etiam humeris formidandum, sed quod propter Christum et cum Christo susceptum suave efficitur ac leve. « Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis et fiet vobis » (2). Media autem omnia ad sanctitatem etiam difficiliora juventuti assignare et inculcare ne cessent, *negativa* prius, prudenter vitandi et constanter superandi peccatorum pericula, *positiva* præsertim, orationem frequentem et ferventem, meditationem, lectionem piam, examen conscientiæ et luctam quotidianam in particulari puncto agendam, rationem in hebdomadaria confessione de conatibus adhibitis sincere ac plena fiducia reddendam, abnegationem sui per frequentes mortificationes etiam corporales absoluta necessitate exercendam (3), super omnia quotidianam communionem

---

(1) Prov. VIII, 35.

(2) Joa. XV, 7.

(3) Matth. XVI, 24. « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum ».

in pharmacum divinum debilitatis et medium supremum sanctitatis acquirendæ, difficultates nimirum generose vincendi, officia quotidiana ex amore Dei persolvendi, salutem proximi ex caritate intendendi et pro modulo procurandi (1). Væ tandem dicat sacerdoti « qui suum locum nesciat, et nomen Dei sancti, cui esse sanctus debet, infideliter polluat; (2) sal infatuatum quod « ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus » (3).

Quanta autem confessariis prudentia et solertia hac in re opus est ne periculum nimiæ indulgentiæ potius quam nimiæ severitatis incurrant præsertim cum juvenibus vitiis carnis indulgentibus! Ideo commonet eos Illustrissimus D. Episcopus (4) ut « sæpius et ferventius invocent lumen Spiritus sancti et attente legant ac sequantur quæ hac de re.... tuto proposuit S. Alphonsus, Ecclesiæ Doctor, in dissertatione *De clérico habituato in vitio turpi, cupienti statim initiari in sacris* (5).... Ibi plurima... reperiet confessarius, etiam ultra quam titulus dissertationis indicat ».

Hisce regulis discernendi et instruendi candidatos ad sacerdotium, recta ratione inspiratis, Ecclesiæ auctoritate et piorum doctorumque usu comprobatis, alias quasdam instructiones in usum juvenum sacerdotium meditantium substituere altioris sapientiæ æstimavit sacerdos in Gallia (6). Hoc opus, cœterum nulla approbatione munitum, sed neque seriis argumentis fulcitum,

(1) Joa. VI, 56-57. « Qui manducat meam carnem et bibit meam sanguinem in me manet et ego in illo.... et qui manducat me et ipse vivet propter me ».

(2) *Exhortatio ad clerum*, p. 64.

(3) Matth. V, 13.

(4) In epistola supra citata.

(5) Theologia Moralis, l. VI, tr. I, *De Sacramentis in genere*, num. 63, ad 77.

(6) H. Mocquillon, « *L'art d'être un Homme* », Paris, Bloud, 1911, Chap. IX, *De la Vocation ecclésiastique*.

infaustum omninò influxum in lectores exercere natum est.

Notemus imprimis quasdam assertiones ad minus erroneas. P. 223, loquendo de passionum motibus quos etiam post sacerdotium susceptum cohibendos et impugnandos habet sacerdos, provocat ad exemplum Christi (1), quasi anima Verbi-Incarnati fuisset subjecta concupiscentiæ, peccati originalis sequelæ. — Nonne blasphematoria sunt hæc verba p. 246 ubi de obligatione usque ad mortem perfectæ castitatis. « En se faisant prêtre n'a-t-il pas *donné*... sa VIE ENTIÈRE à son Dieu ? Eh ! qu'importe que Dieu se plaise à la lui reprendre dans huit ou dix ans par une maladie vulgaire, ou l'oblige à s'immoler chaque jour, en martyrisant son cœur et sa chair et en les privant des aliments interdits qu'ils lui réclament ». In verbo autem Apostoli « *Quotidie morior* » immensam invenit desolationem ! — Ibidem refert et implicite approbat protestationes modernorum contra votum perpetuæ castitatis : « mœurs barbares et dignes des siècles d'ignorance et d'intolérance que furent les temps du moyen âge. » Ecquid, nonne celibatus gloria est et decus sacerdotii nostri, manifestatio gratiæ divinæ et elementum sanctitatis qua fulget vera Christi Ecclesia ? (2) — P. 242 absurde invehitur contra *educationem specialem* quam accipit sacerdos conformem scil. missioni futuræ, quatenus hæc ratio est inferioritatis clerici apostatæ relate ad sœcularia negotia. « Partant de ce principe que le prêtre n'est et ne doit être autre chose qu'un outil aveugle entre les

---

(1) « Le Maître... a voulu avoir la même chair, connaître les mêmes tentations, souffrir les mêmes angoisses que ceux qu'il venait sauver ». « Et si le Christ a consenti à prendre le corps de l'homme, à connaître ses défaillances, ses tentations, les pires souffrances, enfin la mort... » p. 224. Aussi l'A. prend soin de noter, p. 217, « je ne traite aucune question de dogme ». Que serait-ce donc s'il devait en traiter ?

(2) Cfr. H. AUFFROY. *Le célibat des prêtres : Études*, t. 133, 1912, p. 5 ss., p. 206 ss.

mains de ses supérieurs, on ne néglige rien dans les écoles spéciales où on le forme, pour l'amener à réaliser en lui le maximum de *passivité et d'inertie*. Pour être un vrai et un bon prêtre tel qu'on le désire dans les séminaires et les administrations diocésaines, il faut avoir éteint dans son cœur et dans son intelligence tous les germes de la PERSONNALITÉ. » Utinam A. *personalem* imprudentiam in judicando et in loquendo deposuisset : nullum damnum inde passus fuisset nec in ingenio nec in activitate ! Virtutes autem humilitatis, obedientiæ, mortificationis quas et Americanismus passivas ex despectu vocitabat, nullius unquam ingenitas dotes amputaverunt vel minuerunt. — Demum, ne plura afferamus, p. 248 ss. legem omnes, etiam clericos, ad militiam præstandam cogentem laudibus extollit quatenus juvenibus liberam occasionem præbet acquirendi experimentalem cognitionem tum corruptionis sæculi tum animi ad resistendum vigoris, dum olim omnis sollicitudo parentum et magistrorum in eo posita erat ut pericula et occasiones peccandi sedulo præcaverent ! Pulchrum sane educationis systema in quo nativæ hominis debilitati omnis generis pericula ad experimentum virtutis suscitarentur ! Antiqua tamen theologia moralis docet occasionem proximam labendi sub gravi esse vitandam.

Sed jam ad ea quæ directe vocationem spectant properemus. P. 220 ss., agit de signis vocationis. Notemus imprimis ipsam luctam adversus passiones non esse signum vocationis. Ubinam invenit A. ea quæ scribit p. 222 : « On leur a dit.... que la tentation est un signe certain que Dieu les a choisis et les réclame ? » — Inaccurate describit hunc statum certaminis non sufficienter distinguendo inter tentationem et peccatum. Quo autem jure asserit paucos esse conscientiæ directores qui auderent repellere eos quorum perseverantia dubia est ? Nos vero credere malumus directores in Gallia muneris sui et stricti officii memores applicare

doctrinam S. Alphonsi supra citatam, et nullum ad ministerium altaris admittere « nisi cujus castitas ante susceptum ordinem fuerit approbata (1). » — Tandem violentiam tentationum in vita sacerdotali ita in communi adauget ut observatio voti perfecta impossibilis videatur, neque insinuans omnipotens Dei auxilium nobis semper affuturum ut voluntas recte disposita omnes carnis libidines superare valeat, neque rationem habens ingentis firmitatis acquisitæ ex habitu servandæ continentiæ, quinimo hoc ipsum votum perpetuum exhibens ut supplicium crucians et ut fomentum desperationis.

P. 226 s. tractans de pœnis ecclesiasticis injuriose describit consilium episcopi quasi nihil aliud intenderet quam tyrannidem in sacerdotes exercere, eosque ob levia etiam indicia vel innocentes vel inauditos amovere imo et interdicere non vereretur. Miseram dein depingit atque deplorat sortem sacerdotis interdicti vel ad sæculum redeuntis, et sola commiseratione erga ipsum motus invehitur contra despectum et diffidentiam quam omnes ipsi ostendunt. Nonne tamen hæc est impletio verbi Domini supra citati: « quodsi sal infatuatum fuerit, ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus? »

Brevi, vitium radicale hujus elucubrationis de vocatione in hoc est quod spiritum supernaturalem, ipsam animam sacerdotii penitus negligit: excellentiam scil. ejus, gratias speciales quibus misericors Deus fidelem servum cumulat ipsique etiam in humillimo loco felicitatem et pacem quæ exsuperat omnem sensum abundanter impertitur. Ut homo sapit, hominem solum in sacerdote, in sacerdotio humana tantum et temporalia considerat: inde difficultates et incommoda adeo exaggerat ut sacerdos apud lectores non admiratione et fiducia sed commiseratione tantum et despectu dignus

(1) S. Bernardus, *De conv. ad cler.*, c. 21.

videri debeat. Ipsa autem sacerdotum crimina excusat, rectæ opinioni quam fideles de sacerdotio habent irridet, atque apostatis meliorem sortem vindicat. En mysteria sanctuarii quæ juvenibus revelanda suscepit confidens se ita Divini Magistri gloriæ inserviisse! Avertat Magister librum hunc erroneum ac perniciosum a manibus juvenum, ne ipse liber eos a sacerdotio sibi a Deo destinato avertat!

A. LEGRAND.

CONSULTATIONES

I

Quæritur utrum *Instructio* nova in festo SS. Nominis Jesu prælegenda veniat in locum *tum* Instructionis anni 1898, *tum* specialis *Moniti* anni 1903, an vero omitti debeat solum *Monitum?*

Respondendum esse affirmative ad primam partem, negative vero ad secundam partem, liquet:

a/ ex ipsa formula qua Reverendissimus injungit novam Instructionem esse prælegendam « *neglectis ceteris* antea indicatis »: hæc verba enim in plurali et nulla facta distinctione evidenter cadunt in utrumque documentum antea indicatum;

b/ ex verbis ipsius *Instructionis*, in qua resumuntur nonnulla ex utroque documento antea dato.

II

Quæritur utrum post recens injunctam imperatam pro Pace, omittenda sit, in diœcesi Brugensi, alia imperata *pro Papa?*

Respondetur. Non est dubium quin Ordinarius in sua diœcesi possit duas injungere imperatas (1). Verum oratio imperata, maxime constans et quasi perpetua, non est materia favorabilis in jure liturgico (2); imo in rubricis memoratur tantum ad indicandas Missas in quibus non potest recitari. Quare, Ordinarius præscribens novam quamdam collectam imperatam censendus

---

(1) Cf. v. g. decr. 12 mart. 1912, ap. *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 346.

(2) Quod magis quam antea liquet ex novis rubricis quæ notabiliter coarctarunt limites intra quos injungi potest imperata. Cf. *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 462.

est hanc solam præscribere nisi *expresse* statuat utramque esse dicendam. Hoc autem in præsenti casu factum non est. Ergo, nisi Illustrissimus aliter statuat, dicenda est sola collecta *Pro Pace*.

III

Quæritur. In Missa solemni, quid præcise est incensandum immediate post thurificationem crucis : an candelabra, an predella an vero altaris mensa? Quonam modo est perficienda incensatio?

Respondetur. 1° Incensanda est (nisi expositæ sint in altari Reliquiæ (1) ipsa *planities mensæ* altaris et primo quidem *in parte sua posteriori* versus predellam seu candelabra.

Ita docent:

a/ textus rubricæ. Dicit enim *Ritus celebrandi*, IV, 4, de incensatione facienda a medio altaris ad cornu epistolæ: « incensat *Altare*, ter ducens thuribulum æquali distantia prout distribuuntur [vel supponuntur distribui] candelabra, a medio ejus usque ad cornu Epistolæ »; de reditu vero ad medium: « et conversus ad *altare*, elevans manum incensat *ejus planitiem*, seu *mensam in parte anteriori*, ter ducens thuribulum usque ad medium ». Jamvero nomine *altaris* venit seusu proprio mensa altaris cum stipite, non autem retabulum aut predella, de quibus nunquam agunt rubricæ missalis, quæ sunt structuræ adventitiæ ipsius altaris et certe non merentur honorem thurificationis (2). Ergo incensanda est altaris mensa seu planities. Et quum in reditu diserte præscribatur incensanda planitiei *pars « anterior »*, sequitur in eundo a medio ad cornu epistolæ thurificandam esse planitiei *partem posteriorem*. Eodem modo agendum est deinde ex parte evangelii.

---

(1) De quo casu vide *Rit. celebrandi*, IV, 5.

(2) De *candelabris*, quæ supponuntur esse tria, agit rubrica unice ad indicandum quomodo conveniat distribuere tres thuribuli ductus.

b/ Ratio et significatio cœremoniæ. Intendit enim Ecclesia sanctificare, in ordine ad sacrificium offerendum, ipsum altare materiale, simulque honorare personam Christi, repræsentatam a/ in cruce altaris, b/ per ipsum altare. Et ideo altare integrum incensi fumo circumvolvere quærit, eo modo quo hoc fit in ipsa altaris consecratione: incensatur primo ipsa altaris mensa ab Episcopo et dein totus stipes a clerico « qui continuo altare *circuit* incensando ».

Pari modo olim celebrans incensabat semel superficiem mensæ et circuibat totum stipitem, quam ex omni latere thurificabat. Verum postea, propter erectum retabulum et altare muro affixum, impossibilis facta est incensatio lateris posterioris et ejus loco duplicata est incensatio mensæ ita ut nunc thurificetur semel pars posterior ipsius *mensæ*, et semel pars ejus anterior. Ergo nequaquam est habenda ratio predellæ aut retabuli.

c. Auctores communiter, v. g. Van der Stappen, *De celebratione missæ,* q. 283, 3; De Herdt, *S. Lit. praxis*, I, n. 308; Levavasseur, *Manuel de liturgie,* t. I, p. VI, sect. II, c. VII, art. III, n. 163, etc.

2. *Modus* perficiendi hanc incensationem ex præcedentibus sponte sequitur: « ter *ducens* thuribulum ». Quod De Herdt *l. c.* ita merito explicat: « non sunt elevandi oculi, *nec thuribulum in altum projiciendum,* sed ducendum est *prope ipsius altaris superficiem*, ita ut aliquibus tantum digitis distet a mappa altaris ».

C. Callewaert.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Februarii.

—

I

Dijudica valorem argumenti theologici quod in favorem authentiæ *Commatis Joanneï* (Iª Jo. V, 7) desumitur ex decreto Conc. Trid.: « Si quis autem libros ipsos, *cum omnibus suis partibus*, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit....: anathema sit » (Sess. IV), collato quoque Conc. Vatic., Constit. *de Fide catholica,* cap. II (1).

II

Explica cur damnata sit hæc Baii propositio 26ª: « Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio ».

III

Quandonam, quomodo et quibusnam sub cautelis potest communis confessarius, extra tempora privilegiata, absolvere pœnitentem non periclitantem a peccatis Episcopo Brugensi, sive jure communi, sive jure diœcesano, reservatis?

IV

Quid intelligis per *peccatum complicitatis,* cujus absolutio sacerdoti complici gravissime prohibetur (Constitutio Benedicti XIV *Sacramentum Pœnitentiæ)?*

V

Faites connaître brièvement les théories politico-religieuses de Marsile de Padoue et de Guillaume Occam.

VI

Determina quænam sit dicenda Præfatio pro diversitate Missæ et Temporis.

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, hoc fasciculo, p. 17 ss., et t. VIII, pp. 229 ss.

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques*, 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia*, in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi*, Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline; 1,50 fr.

C. Callewaert. *La réforme du Bréviaire, son esprit, ses prescriptions nouvelles*. — Documents et commentaire. (Extrait revisé des *Collationes Brugenses*, 1912). — Bruges, Beyaert; Ad. Maertens-Matthys. — In-8, 64 p. Prix: 0,50 frs.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii, (sub prelo)*. Brugis. Beyaert.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Decembris propositas.

—

I

Q. *Explica epistolam ad angelum (episcopum) ecclesiæ Smyrnæ, quæ refertur in Apocalypsi, c. II, vv. 8-11.*

R. In prima parte suæ Apocalypseos ponit S. Joannes, post visionem quamdam præparatoriam (I, 9-29), septem epistolas scriptas ad septem ecclesias Asiæ minoris earumque angelos. Indubium autem videtur eos angelos esse *episcopos* ecclesiarum ad quas pertinere dicuntur (1); et in favorem hujus sententiæ desumi potest argumentum ex epistola ad angelum Smyrnæ, II, 8-11: etenim omnia quæ ibi de angelo dicuntur, quam perfecte quadrant in S. Polycarpum quem novimus fuisse episcopum ecclesiæ Smyrnensis. Quod ut pateat, comparemus quæ dicit Apocalypsis cum his quæ constant ex historia ecclesiastica.

I. Ex **Apocalypsi**: Dum alii angeli, excepto angelo ecclesiæ Philadelphiæ, reprehenduntur a Christo, angelus Smyrnæ contra, sicut et ipsa ecclesia, nonnisi laudes accipit: *Scio tribulationem tuam et paupertatem tuam,* i. e. persecutiones quas sustentandas habes, et paupertatem temporalem ad quam redactus es, — *sed dives es*, propter opera tua bona et fidelitatem tuam, divitiis nempe spiritualibus. — Revera multa patienda

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. VI, pp. 349 ss.

habet potissimum a parte Judæorum: *blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ* (1): injuste accusaris variorum criminum, — sane potissimum, sicut Judæi alibi facere solebant (2), rebellionis et insubordinationis erga auctoritatem civilem. — Ast persecutio ingravescet: monetur enim angelus et ecclesia Smyrnensis: *nihil horum timeas quæ passurus es* (3). Hæc persecutio secum feret quod nonnulli, pauci tamen, de ecclesia mittentur in carcerem: *ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini.* Hæc persecutio suscitabitur a Judæis: sicut enim persecutio et calumniæ præsentes tribuuntur Judæis qui sunt Synagoga Satanæ, ita in immediate sequentibus *diabolus*, sane iterum per suos cooperatores, Judæos, Christianos in carcerem mittet. — Hæc persecutio brevis erit: *habebis tribulationem diebus decem* (4). — In ea ipse angelus ecclesiæ, et quidem ut videtur ipse solus ex Smyrnensibus (5), mortem subibit: dicit enim Joannes ad ipsum: *Esto fidelis usque ad mortem,* et *dabo tibi coronam vitæ* (6); præterea modus quo Christus designatur in initio episto-

---

(1) Jactant se esse Judæos, de populo illo qui in Vetere Testamento (Num. XVI, 3, XX, 4) ecclesia Dei, seu juxta LXX: συναγωγὴ Κυρίου, dicuntur, sed indigni sunt hoc nomine: synagoga Satanæ vocandi sunt, utpote non opus Domini, sed opus diaboli facientes.

(2) Cfr. Act. Ap. XIII, 50, XVII, 5, 13, XVIII, 12.

(3) Ex his quæ sequuntur desumes persecutionem non esse unice intelligendam ut motam a Judæis tantum, sed etiam a gentilibus, nimirum ab auctoritate romana, quum sine interventu hujus auctoritatis non potuissent Judæi Christianos in carcerem mittere et morte plectere.

(4) Hæc expressio meliori modo intelligitur non de *determinato* numero *decem* dierum, sed de tempore satis brevi.

(5) *Ipse solus*, inquam. Id enim colligi videtur ex oppositione cum reliquis: Quidam ex vobis mittentur in carcerem; et soli Angelo dicitur ut sit fidelis usque ad mortem.

(6) Coronam quæ est vita, vita nempe æterna et beata. — Metaphora *coronæ* in S. Scriptura valde frequens est. (Cfr. I Cor. IX, 24; Phil. III, 14; II Tim. II, 5, IV, 7 s.; I Pet. V, 4, etc.), et desumpta est ex variis ludis et certaminibus in quibus vincentibus corona tribuebatur. Cfr. *Collat. Brug.*, t. XV, pp. 637 ss., 660 ss.

læ, et qui in aliis epistolis relationem habet cum materia epistolæ, hic est: *Hæc dicit primus et novissimus, qui fuit mortuus et vivit* (1): ultima verba optime intelliguntur per allusionem ad mortem angeli quam in corpore epistolæ prædicit; similiter præmium vitæ æternæ quod in conclusione epistolæ promittitur, optime intelligitur per allusionem ad eamdem mortem: *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Qui vicerit, non lædetur a morte secunda,* i. e. qui fidelis manserit et vicerit mortem corporalem, non subibit mortem secundam, æternam (2).

II. Porro ex **Historia ecclesiastica** habemus hæc omnia miro modo convenire S. Polycarpo. Hic enim erat episcopus Smyrnensis, et quidem ab ipso Apostolo S. Joanne constitutus (3). — De fidei debilitate aut aliis vitiis quibus ecclesia Smyrnensis, decursu sæc. I, et in specie circa tempus quo Apocalypsis scripta est, nihil refert historia; contra S. Ignatius, in epistola sua ad Smyrnæos quam scribebat ante a. 107, ipsos sic salutat: Ignatius, qui et Theophorus, *ecclesiæ* Dei Patris et dilecti Jesu Christi, *omne donum per misericordiam consecutæ, repletæ fide et caritate, nulla gratia destitutæ, Deo dilectissimæ et sanctiferæ, quæ est Smyrnæ in Asia...* salutem; — et ipsam epistolam

---

(1) Gr. ἐγένετο νεκρὸς καὶ ἔζησεν: factus est mortuus et vitæ restitutus: *hij stierf en hij herleefde.*

(2) « Eorum (reprobatorum) autem... erit e contrario miseria sempiterna, quæ etiam secunda mors dicitur, quia nec ibi *anima* vivere dicenda est quæ a vita Dei alienata erit, nec *corpus* quod æternis doloribus subjacebit ». (S. Aug., *De civ. Dei,* lib. XIX, 189).

(3) Cfr. Ep. S. Ignatii ad Polycarpum: « Ignatius, qui et Theophorus, Polycarpo, episcopo Smyrnæorum... plurimam salutem »; id. in epistola illa quam Ecclesia Smyrnensis misit ad Ecclesiam Philomelii, quæ vocatur *Martyrium Polycarpi.* (Cfr. Funk, *Patres Apostolici,* (Tubingæ, 1901), pp. 287 ss., 315 ss.); — Tertullianus, *De præscriptionibus,* c. XXXII, « Smyrnæorum ecclesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert »; — idem apud Irenæum, *Adversus Hæreses,* l. III, 4; et Eusebius Cæs., *Hist. Eccl.,* l. IV, c. 14, 3. — Cfr. Lelong, *Les Pères apostoliques, III, Ignace d'Antioche, et Polycarpe de Smyrne* (Paris, 1910), pp. XLV ss.

inchoat: Glorifico Jesum Christum Deum, *qui vos adeo sapientes reddicit;* observavi enim, *perfectos vos esse in fide immobili, ut clavis affixos cruci Domini Jesu Christi quoad carnem et animam et stabilitos in caritate per sanguinem Christi, plena firmaque fide credentes in Dominum nostrum...* (1).

Quod in specie ipsum S. Polycarpum spectat, ex omnibus documentis antiquis, apparet ipse quasi vir fide et virtute præclarus, vere dives sub respectu spirituali. Cfr. epistola S. Ignatii ad Polycarpum, epistola S. Polycarpi ad Philippenses (2), Martyrium S. Polycarpi, c. 5 ss., Eusebius, *Hist. Eccl.*, l. IV, c. XV s.; hinc, ubi proconsul ipsum urgebat ad maledicendum Christo, pleno jure respondere poterat senex: *Octoginta et sex annos servio ei*, nec me ulla affecit injuria; et quomodo possim maledicere regi meo, qui salvum me fecit? — Cfr. quoque quæ Eusebius refert de ipso in *Hist. eccl.*, l. IV, c. 14 s.

Præterea scimus Smyrnæ locum habuisse *persecutionem*, in qua *Judæi* quidem præcipuum locum habuerunt, ut apparet ex Martyrio Polycarpi, c. 12 s., 17 s. (3), sed quæ agebatur ab auctoritate Romana (*ibid.*, c. 8 ss.) — Hæc persecutio *brevis* fuit, ut constat ex eodem scripto, quod sic incipit: « Scripsimus vobis, fratres, de martyribus et de beato Polycarpo, qui martyrio suo velit signaculo quodam persecutioni finem imposuit »; — et c. 19: « Hæc de beato Polycarpo, qui cum iis, qui ex Philadelphia, duodecimus Smyrnæ martyrium est passus »: unde duodecim tantum martyrium subierunt, et ex illis, plures saltem, imo forte reliqui undecim omnes non ex Smyrna sed ex Philadelphia erant oriundi: unde

(1) Cfr. quoque *Martyrium Polycarpi*, specimen utique fidei et caritatis et spiritus christiani ecclesiæ Smyrnensis.

(2) Funk, *o. c.*, pp. 297 ss.

(3) Cfr. Schürer, *Geschichte des Jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi* (Leipzig, 1898), t. III, pp. 11, 39, 54.

iterum ex Smyrnensibus solus Polycarpus mortem subiisse videtur (1).

Hæc persecutio et martyrium Polycarpi locum habuisse videtur a. 155 (2); aliunde autem scimus Polycarpum testari se jam per 86 annos servire Christo; unde ipsius conversio ad fidem ad a. 69 ascendit, quod omnino concordat cum eo quod aliunde constat, ipsum ab ipso Joanne Apostolo qui ad finem sæculi I vitam protraxit, fuisse episcopum Smyrnæ collocatum.

Quæ omnia si conferuntur cum iis quæ ex Apocalypsi novimus, indubium efficere videntur *angelum* illum ad quem scribit Joannes revera esse Polycarpum, episcopum Smyrnæ. Nec ideo mirum videbitur quod quidam putant in hac ipsa epistola (3), haberi allusionem ad *nomen* ipsius: Scio tribulationem tuam, et paupertatem tuam, sed *dives* es, πλούσιος εἶ: quod sensu idem est cum Polycarpus, πολὺς-καρπῶ.

A. Vander Heeren.

II

Q. *Cur falsa est hæc propositio 38ª damnata inter errores Baii:* « Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas quo mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur » (4).

R. I. *Sensus propositionis*. Hæc ad litteram invenitur

(1) De iis ex Smyrnæis qui carcerem subierint, non loquitur Martyrium Polycarpi; nec mirum quum ipsum scriptum ex professo agere intendat tantummodo et *summatim* quidem « *de martyribus et de beato Polycarpo* » (cfr. I, 1, XX, 1).

(2) Cfr. Funk, *o. c.*, pp. XCIX ss. Juxta alios mortem subierit a. 168, et inde Polycarpus Christianus esset ab a. 83: quod adhuc bene compossibile est cum ipsius institutione a Joanne Apostolo. Ita Drach, *Apocalypse de Saint Jean* (Paris, 1873).

(3) Simile habetur in epistola ad angelum Sardis, III, 1: Nomen habes quod vivas, gr. ὄνομα ἔχεις: quod non est, ut voluerunt quidam: famam habes..., flandr.: *gij hebt den naam*, sed, absque articulo: *gij hebt eenen naam*, puta: *Zosimus* vel *Zoticus*. Cfr. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 350.

(4) Denzinger-Bannwart, *Enchiridion*, Ed. 11ª, n. 1038.

in Baii opusculo *De charitate*, c. VI (1). Nomine *amoris* intelligit *actum* amandi, non habitum ; etiam *actum* designat quando dicit *laudabilis illa charitas* (2).

1. Porro docet Baius omnem actum amoris (in creatura rationali) esse vel *vitiosam cupiditatem*, vel *laudabilem charitatem*.

Vitiosa cupiditas dicitur omnis amor erga mundum vel creaturam, qui ad Deum non refertur; laudabilis vero charitas est omnis amor erga Deum, sive Deus consideretur ut creator, sive ut beatificator (3).

Censet nempe Baius amorem nostrum erga Deum esse actum quem operatur in nobis Spiritus Sanctus (4) nec aliquam dari in nobis erga Deum dilectionem quæ est ex solo libero hominis arbitrio absque gratia (5). Omnis proinde amor, qui non est amor erga Deum, est *vitiosa cupiditas: cupiditas*, quia procedit ex concupiscentia: hæc enim dominatur in voluntate et omnis amor voluntatis est actus concupiscentiæ, præter amorem Dei a Spiritu Sancto in nobis productum, quo voluntas liberatur a concupiscentia (6). Dicitur: *vitiosa* cupiditas: quia concupiscentia habitualis est, secundum Baium, ipsum peccatum originale (7): inde omnes concupiscentiæ actus sunt peccaminosi, quia sunt veræ transgres-

---

(1) P. 95 in editione cujus titulus: *Michaelis Baii opera cum Bullis Pontificum et aliis ipsius causam spectantibus*... Coloniæ Agripinæ, 1696.

(2) Dari habitum charitatis infusæ non negat Baius, sed de illius existentia dubitare videtur. *De Charitate*, c. II.

(3) *O. c.*, c. 4.

(4) *O. c.*, c. 3.

(5) *O. c.*, c. 5. Inde, *o. c.*, c. 4, rejicit Baius distinctionem inter dilectionem Dei tamquam creatoris et dilectionem Dei tamquam beatificatoris, eo sensu intellectam quod amor erga Deum, ut creatorem, sit ex solo libero arbitrio, et amor erga Deum, ut beatificatorem, sit ex gratia seu Spiritu Sancto: censet omnem erga Deum amorem esse ex gratia et « amorem creatoris [i. e. erga Deum ut creatorem] non minus diffundi per Spiritum Sanctum in cordibus nostris, atque in Scripturis sacris charitatem nuncupari, quam amorem beatificatoris ».

(6) *O. c.*, c. 6.

(7) Baius, *De peccato originis*, c. 5.

siones illius præcepti: *non concupisces* (1): « Voluntas nondum liberata [per gratiam] cupiditas est, quæ vitium est: igitur non nisi vitiosa cupiditate operatur, quidquid operatur, et sic non nisi ad peccandum movetur » (2).

Hæc est igitur Baii sententia quod in homine omnis amor voluntatis est vel amor erga creaturam, et proinde vitiosus ac moraliter malus; vel amor erga Deum, et proinde est charitas a Spiritu Sancto producta et ideo moraliter bona. Negat Baius dari actum moraliter bonum, qui procedat ex solo libero arbitrio, absque gratia, et sit proinde mere *naturalis*.

2. Hic error logice connectitur cum errore qui jure assignatur ut fundamentalis in systemate Baii, quatenus ex illo alii derivantur (3). Illud fundamentale principium, de quo fusius agemus in quadam sequenti responsione, consistit in hoc quod Baius censet *rectitudinem* primi hominis non esse positive indebitam humanæ naturæ sed esse statum hominis *normalem*, talem qui exigitur ut nullo *malo* afficiatur, nempe non careat debita ipsi perfectione (4). Quum autem per peccatum originale homo nascatur nunc privatus rectitudine ipsi naturaliter

---

(1) Baius, *De peccato originis*, c. 11. Cf. Denzinger-Bannwart, *o. c.*, n. 1050. Cum hoc errore connexa est erronea sententia Baii de *libertate a servitute*, quæ secundum ipsum sufficit ad actum moraliter malum. *De libero hominis arbitrio*, c. 4, 8. Cf. Le Bachelet, ap. Vacant, *Dictionnaire de théologie catholique*, art. *Baius*, col. 43.

(2) Baius, *De virtutibus impiorum*, c. 8. Inde logice sequitur sententia Baii docentis virtutes infidelium esse vitia: secundum Baium omnis actus qui non est charitas ex Spiritu Sancto vel actus consequens ad charitatem est vitium, in infidelibus porro nequit existere charitas illa, quia in infidelibus non est fides quæ prærequiritur ad charitatem: ergo omnes infidelium actus sunt vitiosi et moraliter mali, etiamsi appareant esse virtutes. *O. c.*, c. 4-6. Cf. Denzinger-Bannwart, *o. c.*, n. 1025, 1035, 1067, 1075.

(3) Cf. Le Bachelet, *o. c.*, col. 46.

(4) Censet enim Baius obligari nos ad referendos actus nostros omnes ad Deum, quatenus cognoscitur ex fide, ita ut omnis actus eatenus sit moraliter bonus quatenus procedit *ex fide per dilectionem operante*. Cf. Le Bachelet, *o. c.*, col. 90 s.

debita in ordine ad Deum et quum sit subjectus concupiscentiæ, quæ secundum Baium est peccatum originale, concludit hominem non posse *naturaliter*, h. e. absque gratia Spiritus Sancti, ullum opus moraliter bonum velle et perficere et proinde omnem amorem voluntatis *mere naturalem* esse vitiosum et *moraliter malum,* necnon ad creaturam ita terminari ut nullo modo referatur vel referibilis sit in Deum; inde etiam concludit solum erga Deum amorem, qui a Spiritu Sancto in nobis producitur et vocatur charitas, esse *moraliter bonum.*

II. *Falsitas* propositionis expositæ non difficile innotescit.

1. Nullum datur Revelationis documentum quo edoceamur solos actus supernaturales esse moraliter bonos; vel naturam humanam per peccatum originale ita esse corruptam ut jam nihil boni moralis valeat agere.

E contrario, lumine naturali rationis humanæ constat hominem naturaliter posse cognoscere Deum, existentiam obligationis moralis legisque naturalis; hominem gaudere libertate indifferentiæ quo dominus sit suarum electionum (1), posse agere fine honesto actionesque vel implicite vel explicite ad Deum, Creatorem ac Dominum, referre; nec semper et ubique talem adesse ad bonum faciendum difficultatem moralem, qualem vincere nequeat homo absque gratia. Ex quibus concludendum est posse hominem, etiam in statu naturæ lapsæ, elicere actus moraliter bonos. Præterea si ratio agendi hominum inspicitur, non datur ratio dubitandi quominus homines, etiam infideles de facto, quandoque saltem, opera moraliter honesta producant: quapropter admittendum est præter amorem vitiosum seu moraliter malum et præter amorem supernaturalem seu charitatem, dari amorem *simul naturalem* ac *moraliter bonum* (2).

---

(1) Hoc etiam definitum est in Concilio Tridentino, Sess. VI, c. 1: cf. DENZINGER-BANNWART, o. c., n. 793, 815. Cf. n. 817.

(2) Cf. VAN DER MEERSCH, *De divina gratia,* n. 60 s.

2. Baii propositionis falsitas confirmatur ex falsitate principii a quo derivatur: falsum enim est primi hominis rectitudinem originalem esse debitam humanæ naturæ (1), proindeque falsum est hominem, orbatum illa rectitudine, *privari* rectitudine ipsi debita et *ideo* non amplius valere opera moraliter bona facere ex solo libero arbitrio, absque gratia.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Interpretare præceptum audiendi Missam, quatenus urgeat assistentiam Missæ* integræ, *determinando in specie cujusnam partis omissio inducat gravem violationem præcepti.*

R. I. Præceptum non est intelligendum ac si imponeret solam participationem *in sacrificio,* quo pacto uti sufficiens videri posset assistentia consecrationi Missæ et communioni; intenditur assistentia *toti liturgicæ actioni*, quæ Missa vocatur, utramque partem comprehendenti quæ Missæ catechumenorum correspondet et Missæ fidelium.

Hoc non obscure continetur in textu pro hac materia classico, in capite scil. 64, Dist. I, P. III, Decreti Gratiani (2): « Missas die dominico sæcularibus *totas*

---

(1) Cf. *o. c.*, n. 101 ss.; Jungmann, *De Deo Creatore,* n. 265 ss.; Van Noort, *De Deo Creatore,* Amstelodami, 1912, n. 194 ss.

(2) Caput hoc desumptum est ex Concilio *Agathensi* (506), c. 47. Jam in Concilio *Illiberitano* (300), supponitur inducta obligatio Missam audiendi, cum, cap. 21, puniendus dicitur ille qui « in civitate positus, tres dominicas ad ecclesiam non accesserit »; desideratur tamen textus taxative injungens assistentiam Missæ pro singulis dominicis. Harduinus, *Acta Conciliorum,* II, col. 252.

Jam ab ipsis primordiis Ecclesiæ in usu erat sanctificatio dominicæ in Mysteriorum celebratione coram populi assistentia. Ita habet *Doctrina XII Apostolorum* (ed. Funk), c. XIV, 1: « Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite (εὐχαριστήσατε),... ut sit mundum

audire speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat (1). Quod si fecerint, ab Episcopo publice confundantur ». Idem confirmatur ex variis statutis conciliaribus (2), necnon ex monitionibus SS. Patrum fideles hortantium ut interessent omnibus divinis officiis, quæ primitus a sabbato vespere protrahebantur usque ad dominicam ad vesperas, et exigentium qua minimum assistentiam Missarum solemniis (3).

Tota igitur et *integra* Missa est audienda nec ullam licet ejusdem partem negligere. Datur tamen levitas materiæ; levis autem vel gravis incurritur reatus pro levitate vel notabilitate partis neglectæ.

II. Pro *determinanda gravitate partis omissæ :* a/ attendenda est tum quantitas, tum qualitas partis prætermissæ; b/ ratio est habenda opinionis vulgatæ inter theologos necnon inter ipsum populum fidelem : agitur enim de interpretatione legis, pro qua, deficiente interpretatione authentica, consulenda est interpretatio doctrinalis et

---

sacrificium vestrum ». Cfr. etiam S. JUSTINUS, Apologia I, n. 67 (*S. Justini opera,* ed. Maurinorum, col. 83); *Constitutiones Apostolorum,* l. VII, c. 30, apud FUNK, *Didascalia et Constitutiones Apostolorum,* Paderbornæ, 1906, p. 419.

(1) Primitus Missæ finem imponebat sacerdotis benedictio, cui deinceps accessit evangelium S. Joannis.

(2) Cf. VILLIEN, *Histoire des commandements de l'Eglise,* Paris, 1909, ubi textus in hunc sensum referuntur, p. 33, ex Concilio Aurelianensi (511), ex Concilio Maticonensi (585), p. 34, collatis capitibus citatis, *ibidem,* p. 37 et 42.

(3) Ita *S. Cæsarius,* postquam pro norma proposuerit ut « a vespera diei sabbati usque ad vesperam diei dominici... soli divino cultui vacemus », severè injungit ut « in die (dominico) nullus se a sacra Missarum celebratione separet ». Sermo 280, inter sermones S. Augustini suppositios, *S. Augustini Operum* t. V (ed. Maurinorum), in Appendice, col. 467.

Cf. etiam textum quem exhibet VILLIEN, o. c., p. 38, juxta opus sæculi X, cui titulus *Liber legum ecclesiasticarum,* in quo commendatur assistentia omnium officiorum inde a sabbato vespere, additur autem illum qui proficisci debet ab illis posse abesse, « ea conditione ut Missam suam et preces suas non negligat ».

usualis (1). Etiam hoc notandum, scil., ut omissio aliqua censeatur practice levis, sufficere ut theoreticè non sit *certò* gravis. Quibus præ oculis habitis, hæc proponi posse censemus:

1° *Certò levis* est omissio omnium quæ evangelium præcedunt. Pars enim Missæ evangelio prævia non censetur sufficienti dignitate præstans vel quantitate satis magna, sive absolute sive relative, ut habeatur pro parte Missæ simpliciter notabili: in hoc convenientibus morali consensu Auctorum doctrina simul et mente fidelium.

2° Attentis dignitate partis necnon fine legis, *grave* est omittere consecrationem simul et communionem; imo et solam consecrationem, utpote in qua tota essentia sacrificii continetur.

3° Attenta partis quantitate, *gravis* censetur omissio omnium quæ offertorium præcedunt simul et eorum quæ communionem excipiunt; attenta quantitate pariter et qualitate, pro gravi etiam habetur negligere partem Missæ pertingentem usque ad offertorium inclusive.

4° *Probabile* est, adeoque *practice tutum*, pro *gravi non haberi* omissionem totius Missæ catechumenorum, partis scil. quæ decurrit usque ad offertorium exclusive (2).

Cui benigniori opinioni favet quod partes Missæ offertorio præeuntes minus intimè pertineant ad Sacrificii oblationem, sed potius rationem habeant cæremoniæ præviæ, quodque earum omissio integram relinquat Missam quæ olim uti propria reservabatur fidelibus. Major

---

(1) Attende igitur ad hoc quod, in hac quæstione, Auctorum opinio elementum sit ad solutionem conferens, quodque non modò valorem habeat auctoritatis extrinsecæ, sed et valorem argumenti æquivalenter intrinseci.

(2) Indifferenter dicitur a Doctoribus pars decurrens usque ad evangelium inclusive, et pars pertingens usque ad offertorium exclusive: non attenditur nempe *Credo*, utpote quod elementum Missæ constituit non regulare.

etiam pars Auctorum, maxime recentiorum, propositam sententiam ceu probabilem ducunt (1).

Corollarium. Stante probabilitate sententiæ, levem consentis omissionem Missæ ab initio usque ad offertorium exclusive, debet confessarius hujus sententiæ rationem habere in dijudicando reatu a pœnitente contracto; non potest etiam, de hoc determinatè interrogatus, sententiam severiorem urgere. Caveat tamen ne, extra casum interrogationis huc determinate spectantis, benigniorem solutionem inopportune suggerat vel communicet. Potius, in suis instructionibus, sive privatis in

---

(1) Evolutio quædam per decursum temporis observatur in appretianda gravitate partis omissæ. Olim severius judicabant Auctores, et plerique, uti notat DUBLANCHY, apud *Dictionnaire de Théologie*, v° *Dimanche*, col. 1339, opinabantur a gravi excusari non posse cæremonias Missæ omittentem usque ad evangelium inclusive.

Deinceps latior prævaluit interpretatio, ad quam duxisse videtur SUAREZ, qui (in III P., qu. 88, sect. 2), postquam ut laxiorem proderat opinionem in textu propositam, eam tamen tolerandam essse dicit, modò evangelii loco assistatur evangelio finali S. Joannis, cui interesse non deberent fideles juxta legis statutum. Jam CARD. DE LUGO, *De Euchar.*, Disp. XXII, Sect. I, n. 3, postquam dixerat communiter haberi uti grave, si Missa usque ad evangelium inclusive negligatur, refert etiam doctrinam benigniorem Suarezii, notando eam non posse prodi ut improbabilem et temerariam, siquidem tot ac talibus fulcitur Auctoribus. In eumdem sensum scripserunt SPORER, *In III Præcept. Decalogi*, c. IV, Sect. I, n. 20, necnon SALMANTICENSES, *Cursus theol. mor.*, tr. V. cap. VI, Punct. I, n. 2, ita ut sensim agnosceretur latioris solutionis probabilitas.

Hanc probabilitatem tuetur etiam S. ALPH., *Theol. Mor.*, l. III, n. 310, ubi varii adducuntur theologi antiquiores; cui S. Doctori accesserunt Auctores moderni passim. Cf. GURY-BALLERINI, *Comp. Theol. Mor.*, n. 342; BALLERINI-PALMIERI, *Opus Morale*, tract. VI, Sect. III, n. 106; VAN DER VELDEN, *Principia Theol. Mor.*, t. I, n. 86; HAINE, *Theol. Mor. elementa*, 3ia ed., t. I, p. 410; BUCCERONI, *Institutiones Theol. Mor.*, t. I, n. 642; AERTNYS, *Theol. Moralis*, ed. 2a, l. III, n. 132: D'ANNIBALE, *Summula Theol. Mor.*, ed. 4a, t. III, n. 125; MARC, *Institutiones Mor. Alphons.*, 2a ed., I, n. 672; BERARDI, *Theologia Mor.*, 1904, t. II, n. 594; LEHMKUHL, *Theol. Mor.*, ed. 9a, t. I, n. 560; GENICOT-SALSMANS, *Institutiones Theol. Mor.*, ed. 7a, I, n. 339; NOLDIN, *Summa theol. Mor.*, t. II, 1904, n. 264; SABETTI, *Comp. Theol. Mor.*, 1884, n. 242; MORINO, *Manuale Theol. Mor.*, 1887, n. 487; H. LAHOUSSE, *Tractatus de SS° Euch. Mysterio*, n. 208; GASPARRI, *Tractatus canonicus de SS. Euchar.*, II, n. 958.

confessionali, sive publicis in cathedra, moneat fideles omni conatu nitendum esse ut integra Missa, ab initio ad finem usque, excipiatur; posse tamen contingere ut quis tardius veniat, et, si hoc accidat, neminem esse inquietandum nec ad alterius Missæ assistentiam cogendum, si ante evangelium seu ante libri translationem accesserit: in hoc scil. theologos unanimiter convenire (1). Hac minirum ratione nec læditur veritas, nec ansa præbetur gravibus abusibus qui sponte irreperent, si passim notum esset Missæ assistentiam, citra gravem præcepti læsionem, posse inchoari inde ab offertorio.

IV

Q. *Titius, die dominica, tardius ad ecclesiam accedens, Missæ assistit inde a præfatione, et, absoluta hac Missa, alteri assistit usque ad præfationem. An, in priori Missa, satisfecit præcepto? Quodsi negative, an rite supplevit defectui?*

R. **Ad I^m**: Non satisfecit præcepto, sed illud graviter violavit Titius, siquidem partem certò notabilem neglexit, quemadmodum ex modò dictis, sub Responso ad III^m Quæstionem, liquet. Tenetur proinde idem Titius sub gravi defectui supplere; dubitatur autem utrum debeat, si copia sit, aliam Missam audire, an vero ipsi sufficiat alteri Missæ partim assistere, pro rata partis in priori Missa omissæ, ad præfationem scil. usque. Unde

Ad II^m.

Solutio pendet a quæstione inter theologos mota, an et quousque impleatur præceptum de Missa audienda per assistentiam præstitam duabus distinctis Missis dimidiatis, quarum partes se mutuò respective compleant.

(1) Etiam Sporer, notat se ita procedere: « De futuro quidem nulli consulo (sequi sententiam faciliorem); de præterito tamen neminem peccati gravis damno ». *Theologia Moralis*, t. III, Tract. III, C. IV, Sect. I, n. 20.

Jamvero solvitur hæc quæstio sub distinctione:

1° Si intelligitur assistentia *simultanea*, quatenus quis eodem tempore duabus Missis intersit, quarum una inchoatur, altera pervenit ad consecrationem, ita ut antequam altera finiatur, prior consecrationem attigerit: tunc non impletur præceptum.

Quod probatur ex damnatione ab Innocentio XI (2 Martii 1679) propositionis 53ª, sic sonantis: « Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor *simul* a diversis celebrantibus audit (1). Confirmatur hoc ex ratione quam suggerit Billuart, *In III P.*, Diss. VI, art. 5, quia scil. « auditio Missæ ex natura et institutione sua, ac etiam ratione mysteriorum quæ repræsentat, est res successiva, cujus partes simul esse non possunt ».

2° Si intenditur assistentia *successiva*, subdistinguendum: a/ Non censetur præcepto satisfieri si consecratio et communio non pertinent ad eamdem Missam, uti contingeret cum eo qui a Missa recedens post consecrationem, alteri Missæ assisteret inde a consecratione transacta. Ratio est quia, sejuncta consecratione a suo naturali complemento Sacrificium integrante, mutilatur Sacrificium, nec adeo assistitur in casu nisi mutilato Sacrificio.

b/ Si consecratio et communio ad eamdem Missam pertinent, probabile est præceptum substantialiter impleri. Ex una namque parte, Sacrificium cui participat sic assistens est integrum et perfectum; ex alia autem parte omnibus liturgicæ actionis partibus interfuit. Nec substantiam præcepti spectare videtur ordo inter varias cæremonias, ubi salvus supponitur ordo in ipsa actione sacrificali.

Huic doctrinæ assentiuntur auctores moderni (2),

---

(1) Denzinger-Bannwart, *Enchiridion*, n. 1203 (1070).

(2) Videsis apud S. Alphonsum (ed. Gaudé), l. c., n. 311, relatos auctores antiquiores qui assertæ opinioni favent.

moraliter unanimes (1), et quidem ita ut nonnulli inter illos putent præceptum etiam servari probabiliter in hypothesi de qua sub a/.

Quibus præmissis, sponte solvitur casus propositus sub II: patet nempe Titium rite supplevisse defectui et substantialiter implevisse præceptum. Profectò melius fuisset, et in hunc sensum fuisset hortandus, si novæ Missæ integræ astiterit.

V

Q. *Quænam generatim attendi juvat pro dijudicanda gravitate causæ, quæ ad excusandum a præcepto audiendi Missam sufficiat?*

R. I. Præceptum Missam audiendi inducit obligationem *ex genere suo gravem*, uti jam notavimus sub responso ad III^m^ Quæstionem. Quæ præcepti gravitas docetur ab *Innocentio XI*, propositionem 52^m^ damnante: « Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus » (2). Idem probatur ex ipso objecto circa quod versatur præceptum, necnon ex gravitate obligationis qua tenemur, vi ipsius legis naturali-divinæ, cultum exhibere Deo, cujus legis naturali-divinæ determinativa est lex ecclesiastica de Missa audienda. Accedit confirmatio ex gravibus et severis sanctionibus quæ, variis Ecclesiæ temporibus, præcepto adnexæ fuisse conspiciuntur (3).

---

(1) Gury-Ballerini, l. c., n. 343; Ballerini-Palmieri, l. c., n. 109; Van der Velden, l. c.; Haine, l. c.; Bucceroni, l. c.; Aertnys, l. c., n. 133; D'Annibale, l. c.; Marc, l. c., n. 673; Berardi, l. c.; Lehmkuhl, l. c.; Genicot-Salsmans, l. c.; Noldin, l. c.; Sabetti, l. c.; Morino, l. c., n. 488; Lahousse, l. c.; Gasparri, l. c., n. 957; Rath, *Instit. theologicæ de Eucharistia*, 1911, n. 564; Cornelisse, *Comp. Theol. Mor.*, n. 386; Bulot, *Compend. Theol. Mor.*, 1908, t. I, n. 352.

(2) Denzinger-Bannwart, o. c., n. 1202 (1069).

(3) Jam in textu Concilii Agathensis, suprà relato, additur quod legem transgredientes sint publice ab Episcopo confundendi. Graves etiam impecrecationes contra violatores pronuntiatæ referuntur apud Villien,

II. *Gravis* igitur *postulatur* causa ut quis ab observando præcepto excusetur; quæ gravis causa reducitur ad incommodum grave seu grave detrimentum vitandum, proprium vel alienum, sive in anima, sive in corpore, sive in bonis fortunæ, sive in honore et fama.

Per se etiam, *et solo attento præcepto, tanquam sufficiens* haberi potest incommodum respective grave, ut permittatur aliquem a Missa audienda semel vel iterùm abstinere — in quo nonnunquam scrupulosi nimis reperiuntur boni nostri christiani, de violato præcepto sese in confessione accusantes non obstante causæ abundè excusantis præsentia.

Attamen *per accidens,* quotiescumque intenditur, non quidem singularis aliqua, sed *frequens* Missæ omissio, severius est procedendum et gravis admodum causa est exigenda ut sinatur aliquis frequenter, vel potissimum continuò, Missam negligere, maximè si agatur de persona aliunde in divino famulatu socordi et sensu christiano minus imbuta (1).

Eo enim ipso in causa est non tantum legis de Missa

---

o. c., p. 33, juxta antiqua documenta græca; ita: « si quelqu'un sorte de l'Eglise avant que le prêtre cesse, qu'il soit maudit »; vel: « Malheur à ceux qui n'entendent pas la sainte liturgie dans l'église, parce que je les livrerai au Tartare ». *Ibidem,* p. 40, adducitur constitutio ecclesiastica anni 1016, in qua statuitur ut qui in neglectu audiendæ Missæ obstinatus remaneat « ob negligentiam vapuletur et depiletur »; item, in dispositione Concilii Szabolchen. (1092), c. 11, legitur in hoc negligentes esse verberibus corripiendos. In Concilio autem Tolosano (1229) decernitur, c. 25: « quod parochiani, dominus et domina cujuslibet domus, dominicis et festivis diebus... teneantur ad ecclesiam venire, audituri ibidem ex integro prædicationem et divinum officium, nec inde recessuri donec Missa compleatur omnino. Quodsi alter ipsorum absens fuerit extra villam, vel alia de causa rationabili præpeditus, alter saltem teneatur venire. Quodsi non fecerint... 12 denarios Turonenses solvere quilibet teneatur: quorum medietas sit domini villæ, et alia sacerdotis et ecclesiæ ». HARDUINUS, o. c. t. VII, col. 180. Has autem dispositiones memorat et confirmat Conc. *Biterrense* (1233), apud HARDUINUM, l. c., col. 209.

(1) Casus esset pro opifice vel famulo seu famula, cui, attenta laboris præstandi indole, vel attentis famulatus adjunctis, copia passim vel et semper deficeret Missam frequentandi in diebus de præcepto.

audienda observatio, sed summopere interest ipsius vitæ christianæ conservandæ penes fideles. Et sane, quemadmodum providè monet Ill^mus ac Rev^mus Episcopus Brugensis, in Congregatione prosynodali anni 1899 (1), « si rem in concreto consideraverimus, in præsentibus temporum ac locorum nostrorum adjunctis, nonne verum est auditionem Missæ, in diebus de præcepto, non solum præcipuum sed et unicum esse exercitium divini cultus multis e populo, quo simul et necessitati, tum medii tum præcepti, orandi satisfaciant, simulque solam opportunitatem audiendi verbum Dei inveniant? Unde et sensus populi nostri, qui rigidior primo aspectu videtur, quatenus eos qui passim præceptum audiendæ Missæ negligunt, quasi acatholicos habet, reipsa, omnibus inspectis, non ita longe abest a veritate: in re enim ipsa, qui jam viam ecclesiæ die dominico non inveniunt, omnia munia christiani hominis negligunt, et brevi ignorantia crassa in re religiosa omnique vitio laborare solent ».

III. Si quis, omnibus perspectis, a Missæ assistentia, diebus dominicis et festivis, universim excusari contingat, ideo non liberatur a servando præcepto naturali-divino colendi Deum et vacandi divinis. Unde teneretur ad præstandum, extra limites præcepti ecclesiastici, jus naturali-divinum determinantis, certos actus cultus divini. Juxta nonnullos etiam Auctores (ita juxta LEHMKUHL, o. c., n. 567), Missæ Sacrificio interesse deberet talis persona, interdum per anni decursum, diebus ferialibus; hæc tamen obligatio, cum non videatur de ea sufficienter constare (2), non foret imponenda, quantumvis Missæ assistentia, utpote quæ eximium actum cultus importat, esset consulenda (3).

(1) *Collat. Brug.*, t. IV, p. 376.

(2) SUAREZ, l. c., Sect. 1ª; GASPARRI, o. c., n. 947.

(3) « Quanquam autem, sic scribit CARD. GASPARRI, l. c., invictis argumentis non probatur fideles ad Missam audiendam aliquoties in

Le temps (spatium) du *Pentecoste*, un temps d'allé-

---

(1) *Sermo CCXIX* (t. V, col. 1400).
(2) *Ad uxorem* II, c. 4.
(3) Tert. *De baptismo,* c. 19.

gresse (lætissimum), que S. Augustin nommera plus tard la « quinquagesima » de joie, en opposition avec la « quadragesima » de pénitence, succède aux jours de jeûne du *Pascha*. On y célèbre le souvenir de la résurrection et de l'ascension du Christ, qui a promis de redescendre un jour du ciel où il est monté; on y remémore la descente du Saint Esprit sur les apôtres. Le temps de « Pentecoste » comprend donc, d'après Tertullien qui s'attache à la signification étymologique du mot, les *cinquante* jours mathématiquement comptés qui s'écoulent du jour de la résurrection au jour anniversaire de la venue de l'Esprit Saint. Il se répartit sur sept semaines, en y comprenant les *deux* dimanches de notre Pâque et de notre Pentecôte actuelles (1).

Durant toute cette période, comme le dimanche d'ailleurs aussi, il était défendu de jeûner et de célébrer les offices liturgiques à genoux. « Die dominico jejunium nefas ducimus vel de geniculis adorare. Eadem immunitate *a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus* ». Ainsi s'exprime Tertullien dans son traité *De corona militis* ch. 3, et il reprend la même idée dans *De oratione* ch. 23. Le dimanche « solo die dominicæ resurrectionis », nous n'admettons ni génuflexion, ni aucune pratique de pénitence; et, ajoute-t-il: « Tantumdem *et spatio Pentecostes* quod eadem exsultationis solemnitate dispungimus ».

La comparaison de ces trois textes avec les citations précédentes de Tertullien montre clairement, que le temps du « Pentecoste », destiné à commémorer les mystères joyeux de la vie du Rédempteur, est opposé comme un temps de joie aux jours de jeûne du « Pascha »,

---

(1) La séparation du Pascha et du Pentecoste est plus nettement encore marquée dans *Testamentum Domini* « *Paschæ solutio* fiat *media nocte*, quæ sequitur sabbatum. In *pentecoste* nemo jejunet, neque genua flectat: sunt enim illi dies dies quietis et lætitiæ ». (II, XIII, ed. RAHMANI, Mayence, 1899, p. 135). Au Pascha se rattache toujours l'idée de jeûne, v. ibid. II, XI, p. 135; II, XVIII, p. 139.

qui célébrent la passion (1) et la mort du Christ et son repos au tombeau. Il en résulte que la fête annuelle de la résurrection ne s'appelait pas encore « Pascha », mais qu'elle ouvrait la cinquantaine du « Pentecoste ».

Comme le baptême était solennellement conféré la veille de la résurrection et la veille de la descente du Saint Esprit, Tertullien, appliquant à cette cérémonie une prophétie de Jérémie (XXX, 8): « Et congregabo illos ab extremis terræ in die festo », semble voir dans ce « dies festus » du prophète l'annonce de toute la période qui va du Vendredi-Saint au jour de Pentecôte: « *Pascha diem* significat *et Pentecostes, qui est proprie dies festus* » (2). C'est là, au début du IIIe siècle, la grande, je pourrais dire la seule fête de l'année ecclésiastique(3).

C'est à cette grande et solennelle commémoration de la mort, de l'ensevelissement, de la résurrection et de l'ascension du Sauveur du monde qui enverra l'Esprit Saint sur les Apôtres au jour de la Pentecôte, que les chrétiens du quatrième siècle tâcheront de se *préparer* dignement par une période de quarante jours de pénitence et d'ascèse. Telle est l'idée qui inspira l'institution de la *Quadragesima,* du carême.

(A suivre). C. CALLEWAERT.

---

(1) *Adv. Judæos* c. 10 « Moyes... adjecit *Pascha* esse *Domini,* id est *passionem Domini* ».

(2) *De baptismo* ch. 19.

(3) Cette conclusion se trouve admirablement corroborée par le témoignage d'Origènes, qui quelques dizaines d'années plus tard, explique comme quoi le chrétien parfait peut célébrer d'une manière constante mais spirituelle le dimanche, le vendredi, le Pascha et le Pentecoste. En dehors des deux jours de la semaine fêtés régulièrement, l'un dans la joie, l'autre dans la pénitence, Origène ne connaît qu'une double fête annuelle. En expliquant le *Pascha,* il n'est question que de l'immolation du Christ et de notre passage spirituel des choses terrestres à Dieu vers qui nous devons nous élever dans toutes nos pensées, nos paroles et nos actions. D'autre part, « celui qui peut dire en vérité: simul resurreximus cum Christo (Col. III, 1) et: conresuscitavit et consedere fecit in cœlestibus in Christo (Eph. II, 6), celui-là est toujours dans les jours du *Pentecoste* » qui rappellent en outre la venue du S. Esprit (*Contra Celsum*, VIII, 22). Voir encore *In Numeros homilia* XXIII, 6.

S. Congregatio Consistorialis

DECRETUM (1)

Circa actiones scenicas in ecclesiis.

Postremis hisce annis haud raro contigit ut per *cinematographa* et *projectiones,* ut aiunt, actiones quædam scenicæ in ecclesiis haberentur. Quod, etsi pio juvandæ religiosæ fidelium institutionis desiderio peractum fuerit, visum tamen est periculis atque incommodis facile locum dare.

Quum itaque nonnulli Sacrorum Antistites ab Apostolica Sede quæsiverint utrum ejusmodi usus tolerari possit an potius cohiberi debeat, ad Emos S. Congregationis Consistorialis Patres delata res est. — Porro hi considerantes, ædes Deo dicatas, in quibus divina celebrantur mysteria et fideles ad cælestia et supernaturalia eriguntur, ad alios usus et præsertim ad scenicas actiones etsi honestas piasve agendas converti non debere, quaslibet projectiones et cinematographicas repræsentationes prohibendas omnino esse in ecclesiis censuere.

Ssmus autem D. N. Pius PP. X sententiam Emorum Patrum ratam habuit confirmavitque, atque hoc jussit edi generale decretum, quo ea agi in ecclesiis prohibetur.

Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romæ ex S. C. Consistoriali, die 10 decembris 1912.

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
Scipio Tecchi, *Adsessor.*

(1) *Acta Apostolicæ Sedis,* 1912, p. 724.

S. Congregatio Rituum

DECRETUM (1)

Adprobationis Antiphonalis diurni Romani.

Antiphonale diurnum sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ, ad normam Constitutionis apostolicæ *Divino afflatu* diei 1 novembris MCMXI (2) juxta novum psalterii cursum diligenter dispositum, typis Vaticanis nunc demum feliciter prodiit. Cum autem cantum gregorianum exhibeat vel a Patribus acceptum vel, ubi opus erat, eodem stylo concinnatum juxta apostolicas Litteras sanctissimi Domini nostri Pii divina providentia Papæ X Motu proprio datas die XXV aprilis MCMIV, sacra Rituum Congregatio hanc ipsam editionem uti typicam ab omnibus Romanæ Ecclesiæ ritu utentibus habendam esse declarat, atque decernit ut in posterum melodiæ gregorianæ in futuris editionibus contentæ, prædictæ typicæ editioni sint conformandæ, quin derogetur ipsius sacræ Rituum Congregationis decretis datis diebus XI aprilis MCMXI, n. 4263, *super editione Vaticana ejusque reproductione quoad libros liturgicos gregorianos* (3), et VIII julii MCMXII *circa modulandas monosyllabas vel hebraicas voces in lectionibus, versiculis et psalmis* (4).

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 decembris 1912.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secret.*

(1) *Acta Apost. Sedis,* 1912, t. IV, p. 727.
(2) *Collat. Brugen.,* t. XVII, p. 43.
(3) *Ibid.,* p. 721.
(4) *Ibid.,* p. 616.

Document de Jurisprudence administrative

Circulaire ministérielle. — Travaux aux édifices du culte. — Nécessité d'employer autant que possibe des matériaux de provenance nationale.

Une circulaire du gouverneur du Brabant, en date du 20 octobre 1912 (1) communique aux administrations fabriciennes et communales une dépêche du ministre de la justice, conçue en ces termes :

« M. le Ministre des chemins de fer, postes et télégraphes a recommandé aux administrations qu'il dirige de donner, pour les travaux de construction et autres, exécutés par elles, la préférence aux matériaux et produits nationaux, fût-ce même au prix d'un certain sacrifice. Mon honorable collègue, qui attache une grande importance à cette question, estime que les travaux dont il s'agit doivent, dans toute la mesure possible, être mis en harmonie avec les ressources étendues que le pays fournit. En fait de pierres, notamment, dit-il, nous disposons d'éléments de haute valeur appropriés au climat comme aux tonalités locales et il ne se conçoit réellement guère qu'ayant ces richesses sous la main, nous fassions appel à des matériaux venant de l'étranger et dont la valeur est souvent moindre à tous égards. En conséquence, sans vouloir faire œuvre de protectionnisme outrancier, il a prescrit de dresser les plans en vue de l'utilisation des produits du pays.

» La question de la concurrence faite aux matériaux et produits indigènes par ceux de provenance étrangère a, de tout temps, préoccupé mon département. Partageant à cet égard les vues de mon honorable collègue du département des chemins de fer, postes et télégraphes, je vous prie de vouloir bien recommander aux administrations fabriciennes

(1) *Revue de l'administration*, 1913, t. LX, p. 36.

et communales de prescrire, pour la confection des projets de travaux de construction ou de restauration d'édifices affectés au service des cultes, l'emploi de matériaux ou produits du pays de préférence à ceux d'origine étrangère, toutes les fois que cette préférence pourra se concilier avec une économie bien entendue et qu'il sera possible de se procurer en Belgique les matériaux et produits nécessaires en quantité suffisante et de qualité égale ou à peu près égale à celle des objets de même nature que l'on tire de l'étranger.

» De votre côté, vous voudrez bien, Monsieur le Gouverneur, avant de me transmettre les dossiers relatifs à l'exécution de travaux de l'espèce, vérifier s'il a été tenu compte de cette recommandation et me signaler, le cas échéant, les raisons qui pourraient justifier une dérogation à la règle indiquée.

» Mon département se réserve d'examiner, chaque fois qu'il sera saisi de projets de travaux prévoyant l'emploi de matériaux étrangers, s'il y a lieu pour lui d'intervenir par voie de subsides dans le coût de ces travaux. »

CONSULTATIONES

I

Quæritur num, ad offertorium, Missæ solemnis, debeat subdiaconus offerre sacerdoti celebranti aquam *in cochleari* benedicendam an vero *in ampulla?*

Respondetur. Nullum dubium quin a subdiacono offerri et a celebrante benedici debeat tota aquæ massa quæ ampulla continetur, non solum parva quantitas quæ cochleari ex ampulla hauritur.

Dicit enim *Ritus celebrandi*, de Missa privata, tit. VII, 4: « producit [celebrans] signum crucis *super ampullam aquæ* et dicit: *Deus qui humanæ...* ». De Missa vero solemni, tit. VII, n. 9: « Subdiaconus interim *ampullam aquæ* ostendens celebranti dicit: *Benedicite, Pater reverende*, qui facto *versus eam* signum crucis, dicit orationem: *Deus qui humanæ* ».

Cæterum cochlear a rubricis ignoratur et tantum ex consuetudine particulari (decreto n. 3064, 4, expresse probata) in Missa admittitur. Præterea in Missa privata sacerdos benedicit aquam *antequam* parvam quantitatem hauriat ope cochlearis. Cur non esset faciendum idem etiam in Missa cum assistentia?

II

Quæritur quomodo distribuenda sint verba dum fit incensatio ad offertorium.

Respondetur. Distributio verborum ab ipsa rubrica (*Rit. celebr.* VII, 10) disertissime indicatur pro incensandis *oblatis;* pro Crucis vero et altaris incensatione celebrantis libertati relinquitur, modo tota formula adaptetur integro ritui incensationis.

Quum tamen incensatio *crucis* rite distinguatur et reverentiâ cruci factâ separetur ab incensatione *altaris,* omnino logicum videtur nobis-quamvis plures auctores aliter statuant — trinæ incensationi crucis adaptare verba primæ orationis sensum completum exhibentis: 1/ *Dirigatur Domine oratio mea* — 2/ *sicut incensum* — 3/ *in conspectu tuo.*

Cætera autem verba sequenti modo distribui possunt: 1/ *Elevatio — manuum — mearum* = 2/ ad cornu epistolæ: *sacrificium — vespertinum* = 3/ ad partem anteriorem mensæ: *pone Domine — custodiam — ori meo,* = 4/ ad partem posteriorem versus cornu evangelii: *et — ostium — circumstantiæ* = 5/ ad cornu evangelii: *labiis — meis,* 6/ ad mensæ anteriorem partem: *ut non — declinet cor meum;* 7/ ad frontem altaris: *in — verba — malitiæ* = *ad excusandas — excusationes — in peccatis.*

C. Callewaert.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

H. Bolsius. *Un miracle de N.-D. de Lourdes. Pierre De Rudder et son récent historien.* Paris, Téqui, 1913, in-12, x-124 p. F. 2.

Le critique catholique est parfois dans la nécessité de faire une besogne analogue à celle du médecin-légiste autopsiant un cadavre en décomposition. Il doit mettre à nu toutes les turpitudes de certains pamphlets lancés dans le public par haine contre la religion: subtilisation de pièces à conviction, falsification de la portée des documents, injures à la mémoire des défunts, interprétation malicieuse des intentions, fautes de logique et de critique. Le R. P. Bolsius a eu le courage de disséquer de la sorte l'œuvre (1), inqualifiable à tous les points de vue, d'un certain F. Verhas, parue aux frais de la Bibliothèque de Propagande maçonnique de Bruxelles.

En finissant, l'auteur de cette vigoureuse réfutation conseille à F. Verhas, pour rester dans la vérité, de ne rien corriger à son opuscule si ce n'est *le titre,* et d'écrire

La guérison de Pierre De Rudder
ou
La déplorable substitution
d'une preuve mutilée à une preuve intacte
par F. Verhas.

Nous recommandons chaudement la lecture et la diffusion de l'œuvre du R. P. Bolsius.

A. De Meester.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii explicata in ordine ad recitationem Breviarii.* Brugis, Beyaert, 1913. In-8, pp. LXXXIV-376. Pr. 6 fr.

Ex hujus operis *Præfatione:*

Scopus noster non fuit conscribere *commentarium* in librum psalmorum et in cantica officii: hujusmodi enim commentarii perplures et optimi existunt, in quibus multa sæpe et evoluta eruditione scientifica, psalmi explicantur. Fuit autem scopus potissimum, ope hujusmodi commentariorum, præbere *manuale practicum*, in quo valeat quis ad intellectum psalmorum et canticorum in recitatione Breviarii introduci, et absque nimiis inquisitionibus et studiis sensum psalmorum quos recitat attingere.

---

(1) La guérison de Pierre De Rudder ou la miraculeuse substitution d'une jambe droite à une jambe gauche, une brochure de 113 p.

Quod **methodum** spectat, duplex est pars operis:

I. In **Introductione**, *generalia* quædam evolvimus circa excellentiam psalmodiæ, circa textum et sensum psalmorum, circa ea quæ obstant quominus psalmos facile intelligamus, circa varia media quæ ad hunc intellectum adjumento esse possunt, etc.: brevi, praxim præprimis respicientes, conati sumus ea exponere quæ studio psalmorum prærequiruntur.

II. In **opere ipso**, hæc practica media applicantes, *psalmos et cantica explicavimus*. Nimirum quoad singulos psalmos et cantica hæc tria præstitimus:

A/ Sub titulo: **Argumentum et divisio**, breviter indicavimus indolem psalmi vel cantici, adjuncta historica, si quæ sint, quibus respondet, et argumentum de quo agit; præterea, per strophas seu sectiones psalmum vel canticum dividentes, processum logicum idearum indicavimus.

B/ Sub titulo: **Textus**, duabus columnis juxtaposuimus, ex una parte, textum qualem ipsum in Breviario nostro recitamus, ex altera parte ejusdem textus paraphrasim: hanc autem juxtapositionem quam perfectam intendimus, eo fine ut primo intuitu quid textui Vulgatæ respondeat apparere possit; — textum autem paraphraseos per *versus* et *versuum membra parallela* disposuimus, ipsumque iisdem *strophis seu sectionibus* sub **A**/ indicatis, divisimus, singulæ sectioni iterum, brevi phrasi, præmisso compendio suo.

Quod autem ipsum *modum explicandi* attinet — de quo latius dicetur variis locis infra — :

a/ iis quidem locis in quibus Vulgata satis multum a textu hebraico discrepat, et tamen sensum in se et in contextu psalmi bene possibilem præbet, hanc lectionem Vulgatæ in paraphrasi secuti sumus, adjecto, in notis ad calcem paginæ, sensu textus hebraici;

b/ in illis textibus ubi Vulgata, absque arbitrario conatu, sensum in se et in contextu psalmi possibilem non præbebat, Vulgata relicta, ad textum hebraicum recurrimus;

c/ pro aliis omnibus locis ubi Vulgata a textu hebraico revera nihil vel parum tantum differt, item ad textum hebraicum attendimus: hæc enim comparatio cum textu hebraico optimum erat medium dissipandi vel corrigendi multas ambiguitates vel imperfectiones quæ in textu Vulgatæ occurrunt;

d/ tandem, in ipsum textum sic comparatum, brevissime inseruimus omnia illa quæ ad textum intelligendum necessaria vel opportuna visa sunt, longioribus explicationibus ad calcem paginæ rejectis.

C/ Tandem sub titulo: **Applicationes**:

a/ attendentes officia *excepta*, præcipua saltem *festa* adduximus, quibus singuli psalmi vel cantica ab Ecclesia in Officio applicantur, addita, potissimum duce *antiphona*, ratione propter quam hæc applicatio facta fuerit, vel saltem modo quo nos psalmum vel canticum in hoc festo audire possumus;

b/ præterea, in ultimo alinea, attendentes officia *communia*, qualia recitantur juxta novam distributionem Psalterii per bullam *Divino afflatu* inductam: α/ pro iis quidem psalmis et canticis quæ ab Ecclesia certæ

horæ diei, vel certæ *diei* hebdomadæ, vel certo *tempori anni* assignata fuerunt, conati sumus, potissimum duce antiphona, investigare et paucis evolvere rationem liturgicam ob quam psalmus vel canticum hoc loco positum fuerit; — ℣ pro *cæteris* vero, iterum antiphona duce, paucis indicare voluimus sensum aliquem spiritualem quo Sacerdos, in proprium suum bonum, psalmum vel canticum intelligere et sibi applicare possit.

Faxit Deus, ut opus nostrum aliquatenus conferat ad hoc ut præclaros illos psalmos et cantica Breviarii nostri melius intelligentes, melius quoque et perfectius eos oremus, pro majori utilitate nostra spirituali, bono animarum et gloria Domini.

Brugis, a. D. 1913, in festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

Approbatio Ill^{mi} D. Episcopi Brugensis:

Hoc opus R^{di} Professoris VANDER HEEREN Clero plurimum commendamus, utpote quod lectorem egregie instruit ad psallendum sapienter, opusque Dei digne perficiendum.

Brugis, 3 februarii 1913.

† G. J. Episc. Brugen

Touzard J. *Grammaire hébraïque abrégée précédée des premiers éléments accompagnés d'exercices à l'usage des commençants*, troisième édition, Paris, 1911. XXIV-410 — 40 * pp. — Prix 5 fr.

Personne n'ignore combien l'étude de la langue hébraïque a été recommandée par Nos Souverains Pontifes Léon XIII et Pie X, en vue des études scripturaires. Sans doute, il ne faut point, pour les études ordinaires qui sont à la portée de la majorité de nos prêtres, des connaissances bien approfondies; mais il suffit de s'être occupé pendant quelque temps des livres de l'Ancien Testament, pour être pleinement persuadé qu'une connaissance tout au moins rudimentaire de l'hébreu serait hautement désirable.

L'ouvrage de M. Touzard, que nous annonçons ici, présente le double avantage de s'accommoder aux débutants et de pouvoir servir à des études scientifiques poussées plus loin. En effet dans une première partie préliminaire, intitulée *Premiers éléments*, M. T. s'est efforcé de synthétiser, d'une façon aussi succincte et aussi simple que possible, les règles absolument indispensables à toute première initiation, et de les graver dans la mémoire à l'aide d'exercices pratiques heureusement choisis. Ensuite, la majeure partie de l'ouvrage, la grammaire proprement dite, comprend des notions sur l'écriture et la phonétique hébraïque, — sur la morphologie (noms, pronoms, verbes, etc.) — et la syntaxe. Peut-être serait-il bon, eu égard à la majorité de nos prêtres et de nos étudiants en Écriture Sainte, d'éditer séparément, tout en la complétant en certains points, la partie qui traite des *Premiers éléments*.

Vosen H. et **Kaulen Fr.** *Rudimenta linguæ hebraicæ scholis publicis et domesticæ disciplinæ brevissime accomodata*, nona editio, quam recognovit et auxit J. SCHUMACHER. Friburgi Br., 1911, XII-172 pp. Pr. 2.50 fr., relig. 3.15 fr.

Duæ sunt partes hujus operis: in parte *grammatica* afferuntur regulæ apprime necessariæ studio linguæ hebraicæ, iis omissis quæ, utpote usus infrequentioris, impedirent tironem magis quam juvarent ipsum; merito tamen in hac editione postrema plura addita sunt quæ in præcedentibus desiderabantur; — in parte vero *practica*, ordine sectionum partis prioris, ponuntur varia exercitia quibus prædictæ regulæ tironibus applicandæ proponuntur. — In fine habes duplex vocabularium: unum vocabulorum frequentius occurrentium et scitu magis necessariorum, alterum vocabulorum quæ in ipsis exercitiis obvia habentur.

Opus usus facilis, et valde commendandum, iis qui ad eam rudimentariam cognitionem linguæ hebraicæ contendunt de qua in recensione præcedentis operis (TOUZARD) dicebamus.

Lindemann H. *Florilegium hebraicum, locos selectos librorum Veteris Testamenti in usum scholarum et disciplinæ domesticæ* edidit H. L. Friburgi Br., 1912. XII-216 pp. Pr. 3.40 fr., relig. 4 fr.

In hoc opere collectos invenies varios locos ex plurimis libris tam historicis quam didacticis propheticisque Veteris Testamenti maxime egregios, — liber Jonæ totus refertur; verum utique florilegium tironibus linguæ hebraicæ bene accommodatum, minoris molis et minoris quoque pretii quam editiones totius V. T. hebraicæ. — Opus suum videtur A. præprimis edidisse intentione eorum qui in scholis — non in Seminariis — studio linguæ hebraicæ incumbunt: etenim, una ex rationibus quibus motus fuit ad opus suum edendum hæc est, quod, juxta disciplinam præsentem Ecclesiæ, « discipulis, qui in scholis professore duce textus hebraicos legunt et vertunt, bibliorum editionibus ab auctoribus acatholicis publicatis non licet uti ». Porro, hæc ratio de alumnis Seminariorum non valet: istis enim, utpote studiis theologicis et biblicis vacantibus, uti licet editionibus acatholicorum.

Revera etsi loci ex optimis fuerint electi, et apti sint ad introducendum tironem in studiis textus hebraici Veteris Testamenti, putamus tamen etiam nos, iis ex Sacerdotibus vel alumnis Seminariorum qui hisce studiis incumbere volunt, præstare ut, etiam pretio majori *integram* textus hebraicæ editionem sibi comparent

A. VANDER HEEREN.

J. B. Ferreres. *De Vasectomia duplici necnon de matrimonio mulieris excisæ, cum appendice de casu quodam clinico.* Editio altera, Madrid, 1913. In 12°, 148 p.

Triplex problema recens motum solvendum suscipit A., sub triplici distincta sectione: *primum*, circa vasectomiam ejusque effectus ac mora-

litatem; *secundum*, circa validitatem matrimonii a muliere excisa ineundi; *tertium*, per modum appendicis, circa liceitatem uterum tumescentem e sinu matris gravidæ auferendi.

In hac *tertia sectione*, loquens de hypothesi qua tumor detegatur putrefactus, talemque situm habens ut auferri nequeat quin simul uterus exsecetur, putat A. hoc licere (n. 294); et quidem meritò, imo non videtur ambigendi locus, potestque solutio asseveranter proponi.

In 2ª sectione, sustinetur sententia, quam pariter sequimur ultrò, mulierem scil. cui ablata sunt ovaria, vel ovaria simul et uterus, probabiliter non esse impotentem, in sensu canonum, nec adeo prohibendam a matrimonio (1). Ad hanc tuendam solutionem multum nititur in notando rescripto S. C. de Sacramentis, de die 2 Apr. 1909, attentis præsertim specialibus in quibus latum fuerit adjunctis (2).

In prima sectione, fusius exponit A. hodiernam controversiam circa *vasectomiam*, ibique proponit et egregie vindicat conclusiones, quas et ipsi admittendas proposuimus, apud *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 533 ss.

Porro potissimum insistit in hoc quod impotentiam inducat vasectomia duplex in viro peracta, variis adductis medicorum et peritorum testimoniis; affirmat etiam (n. 230 ss.), licet sub forma mitigata (*videtur* impotentia judicanda perpetua), impotentiam induci *perpetuam*, pro qua perpetuitate asserenda ancipites hæsimus (l. c., p. 541 s.). Hac occasione docet P. Ferreres vasectomiacum æquiparandum esse, quoad usum matrimonii, viris in adulta ætate castratis; quorum plures capaces proclamat — et contra id negantes urget — ad coeundum cum muliere, absque seminis utique emissione (n. 172-185).

Solida profecto et erudita disquisitio, inter cæteras elucubrationes huc spectantes principem locum facile obtinens, in qua principia salebrosam hanc materiam moderantia nitidè inculcantur, quæque viam tutò sequendam ostendit, donec optata solutio authentica intervenerit.

Minus tamen placet id quod dicitur, sub n. 39, copulam nimirum cum vasectomiaco easdem infaustas sequelas secum ducere, quas solent medici timere ex copula onanistica (cf. tamen n. 151). In votis etiam sit ut, in futura nova editione, in unum coalescant tres sectionis primæ articuli, in quibus articulis, ex successivis fasciculis ephemeridis *Razon y Fe* excerptis, successive agitantur varia amplitudine eædem et identicæ quæstiones (3); hujusmodi sane methodus nocet tractationis unitati ac fastidiosas repititiones necessariò provocat.

A. D. S.

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XV, p. 702 ss.; *De Sponsalibus et Matrimonio*, 2a ed., n. 278.

(2) *Ibidem*.

(3) Ita de possibilitate reinstaurandi communicationem inter testiculos et vesiculas seminales, vasactomia abruptam, agit A. sub art. 1ª, par 8; item, sub art. 2ª, par. 3, et sub art. 3ª, par. 11.

Hugon, O. P. *Le mystère de la Rédemption*, Paris, Téqui, 1910.

A. incipit ab exponendis notionibus *mysterii* et *redemptionis;* hac in ultima distinguit quatuor notas, sc. relate ad Deum: *satisfactionem* et *sacrificium;* quoad ipsum Christum: *substitutionem vicarium;* relate ad homines: *liberationem* a servitute peccati simul ac *restitutionem* in pristinum statum gratiæ. De singulis deinde agit A. hasque rationes convenire operi Christi demonstrat tum ex S. Scriptura, tum ex Traditione, tum ex ratione theologica. Quum nequeat esse sacrificium sine sacerdote; quum restitutio hominis in pristinum statum gratiæ sit dependens a merito Christi, exponit etiam A. quæ ad *sacerdotium* et ad *meritum* Christi pertinent. Hinc in ordine perfecte logico exposita habes omnia elementa quæ componunt complexam notionem Redemptionis a Christo peractæ. Cui expositioni adjungit A. caput in quo explicantur varia nomina quibus Christus designatur: redemptor, salvator, mediator, sacerdos, caput, rex, judex.

Præsertim theologis sed etiam excultis laicis hic liber destinatus ac valde commendandus est: quæ ibi asseruntur solide probantur, et notiones diversæ nitide distinguuntur ac definiuntur: hæc præcipua laudati operis dos est quæ nostris præsertim diebus maximi est momenti.

Laminne. *La Rédemption*, Bruxelles, Librairie de l'action catholique, 1911.

Hoc eisdem ac præcedens opus lectoribus destinatur eamdemque exponit materiam, minori tamen, ut videtur, claritate in notionibus exhibendis. Fusius autem refert ac etiam refutat Rationalistarum doctrinam quæ passioni ac morti Christi non alium valorem agnoscit quam valorem *exempli,* excitantis in animabus gratitudinem, amorem, ac fortitudinem, et omnino negat valorem objectivum quo nempe mors Christi est coram Deo vere meritoria, vere satisfactoria, vere peccati expiatoria, ac verum sacrificium (1). Hujus etiam quæstionis connexio cum aliis opportune indigitatur. Nec tantum doctrinam catholicam exponit A. sed etiam quasdam sententias circa quas datur inter catholicos controversia, v. gr. de infinito valore meriti Christi (p. 99 ss.), de necessitate incarnationis (p. 111 ss.), de ratione justitiæ a quo procedat satisfactio Christi, utrum a distributiva an a commutativa (p. 153 ss.) (2). Quapropter theologis lectio libri Patris Hugon utiliter complebitur lectione libri Dni Laminne, qui etiam opportune adjunxit capitulum ultimum de universalitate redemptionis, de hominum cooperatione in opere salvifico Christi et de speciali munere quo fungitur Mater Dei.

J. VAN DER MEERSCH.

---

(1) De prædicta hæresi cf. *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 441 ss.

(2) A distributiva justitia procedere satisfactionem tenet A.; oppositam sententiam defendit inter alios BILLUART, *De Incarnatione*, dissert. XIX, a. 8.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Martii.

—

I

Dijudica valorem argumenti theologici quod in favorem authentiæ *commatis* Joannei (I^a Jo. V, 7) desumitur ex decreto Conc. Trid. circa *authentiam Vulgatæ:* etenim comma Joanneum in Vulgata occurrit (1).

II

Solvatur hæc difficultas: Apostolus *Rom.* II, 14 docet Gentes *naturaliter* ea quæ legis sunt facere: ergo non requiritur donum *supernaturale*, seu gratia, ad observandam legem naturalem.

III

An et quonam sub onere potest sacerdos, qui complicem illicité absolvendo excommunicationem contraxit, a communi confessario absolvi: a/ in articulo mortis; b/ in casu urgentiori.

IV

An et quomodo onus illud est exequendum si sacerdos, in articulo mortis absolutus, convaluerit, partes describendo confessarii in hoc negotio.

V

Indica quædam specialiter attendenda a confessario cui obvius habetur pœnitens, qui a sacerdote complice fuerit absolutus.

VI

Quelles différences y a-t-il entre les chapelles et les annexes?

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, suprà, p. 21, ad 2/ et 3/, — et t. VIII, pp. 229 ss.

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques*, 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia*, in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio*. Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium : 8 fr.; pro clero Belgico : 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage*. — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix : 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi*, Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

C. Callewaert. *La réforme du Bréviaire, son esprit, ses prescriptions nouvelles*. — Documents et commentaire. (Extrait revisé des *Collationes Brugenses*, 1912). — Bruges, Beyaert; Ad. Maertens-Matthys. — In-8, 64 p. Prix : 0,50 frs.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii*. Brugis, Beyaert. In-8, LXXXIV-376 pp. Fr. 6.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

UN COUP D'ŒIL RÉTROSPECTIF

SUR NOTRE

Revue « COLLATIONES BRUGENSES ».

Tacite appelle « grande mortalis ævi spatium » un espace de quinze années. C'est bien aussi, ce semble, un espace notable de la vie d'une Revue. Or, nos *Collationes Brugenses* viennent d'entrer dans leur 18e année.

Un coup d'œil rétrospectif sur cette longue carrière vérifiera le mot d'Horace: « omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci ». Il nous laissera un agréable souvenir du passé, en même temps qu'il nous donnera un enseignement précieux pour l'avenir.

I

Et d'abord, cette longue série de volumes, commencée sous Nos auspices et Notre approbation spéciale, nous rappelle le souvenir bien doux des professeurs distingués qui, depuis dix-huit ans, se sont succédé dans les différentes chaires de Notre Grand Séminaire, ainsi que de leurs remarquables travaux.

Nous sommes heureux de rendre un hommage ému et reconnaissant à leur talent et à leur activité. Dans toutes les branches de la science sacrée, ils se sont signalés à l'attention des théologiens, et l'ensemble de leurs travaux constitue un véritable trésor, où le Clergé continuera de puiser, comme à une source sûre, une doctrine aussi profonde que lumineuse, et trouvera la solution des questions les plus actuelles et les plus ardues. Sans conteste ils ont contribué pour une large part à alimenter parmi le Clergé l'esprit d'étude, si

précieux sous tant de rapports. Ils ont aussi mis en honneur les études liturgiques et historiques. Au point de vue pratique, ils Nous ont sans nul doute aidé puissamment à entretenir et à développer l'esprit de piété, *surtout dans la célébration des SS. Mystères,* et l'esprit de discipline, si nécessaires, surtout de nos jours, pour l'honneur et le salut de nos prêtres et pour l'efficacité de leur saint ministère.

Les multiples volumes des « Collationes Brugenses » Nous rappellent aussi le souvenir de Nos propres travaux, dont les principaux furent spécialement consacrés à mieux connaître Dieu et les vérités divines et à les faire mieux connaître, afin d'aimer Dieu davantage et de Le faire aimer et glorifier.

Si ce fut un rude labeur de mener à bonne fin, Dieu aidant, nos « Méditations théologiques », traduites plus tard en flamand, et en français avec le haut et précieux encouragement du Souverain Pontife; si ce fut grâce à une persévérante application que nous pûmes, avec le secours divin, y ajouter nos études sur la Mystique, qui est le couronnement naturel du dogme et de la morale, et qui en enseigne l'application pratique pour la perfection de la vie chrétienne: de toutes ces peines que Nous Nous sommes données il ne reste qu'un souvenir plein de douceur, embaumé de la confiance que par notre travail Dieu sera glorifié. Il est incontestable, que celui qui veut suivre avec attention toute la série de Nos enseignements, *tendant tous au même but,* sera infailliblement amené à la poursuite de la plus haute perfection. Que le Seigneur daigne accorder cette grâce précieuse à tous les lecteurs de notre Revue, c'est tout ce que Nous avons jamais désiré et demandé comme récompense.

II

Mais passons sur la douceur des souvenirs, pour insister plus longuement sur les enseignements utiles pour l'avenir.

Quel est le secret du succès obtenu par les « Collationes Brugenses », et quel est l'enseignement qui en résulte ?

Ce secret n'est pas difficile à pénétrer. La bénédiction divine avant tout, l'application persévérante des collaborateurs ensuite, mais plus encore leur soin de tenir constamment les yeux fixés sur un double phare : « luminare majus », les enseignements et la direction du Saint Siège Apostolique; et « luminare minus », la saine raison, c'est-à-dire principalement une logique rigoureuse.

Ce sont ces deux foyers de lumière qui nous ont fait garder le droit chemin, sans nous en écarter jamais. Et combien il était nécessaire, dans ces derniers temps surtout, de ne jamais les perdre de vue.

Dans cette crise du modernisme, pire que toutes les hérésies, où menaçaient de sombrer non seulement la foi, mais encore la raison et le simple bon sens, combien ont fait naufrage, parce qu'ils ont fermé les yeux à la grande lumière, à l'Église enseignante, s'égarant dans leurs vains raisonnements et abandonnant en même temps que la foi la saine philosophie et la plus élémentaire logique. D'autres ont été sauvés, parce que jamais ils n'ont entendu se détourner de l'Église et du Docteur suprême; mais combien, avant les décisions du S. Siège, ont travaillé en pure perte, par défaut de logique rigoureuse, se mettant imprudemment à la remorque des rationalistes et ne se rendant pas compte des préjugés de ces derniers et de la faiblesse de leurs raisonnements. Ce fut le cas surtout en matière de critique biblique et historique. Un vent mauvais soufflait de ce côté, c'était devenu la mode, un engouement qui ne s'explique que par le défaut de logique, de dialectique serrée. Tous ceux qui se montraient revêches à la mode du jour, passaient pour des rétrogrades, dont on avait pitié.

De même en matière de sciences naturelles, physiques, chimiques etc., comme il est étonnant de voir des savants et des professeurs adopter sans contrôle, com-

me dogme scientifique, telle théorie ou hypothèse, qui après peu de temps est abandonnée et réfutée par d'autres. Ici encore des savants catholiques se laissent trop souvent remorquer par des incrédules, sans se rendre compte des mobiles de ceux-ci et de leurs préoccupations complètement étrangères à la science. Ce mobile n'est autre chez plusieurs que de supprimer le Créateur. Les uns l'avouent franchement: L'intervention du Créateur, disent-ils, est antiscientifique. D'autres se contentent de L'éliminer en silence. De là des théories qui se succèdent les unes aux autres, et dont l'une contredit l'autre, de manière à faire rire de pareille science tout homme sérieux, et de faire crier à la faillite de la science. Ce que nous avons affirmé déjà et que nous maintenons, c'est que, en dehors de l'observation des faits, de la découverte de nouvelles lois de la nature et de leurs applications pratiques, où sans contredit la science moderne a fait merveille, en dehors de cela, il est peu de chose qui mérite le nom de science, précisément à cause du défaut de saine philosophie et de logique rigoureuse de la part des hommes de science.

Nous trouvons une confirmation frappante de la vérité de tout ce que nous venons de dire, par exemple dans l'histoire de l'évolutionnisme.

Nous ne voulons pas parler de Spencer avec son évolutionnisme intégral dans tous les ordres, physique, moral, social; ni de Hæckel avec son monisme matérialiste et impie. Pour ce dernier, l'histoire ridicule de son bathybius, ensuite son arbre généalogique de l'homme, avec les intermédiaires introuvables dans les couches géologiques, mais fabriqués de toutes pièces par son imagination, suffisent à démontrer ses préoccupations étranges pour un savant, et ont fini par réduire à sa juste valeur, c'est-à-dire à rien, tout l'étalage de fausse science et de théories purement imaginaires.

Nous nous contenons ici dans les limites de l'évolution, telle qu'elle peut être admise comme hypothèse

non contraire à la Foi ; en d'autres termes, nous ne voulons considérer que l'origine des espèces vivantes en excluant celle de l'homme. Dans cette question ainsi limitée, et faisant aussi abstraction de la première origine de la vie sur notre terre, quel singulier entrainement n'avons-nous pas constaté chez la plupart des savants et professeurs d'universités, même catholiques, en faveur des théories successives de Lamarck, de Darwin, d'autres, qui ont été abandonnées depuis, les unes après les autres, et que les nôtres avaient accueillies dès l'abord et sans contrôle, malgré les tendances antireligieuses de leurs auteurs, malgré leurs conclusions contraires à la foi au delà des limites tracées pour un catholique, malgré la réelle faiblesse de leurs arguments. A quoi attribuer ces aberrations ? Toujours à la même cause : défaut de saine philosophie, manque de logique, de dialectique rigoureuse.

Que reste-t-il de l'évolutionnisme en matière d'histoire naturelle ? Lisez le célèbre entomologiste Fabre (1), dont personne ne contestera l'autorité, ni le savoir, ni la méthode rigoureuse. Vous répondrez : Il ne reste rien ou peu de chose, en dehors de l'observation sagace de certains faits, qui cependant ne conduisent pas du tout aux conclusions qu'en tirent les observateurs.

Lisez encore l'intéressant chapitre de l'abbé Th. Moreux (2) dont nous citons la « Conclusion : La Science est obligée d'avouer son impuissance à expliquer par des transformations successives l'apparition des différentes espèces. A l'heure actuelle, le transformisme traverse une crise violente et tout fait présager qu'il ne s'en relèvera pas. »

Notre conclusion de ce rapide coup d'œil rétrospectif

---

(1) *Souvenirs Entomologiques*, passim.

(2) *D'où venons-nous ?* chap. X. — Cf. du même *Qui sommes-nous ?* chap. III ; et chap. VI, où le lecteur trouvera de singulières révélations sur certaine science moderne.

est celle-ci : C'est un fait digne de remarque que nos « Collationes Brugenses » ont traversé toutes les crises de ces dernières années, en matière de sciences sacrées comme en matière de sciences profanes dans leur connexion avec les premières, sans avoir à rétracter aucune de leurs thèses. Ce fait est dû au souci constant qu'ont eu les collaborateurs de s'inspirer avant tout des enseignements de l'Église et de suivre la direction du S. Siège ; et, sans aller jusqu'à la défiance a priori de toutes les théories scientifiques nouvelles, de les avoir prudemment examinées à la lumière de la saine philosophie et avec une logique rigoureuse.

Nous souhaitons vivement que tout le Clergé les imite sous ce rapport ; aussi sur le terrain de la pratique, où l'entraînement inconsidéré fait commettre bien des fautes et donne lieu à de singuliers et regrettables changements de mentalité et même de langage.

† G.-J. Évêque de Bruges.

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVIII, pag. 16).

—

De donis Spiritus sancti in particulari.

De singulis jam donis Spiritus sancti acturi, quædam præmittimus quibus tum ordo dicendi tum propria hujus tractationis indoles innotescant.

I. Ut supra insinuavimus, distinguere oportet duplicem modum contemplationis supernaturalis eique respondentis unionis cum Deo: unum ordinarium, quem diximus exerceri per dona Spiritus sancti; alterum extraordinarium, qui per dona gratis data infunditur.

Quæ quidem non ita intelligas, quasi in priori modo contemplatio non sit supernaturalis, et quasi in posteriori non sint usui dona Spiritus sancti.

Etenim *contemplatio* multiplici in differentia accipi potest et accipitur ab auctoribus mysticis; indeque facile aliqua confusio oritur. Equidem exerceri potest viribus mere naturalibus, quam nonnulli vocant *acquisitam,* eam contradistinguentes ab *infusa* (1); atvero

(1) Sicuti *virtus* merito in acquisitam et infusam dispescitur; ast discrimen adverte cum contemplatiome, quatenus hæc non tam acquiritur

melius dicitur *naturalis,* contradistincta a *supernaturali,* quæ nempe viribus supernaturaliter elevatis exercetur, idque duplici modo: vel 1° ita ut proprio magis conatu facultates, habitibus et donis elevatæ, ad contemplationem illam eique respondentem unionem cum Deo pertingant, sub influxu tamen gratiæ tum habitualis (1) tum actualis; eaque contemplatio hoc sensu acquisita dici potest, quamvis supernaturalis sit et eatenus infusa, quatenus per habitus quoque supernaturales et dona infusa exercetur. Potest 2° contemplatio supernaturalis ita exerceri ut magis passive se habeat contemplator (2), et potius agatur a Deo quam agat; et sic contemplatio strictiore sensu infusa merito vocatur. Hæc tum potissimum obtinet cum donis gratis datis instruitur contemplator. Dicimus autem: tum potissimum, quoniam in contemplatione supernaturali cum multi gradus sint, iique tales qui in eodem contemplatore sese invicem non excludant, nihil prohibet contemplantem via ordinaria per dona Spiritus sancti absque donis gratis datis, jam peculiari quodam modo eoque sublimiori aliquando agi a Deo, contemplationemque eatenus dici et esse infusam.

Ex adverso, quando donis gratis datis ditatur a Deo contemplator, numquam excluditur exercitium donorum Spiritus sancti, ut supra diximus. Igitur, in utroque modo contemplationis supernaturalis, sive ordinario, sive extraordinario, manent semper dona principia elicitiva contemplationis unionisque cum Deo, sed interest modus quo in exercitium exeunt eadem dona. Ut enim ex S. Thoma supra advertimus, per dona tum

---

quam potius exercetur, idque duplici modo: vel viribus solius naturæ, vel facultatibus elevatis; dum virtus infusa nulla acquiritur viribus licet elevatis.

(1) Intellige: gratiam sanctificantem, cum reliquis habitibus infusis, nempe virtutibus omnibus et donis Spiritus sancti.

(2) Dicitur *magis* passive, quia intellectus et voluntas, utpote facultates vitales, numquam *mere* passive se habent.

altiori modo ea ipsa exsequimur ad quæ ratio elevata movet, ut fit in omnibus justis; tum ad sublimiora exsequenda attollimur quam ea ad quæ ratio etiam elevata movet, puta speciatim apud contemplativos; idque rursum vel ordinario modo, id est, Spiritu sancto se accommodante ordini naturæ elevatæ seu agente secundum leges ordinarias gratiæ, nempe illustrationibus et motionibus excitante vel et juvante contemplationem quam dicunt acquisitam seu quam melius dicimus activam magis ex parte hominis (1); vel modo omnino extraordinario, additis præter dona gratiis gratis datis, ita ut sublimiori modo uti possit donis Spiritus sancti contemplator, sitque contemplatio magis passiva ex sua parte.

Itaque dicendum habebimus de functione donorum Spiritus sancti in utroque modo contemplationis supernaturalis, tum ordinario, qui est contemplationis magis activæ ex parte contemplantis, tum extraordinario, qui pertinet ad contemplationem strictiore sensu infusam a Deo, et magis passivam ex parte hominis.

II. Igitur limitabimus nos considerationem donorum Spiritus sancti ad materiam contemplationis, tum quia hæc est propria materia hujus nostræ tractationis, tum quia secus faciendo ampla nimis evaderet explanatio, siquidem functiones donorum valde multiplices sunt. Has tamen omnes saltem indicare opportunum ducimus ob duplicem rationem: primo quidem, quoniam doctrina integra de functionibus donorum, uni vel levi conspectui exhibita, multum conferet ut clarius et intimius perspiciatur illa pars quæ est de donis in ordine ad contemplationem; secundo vero, quia facilius legi atque intelligi poterunt Auctores de donis agentes, quorum alii has, alii alias functiones donorum præ cæteris considerant.

(1) Non exclusis motionibus hinc inde sublimioribus, quæ aliquando, ut diximus, admisceri possunt, et ad modum extraordinarium contemplationis strictiore sensu infusæ accedunt.

Ut vidimus, dona Spiritus sancti nobis infunduntur, eorumque indoles propria est, ut per ea prompte sequi possimus instinctum Spiritus sancti, seu ut ad hoc simus secundum omnia rite expediti: « Cum principium reparativum, *ait Bonaventura* (1), per summam liberalitatem non tantum det gratiam ad rectificandum contra obliquitates vitiorum per habitus virtutum, verum etiam ad expediendum contra impedimenta symptomatum (2) per habitus donorum; ideo purificari (3) debent dona gratuita, secundum quod necessarium est ad expeditionis sufficientiam. » Deinde statim addit idem S. Doctor hanc nostram necessariam completamque expeditionem esse septiformem, seu omnia septem dona Spiritus sancti habere septem diversas functiones, quibus nos plene expeditos reddant: « Quoniam igitur anima nostra indiget septiformiter expediri; hinc est, quod ex septiformi causa necesse est Spiritus sancti dona esse septiformia. Indiget namque expediri contra vitiorum obliquitates, quantum ad vires naturales, quoad superadditas virtutes, in patiendo, in agendo, in contemplando, et utroque modo (4).

Primo igitur propter vitiorum obliquitates expeditissime repellendas septem sunt dona Spiritus sancti, utpote timor contra superbiam; pietas contra invidiam; scientia contra iram, quæ quasi est quædam insania; fortitudo contra acidiam, quæ mentem reddit ad bona invalidam; consilium contra avaritiam; intellectus contra gulam; et sapientia contra luxuriam (5).

---

(1) *Breviloquium*, p. V, c. 5. Sequimur textum editum a Ven. Patre A Vicetia, qui opus condidit sane utilissimum, in appositis ad singula fere dicta S. Doctoris notis recitando ex reliquis operibus ejusdem Sancti integram ferme ejus doctrinam.

(2) Id est, sequelarum vitii seu peccati (V. 3 *dist.* 34, p. 1, a. 1, q. 1).

(3) Intellige: purificari, non in se sed ab extrinseco, scilicet expediri ne resistentia aliqua iis obviet.

(4) Hoc est, in contemplatione et actione.

(5) Hujus primæ functionis donorum consideratio pertinet, ut patet, ad ascesim, viamque purgativam, quatenus potissimum in impugnatione vitiorum seu peccatorum capitalium consistit.

Secundo propter expediendas vires naturales debent septem dona Spiritus sancti esse. Nam irascibilis indiget expediri ad bona tam in prosperis, quam in adversis: in prosperis expeditur per timorem, in adversis per fortitudinem. Concupiscibilis autem indiget expediri quantum ad affectionem respectu proximi, et hoc fit per pietatem; et quantum ad affectum respectu Dei, et hoc fit per gustum sapientiæ. Rationalis vero indiget expediri in veritatis speculatione, electione et executione: per donum autem intellectus expeditur ad verum speculandum; per donum consilii ad verum eligendum; per donum scientiæ ad electum exequendum, per donum enim scientiæ recte conversamur *in medio nationis pravæ et perversæ*. (*Philipp.* II, 15) (1).

Tertio propter expedienda septem virtutum officia septem debent esse Spiritus sancti dona. Nam timor expedit ad temperantiam, timor enim carnes configit, unde: *Confige timore tuo carnes meas* (*Ps.* 118, 120); pietas ad veram justitiam; scientia ad prudentiam; fortitudo ad fortitudinem, seu patientiam; consilium ad spem; intellectus ad fidem; sapientia ad charitatem. Unde sicut charitas est mater et consummatio omnium virtutum, sic sapientia omnium donorum; ita ut vere dicat Sapiens: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius* (*Sap.* VII, 11) (2).

---

(1) Hæc donorum functio merito secunda ponitur, quatenus non jam contra sola vitia expedit, sed expedit ad bona. Quoniam tamen vires naturales expediendas respicit, jure præponitur cæteris sequentibus, utpote prævia ad exercitium virtutum supernaturalium, viamque illuminativam.

(2) Tertia hæc functio donorum spectat ad viam illuminativam, propiusque pertinet ad vitam interiorem, quæ viam unitivam seu vitam contemplationis unionisque intimæ cum Deo præparat.

Hanc functionem donorum Spiritus sancti præ cæteris considerat et exponit S. Thomas et post ipsum plerique Scholastici, uti videre est in *Summa theologica*, hujusque commentariis: explicationi enim singularum virtutum, tum theologalium, tum moralium annectitur explanatio singulorum illis virtutibus correspondentium donorum.

Quarto propter expeditionem in patiendo conformiter ad Christum septem sunt habitus donorum. Christum autem ad patiendum movit paterna voluntas, humana necessitas et virtutis strenuitas. Paterna quidem voluntas movit, ut cognita per intellectum, ut amata per sapientiam, ut in reverentia habita per timorem. Movit etiam nostra necessitas, ad quam cognoscendam necessaria est scientia, ad quam miserandam superadditur pietas. Movit nihilominus virtutis strenuitas, ut provida in eligendo per consilium, ut vigorosa in perferendo per fortitudinem. Et sic dona debent esse septem (1).

Quinto propter expeditionem in agendo septem dona dantur a Spiritu sancto. Nam ad actionem expediendam necesse habemus expediri ad declinandum a malo, quod fit per timorem. Necesse etiam habemus expediri ad proficiendum in bono duplici, vel necessitatis, vel supererogationis. Circa primum expedimur per scientiam et pietatem, ita quod unum est dirigens et aliud exequens ; circa secundum expedimur per consilium dirigens, et fortitudinem exequentem. Necesse etiam habemus quiescere in optimo, et hoc quantum ad intellectum veri, et quantum ad affectum boni: primum fit per donum intellectus, secundum per donum sapientiæ, in quo est quies (2).

Sexto ad expeditionem in contemplando dona Spiritus sancti in septenario numero sunt. Nam ad vitam hierarchicam (3) et contemplativam necessarium est

---

(1) Attende heic indicari materiam optimæ et saluberrimæ meditationis de passione Domini, in ordine potissimum ut et nos discamus pati cum Christo, conformiter ad Christum et propter Christum. Convenienter autem hæc quarta functio donorum hic exponitur, siquidem nemo ad vitam activam virtutum atque inde ad contemplativam unionem cum Deo pervenire potest nisi, uti ex S. Joanne a Cruce vidimus, transierit per noctem obscuram non tantummodo sensuum sed et mentis ac spiritus.

(2) Hæc quinta functio donorum proxime præparat ad vitam contemplativam.

(3) Vocat, ut sæpius faciunt Auctores mystici, vitam spiritualem et contemplativam nomine vitæ hierarchicæ, quoniam in ea invenitur quæ-

animam purgari, illuminari et perfici. Purgari autem oportet a concupiscentia, a malitia, ab ignorantia, ab infirmitate seu impotentia. Primum facit timor, secundum pietas, tertium scientia, quartum fortitudo. Illuminari autem indigemus in operibus reparationis et primariæ conditionis; primum dat consilium, secundum intellectus. Perfici autem habemus per accessum ad summum, quod consistit in uno, et hoc per donum sapientiæ; et sic arcanum contemplationis ab alto consummatur quasi in cubico (1).

Septimo ad expeditionem in actione et contemplatione septem debent esse dona Spiritus sancti. Nam contemplativa propter conversionem ad Trinitatem tria debet habere dona expedientia, scilicet quantum ad reverentiam majestatis, timorem; quantum ad intelligentiam veritatis, intellectum; quantum vero ad sapientiam, sive gustum bonitatis, sapientiam. Activa vero, quæ versatur in agendis et sustinendis, debet habere quatuor, scilicet pietatem ad agendum, et fortitudinem ad sustinendum, et directiva horum duorum, scilicet scientiam et consilium. Unde quia ad expeditionem necessaria est directio: ideo fit donorum combinatio (2), et plurima sunt dona ad intellectum spectantia, quia lux

---

dam hierarchia graduum: nempe purgatio, illuminatio, perfectio seu contemplatio; etiamque alludendo ad hierarchias cœlestium spirituum: « Necesse est enim, *ait* (*Incend. amoris*, c. III), Ecclesiam militantem conformari triumphanti, et merita præmiis, et viatores beatis, secundum quod possibile est. In gloria autem triplex est dos, in qua consistit perfectio præmii, scilicet summæ pacis tentio, summæ Veritatis visio, et summæ caritatis fruitio. Et secundum hoc distinguitur triplex ordo in suprema hierarchia cœlesti, scilicet Thronorum, Cherubim et Seraphim. »

(1) Scilicet arcana seu mystica contemplatio, non incipiendo ab infimis et præparatoriis, seu purgatione, sed ab alto, a donis potioribus ad contemplationem expedientibus, consummatur seu perficitur quasi in cubico, figura nempe perfecta tres dimensiones habente, quæ quasi dimensiones heic sunt consilium, intellectus et sapientia.

(2) Ita nempe ut non semper suam quodque functionem exerceat independenter ab aliis, sed aliud quoque in aliud influat.

cognitionis vehementer expedit *ad dirigendos pedes in viam rectam et pacis.* » (*Luc.*, I, 79) (1).

In hac perbelli doctrina Doctoris Seraphici (2), ea præ cæteris jam enucleanda nobis erunt quæ sub sexto et septimo exponuntur, utpote quæ ad materiam nostram contemplationis unionisque intimæ cum Deo propius pertinent.

(Continuabitur).

---

(1) Hæc omnia de functionibus atque numero et distinctione et sufficientia donorum Spiritus sancti longius explicat idem S. Bonaventura in 3, *dist.* 34, p. 1, a. 2, p. 1.

(2) Hunc præ reliquis ex intento recitavimus, quippe qui inter principes theologiæ mysticæ numeratur, ne dicamus absolute principem, cujus scripta ut manibus continuo terant sacerdotes summopere hortamur. Hæc de S. Doctore notat Sanseverino (*Dynam.* V, III) : « Post Hugonem et Richardum a S. Victore in mysticismi historia S. Bonaventura primum locum jure optimo sibi vindicat ; siquidem, etsi Albertus Magnus, S. Thomas, aliique potiora fundamenta mysticismi huc illuc explicuissent, tamen nemo eorum hoc in opere ex industria versatus est... Certe S. Bonaventura de mysticis doctrinis subtilius et penitius quam Hugo et Richardus a S. Victore disputavit, quippe quod in florentissima ætate philosophiæ vixit, atque in ejus studiis adprime versatus fuit. Certe quoque placita philosophica, quibus S. Bonaventura dogmata theologiæ mysticæ declaravit, cum Philosophumenis Areopagitæ consentiunt, quia Doctor Seraphicus S. Dionysii, ne de S. Augustino dicamus... sententias constanter allegavit. »

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Januarii propositas.

—

I

Q. *Explica epistolam ad angelum (episcopum) Ecclesiæ Laodiciæ, quæ refertur in Apocalypsi, c. III, vv. 14-22.*

R. Ultima ex septem epistolis quas Joannes apostolus in I^a parte suæ Apocalypseos ex mandato Jesu Christi scribit, ad Ecclesiam et episcopum (1) Laodicensem dirigitur. Construitur eodem modo quo sex priores, nimirum:

1. **Christus ipse designatur,** qui Joanni revelat scribenda: *Hæc dicit: Amen*, gr. ὁ ἀμήν, Christus np. qui meritò nomine *Amen* (2) vocatur, quatenus, ut statim ipse textus explicat, ipse est *testis fidelis et verus* (verax): ipse enim fideliter et veraciter manifestavit Joanni verbum quod Deus per Joannem hominibus manifestare voluit (3); — *qui est principium creaturæ Dei,* gr. ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ, i. e. vel: principium omnis creationis, per quem nimirum omnia facta sunt et sine quo factum est nihil (4), vel: primogenitus omnis creaturæ, ratione dignitatis omnibus creaturis præcellens (5); hic alter sensus nobis præferendus videtur.

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. VI, pp. 349 ss., et *supra*, pp. 65 ss.

(2) Unde ἀμήν hic sumitur per modum *substantivi*, non autem, ut fieri solet, per modum adverbii.

(3) Cf. I, 1 s., 5. — Ut in aliis epistolis, ita etiam hic designatio Christi cum objecto epistolæ cohæret: quia scribit ad talem qui dum pauper est et cæcus et nudus, seipsum tamen putat esse divitem et locupletatum et nulla re egentem, — ideo insistit Joannes in eo quod Christus qui paupertatem suam ipsi manifestabit, est testis fidelis et verax.

(4) Jo. I, 3; Hebr. I, 2.

(5) Cfr. Coloss., I, 15 s. — *Collat. Brug.*, t. XVI, pp. 329 ss.

2. Angelus seu **episcopus Ecclesiæ laudatur vel vituperatur,** in casu vituperatur: versatur in statu tepiditatis spiritualis: *Scio,* ait Christus, *opera tua*, scio *quia neque frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus esses, aut calidus! Sed* (gr. οὕτως, quare) *quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere* (gr. μέλλω σε ἐμέσαι, in eo sum ut evomam te) *ex ore meo.* Metaphora desumitur a potu tepido qui bibenti nauseæ est, ipsumque ad vomitum provocat; sensus proinde est: rejiciam te a me. — *Tepiditas* de qua hic agitur duplici modo explicatur ab auctoribus: a) juxta alios (1), *frigidus* intelligitur ille qui committit peccata gravia ex effrenata et effusa malitia; *calidus* qui positive facit opera bona et meritoria; *tepidus* qui versatur in statu peccati mortalis, dum putat se versari in statu gratiæ: hunc Deus evomet, i. e. reprobabit, damnabit. Pro hac sententia argui potest ex sequentibus, ubi Christus pergit sic loqui: *Quia* (2) *dicis: quod dives sum* in rebus spiritualibus, *et locupletatus* (3), *et nullius* rei *egeo: et nescis quia tu es miser, et* ideo *miserabilis*, — quod triplici metaphora describitur: — *et pauper et cœcus et nudus.* Quæ omnia videri possunt designare statum animæ peccato gravi obnoxiæ, etsi status sui inconsciæ; — b) melius tamen, ut videtur, *tepiditas* intelligitur sensu suo ordinario: status illius qui non est in statu peccati mortalis, sed tamen etiam non in statu fervoris, ita ut opera bona facile negligat aut negligenter faciat, et nullam curam habeat de corrigendis defectibus aut vitandis peccatis quæ sibi gravia non apparent, et abunde sibi sufficere censeat hujusmodi statum animæ suæ; unde tepidus medium tenet inter *calidum,* i. e. caritate et operibus fervidum, et *frigidum,* i. e. qui versatur in statu peccati

---

(1) Ita Ceulemans, *Commentarius in epistolas catholicas et in Apocalypsim,* h. l.

(2) *Quia dicis* est protasis phraseos cujus apodosis infra sequitur: *suadeo te.*

(3) Flandrice verteres: *Ik heb mij verrijkt.*

gravis. — Hic alter sensus nobis præplacet, utpote qui fundatur in sensu obvio verborum, nec apparet quo jure aliquid caloris habere dici possit qui revera versatur in statu peccati gravis. Nec obstat in textu frigiditatem quasi præponi tepiditati: sane, *absolute* loquendo, tepiditas melior est frigiditati, sed tepiditas aliquo sensu tamen pejor dici potest, nempe *ratione periculi* quod secum affert: etenim ei qui *frigidus* est, seu qui peccat graviter, dummodo, quod bene nota, non habeat præcise defectum illum qui in tepidis vituperatur (1), spes multa relinquitur resurgendi: multi enim sæpe subito et quasi ex improviso et ex fragilitate humana in peccatum mortale decidunt, et conscii periculi et status miseri in quo versantur, quietem non habent donec ex eo resurgant, et ideo quærent medicinam opportunam; contra qui tepidus est statui suo misero assuescit; paulatim, sensim sine sensu amittit horrorem peccati gravioris, et ubi in illud decidit, facile destituitur sive conscientia sive horrore status sui pessimi; præterea tepidi non sunt assueti actionibus energicis, quæ laboriosum quemdam motum animi requirunt, et inde multum periculum est ne incapaces sint energiæ illius quæ ad conversionem requiritur: unde medicinam opportunam sæpe non quærent. — Præterea, ut ipse Christus testatur, hujusmodi tepidum *evomet ex ore suo*, ipsum nempe rejiciet, seu abundantes illas gratias quibus ex mera liberalitate ad fervorem et perfectionem eum adducere conatur, et quas ipse continuo contemnit, in futurum ipsi denegabit.

---

(1) Sane ubi opponuntur et mutuo comparantur frigidus et tepidus, sub *omni* respectu pejor dicendus esset frigidus quem supponis habere omnes defectus tepidi: ita, si quis per statum diuturni teporis ad statum peccati gravis, seu frigiditatis devenit, ipsi applicanda sunt quæ in textu dicimus de periculis tepiditatis. — Quare supponendum est, in Apoc. cum tepido comparari frigidum qui non est tepidus; cum np. qui in peccatum mortale decidit quasi ex improviso et fragilitate humana, potius quam ex diuturna præparatione peccatorum venialium etiam graviorum, samnolentiæ et incuriæ spiritualis.

3. **Monet Angelum** circa illud quod præstandum habet. Triplex metaphora qua descripsit miseriam ipsius resumitur: 1/ quia pauper es, *suadeo tibi emere* (1) *(sumere) a me aurum ignitum probatum* (gr. πεπυρωμένον ἐκ πυρὸς: ignitum per ignem, purgatum: aurum purissimum), *ut locuples fias;* 2 quia nudus es, suadeo tibi ut *vestimentis albis induaris* (gr. pendet a verbo emere: suadeo tibi ut emas vestimenta alba quibus induaris), *et non appareat confusio nuditatis tuæ;* 3/ quia cæcus es, *collyrio* (2) *inunge oculos tuos* (gr. iterum: ut emas collyrium quo inungas oculos tuos), *ut videas.* — Hisce omnibus testatur Christus sese nondum evomisse seu reliquisse eos quos monet, sed adhuc ipsis præsto esse auxilio suo, ut conscii fiant status sui et ad pristinum fervorem redeant. Hoc autem signum est amoris Christi: *Ego, quos amo, arguo* (reprehendo) *et castigo. Æmulare ergo,* esto zelosus, et pœnitentiam age (gr. μετανόησον, muta animum tuum). *Ecce sto ad ostium* cordis tui, *et pulso* gratia mea (3): *si quis audierit,* si tu audieris *vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo et ipse mecum:* sumemus simul convivium illud spirituale quod consistit in unione animæ mecum (4).

4. **Conclusio** epistolæ in qua vincentibus promittit Christus beatitudinem cœlestem: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus;* — et excitatur attentio lecto-

---

(1) Cfr. Is. LX, 1 ss.: Omnes sitientes venite ad aquas: et *qui non habetis argentum,* properate, *emite,* et comedite.

(2) *Oogenzalf.*

(3) Hic sensus præferendus videtur huic alteri quem quidam proponunt (cfr. DRACH, *Apocalypse de Saint Jean*): ecce in eo sum ut veniam ad te et auferam te a vivis. — In hac sententia non bene apparet nexus cum immediate sequentibus: *Si quis audierit vocem meam* et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum: Num forte quando Christus e vivis nos revocabit, poterimus non audire vocem ejus, eique non aperire?

(4) Cfr. Jo. XIV, 23: Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.

rum vel auditorum : *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

A. VANDER HEEREN.

II

Q. *Quid censes de hac Baii sententia:* « Justificatio nihil aliud est quam continua quædam et indesinens ad justitiam progressio ». *De justificatione,* c. 1.

R. 1. Hæc non est bona *definitio* de justificatione, quæ habetur in præsenti ordine Providentiæ; 2. hæc assertio, considerata in connexione cum reliqua Baii doctrina, implicite continet falsum, nec conciliari potest cum doctrina Concilii Tridentini de essentia justificationis.

Quæ antequam explicabimus, præmittimus quædam de doctrina et mente Baii circa præsentem quæstionem. Anno 1566 Baius iterum edidit opuscula quæ antea scripserat, et opusculis *de justitia* et *justificatione* præmisit novum, cujus titulus: *de Charitate* (1). Hæc tria intime, secundum Baii mentem, ad invicem connectuntur, ut ipse ait incipiens opusculum de charitate: « De justificatione disserenti, si bene et utiliter disserere velit, magno studio quærenda est vera charitatis cognitio... quia charitas aut justitia est, quam adipisci studet ille qui justificatur...; aut certe usque adeo justitiæ conjuncta, ut quamvis sine ea possit simulari, non tamen haberi aut acquiri » (2).

1. Hæc recte quidem dicuntur, sed deerat Baio recta de *charitate* notio. Etenim ipse considerat tantum *actum* seu *motum* charitatis, non negat quidem, sed saltem in dubium vocat existentiam habitus infusi charitatis (3), præterea docet charitatem posse esse in homine ante remissionem peccatorum, proindeque hominem simul esse posse in charitate et

(1) Cf. LE BACHELET, in VACANT, *Dictionnaire de théologie catholique,* t. II, art. *Baius,* col. 41.

(2) BAIUS, *De charitate,* c. 1.

(3) BAIUS, *o. c.,* c. 2 et 7.

in statu peccati mortalis (1); distinguit quidem *initium* charitatis « quod nihil aliud est quam initium bonæ voluntatis, quod tunc primum concipimus, quando Deo operante et meritum omne præveniente, mala voluntas nostra in bonam commutatur » (2) et *incrementum* ejusdem; attamen hoc incrementum censet tunc constituere vere charitatem quando homo et mandata Dei servat et cupiditates, quæ prius eum in sceleribus detinebat vincit, *sive hæc scelera per baptismum aut reconciliationem remissa fuerint sive non* (3). Admittit proinde Baius charitatem crescere independenter a remissione peccatorum, ac veram charitatem haberi posse cum peccato etiam mortali. Hæc porro sententia non conformis est doctrinæ quæ fuerat stabilita in Concilio Tridentino (4) quæque asserit contritionem charitate perfectam reconciliare hominem cum Deo, seu hominum peccata dimittere. Proinde fuit damnata hæc propositio: « Charitas perfecta et sincera, quæ est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum » (5).

2. Ad *justitiam* quod attinet, hæc secundum Baium consistit in observatione mandatorum (6), constat quidem duabus partibus, nempe remissione peccatorum et novitate vitæ, qua homo in fide et ex fide virtutes operatur et mandata observat (7), ita tamen ut, si proprie loqui velimus, non remissio peccatorum sit justitia, sed observatio mandatorum (8); quapropter incrementum justitiæ consistit in hominis dispositione qua continuo plenius ac plenius lex Dei observatur, et perfectio justitiæ tunc habetur « quando, accepta omnium remissione peccatorum, corpus, anima et

---

(1) Id., *o. c.*, c. 7.

(2) *O. c.*, c. 8.

(3) *O. c.*, c. 7 et 9.

(4) Sess. XIV, c. 4. Denzinger-Bannwart, *Enchiridion*, 1911, n. 898.

(5) Propos. 31 inter damnatas in Baio. Denzinger-Bannwart, *o. c.*, n. 1031. Intime cum præcedenti connexæ sunt propositiones damnatæ 32 et 33 etiam 70 et 71. De occasione qua Baius propugnavit hanc doctrinam, cf. Le Bachelet, *o. c.*, col. 102.

(6) Baius, *De Justitia*, c. 1.

(7) *Ibid.*, c. 3-4.

(8) *Ibid.*, c. 5.

totus homo sic Deo obsequetur, ut neque in carne contra rationem, neque in ratione contra legem Dei ulla rebellio comperiatur » (1).

3. Nomen *justificatio* accipitur a Baio, sicut ab omnibus accipi potest, ad significandam *acquisitionem justitiæ:* hæc est formalis significatio hujus nominis (2). Quum autem, secundum Baium, *justitia* proprie sit ipsa mandatorum observatio, exercitiumque virtutum, *justificatio* ideo « nihil aliud est quam continua quædam et indesinens ad justitiam progressio », seu « continua quædam progressio tam in operatione virtutum, quam in remissione peccatorum ». Hæc a Baio traditur tamquam plena et integra definitio justificationis (3).

I. Jamvero hæc non est bona definitio, si catholicam inspicimus de justificatione doctrinam, qualis fuit præsertim in Concilio Tridentino expressa: ibi enim docetur: « Justificatio... non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum. Unde homo ex injusto fit justus... Hujus justificationis... unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit: qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, et non modò

---

(1) *Ibid.*, c. 6. — In c. 10 fuse refutat Baius doctrinam Protestantium, nominatim Calvini, qua asseritur hominem ex fide sola absque operibus legis justificari.

(2) Deinde justificatio sumitur vel *active*, vel *passive*. Cf. Van der Meersch, *De divina gratia*, n. 96; *Collat. Brug.*, t. IV, p. 386 ss.

(3) Baius, *De justificatione*, c. 1. — In c. 2 exponit Deum, licet possit subito, nempe uno momento, hominem totum renovare et ad perfectam justitiam perducere, hoc tamen, nonnisi successive et per varios gradus, ordinarie facere, in adultis, de quibus solis hîc est sermo. — In c. 5 exponit speciali et potiori quadam ratione ad justificationem pertinere fidem et charitatem, fidem nempe quæ per charitatem operatur seu opera virtutum producit; hoc autem explicat quatenus per fidem specialiter operemur ad obtinendam remissionem peccatorum et incrementum virtutum, quia fidei specialiter annectitur promissio restaurationis nostræ. Hoc etiam valet de aliis operibus, v. gr. pœnitentia, oratio, eleemosyna, etc., quibus etiam specialiter promissa est nostra restauratio.

reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam uniuscujusque dispositionem » (1).

Ex dictis patet justificationem, passive sumptam, consistere essentialiter in susceptione gratiæ et donorum, quibus homo formaliter justus constituitur, ita ut justitia sit aliqua forma nobis a Deo infusa, nobisque inhærens (2). Ad hanc porro justitiam consequitur et mandatorum observatio et exercitium virtutum, per quæ homo crescit in justitia accepta (3).

Quapropter definitio a Baio tradita, bona non est: quia, quum ut realis et integra definitio exhibeatur, a) nihil dicit de *essentia* ipsa veræ justificationis, b) ut *formale* elementum ponit id quod formale non est.

II. Præterea licet Baius non explicite neget existentiam gratiæ habitualis infusæ ac inhærentis animæ, nec existentiam gratiæ habitualis infusæ ac inhærentis animæ, nec existentiam habitus infusi charitatis, utramque tamen nec explicite admittit: quapropter non propugnat doctrinam a Concilio Tridentino definitam nec de hac rationem habet (4). Deinde quum loquatur tantum de charitate quæ est *actus* seu motus voluntatis, quumque ipsa observatio mandatorum, in qua justitiæ formalem rationem ponit Baius, etiam in actibus consistat, ex Baii doctrina logice sequitur infantes non posse justi

---

(1) Sess. VI, c. 7. DENZINGER-BANNWART, *o. c.*, n. 799.

(2) Justificatio, active sumpta, est actio Dei reddentis hominem justum, seu infundentis id quo formaliter justus constituitur.

(3) Cf. *Conc. Trid.*, Sess. VI, c. 10 et 11; DENZINGER-BANNWART, *o. c.*, n. 803-804; VAN DER MEERSCH, *o. c.*, n. 101 ss., 224.

(4) Concilium Tridentinum, incæptum anno 1545, finem habuit die 4^{a} Decembris, an. 1563, et a Summo Pontifice Pio IV fuit approbatum ac plene confirmatum die 26^{a} Januarii 1564. Opuscula Baii, de quibus hic agimus, edita fuerunt an. 1566. Summus Pontifex Pius V anno 1567, damnavit 79 propositiones vel ex ipsius Baii vel ex Baianorum scriptis excerptas.

esse nec justificari: quod falsum est (1). Tandem etiam falsum est formalem rationem justitiæ consistere in ipsamet observatione mandatorum. Ad hanc falsam sententiam, quæ in Baii doctrina implicite continebatur, manifestandam ac proscribendam, damnavit Pius V hanc propositionem 42am (licet hæc non explicite contineatur in Baii scriptis): « Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia; non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei et secundum interiorem hominem renovatur ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum sanctum renovatus, deinceps bene vivere et Dei mandatis obedire possit » (2).

J. Van der Meersch.

III-IV

Q. *Enumera et breviter explica conditiones quæ ad incurrendam reservationem casus ratione sui Episcopo reservati, in diœcesi Brugensi, requiruntur:*

1° *ex parte peccati;*

2° *ex parte peccantis.*

R. *Prænota.* Vi ipsius tenoris quæstionis positæ, seponuntur a/ *censuræ*, seu casus *ratione censuræ* reservati, sive S. Pontifici reserventur, sive Episcopo, quales sunt quatuor censuræ quæ Ordinario reservantur, vi dispositionis juris communis; b/ casus ratione sui, seu ratione peccati reservatus *S. Sedi,* casus scil. falsæ denuntiationis confessarii. Soli nimirum attenduntur casus ab Episcopo Brugensi sibi reservati, qui omnes

(1) Conclusio, quæ logice sequitur ex præmissis, in his implicite seu virtualiter continetur, objective loquendo, etiam si ille, qui præmissas tenet, non perspiciat illam logicam consequentiam.

(2) Denzinger-Bannwart, *o. c.*, n. 1042. Cf. etiam n. 1069.

et singuli noscuntur reservari ratione sui et quidem absque censura (1).

Notetur etiam, in determinandis conditionibus ad incurrendam reservationem requisitis, præ oculis haberi principia juris communis, quatenus Episcopus Brugensis illa, authentice interpretando, propriæ reservationis disciplinæ voluerit applicanda.

Ex igitur quæ requiruntur *conditiones:*

I. **Ex parte peccati:**

Prima conditio. Peccatum debet esse *mortale materialiter et formaliter.*

Debet esse lethale *materialiter,* ita scil. ut ex parte materiæ, ex parte rei et objective gravis sit inordinatio in actu posito. Erit *formaliter* mortale, si gravis malitia, ipsi actui objective spectato inhærens, subjective contrahitur ab agente, utpote qui, malitiam gravem advertendo, libere ponit actum.

Equidem absolute loquendo non repugnat reservatio peccati *venialis,* cum etiam in peccata venialia jurisdictionem accipiant confessarii, adeoque eam in illa etiam peccata restrictam et limitatam accipere possint; sed hujusmodi reservatio dissonaret a praxi et mente Ecclesiæ, cujus mens est ut non reserventur nisi gravia peccata, imo, juxta Conc. Trid., Sess. XIV, c. 7, nonnisi graviora et atrociora crimina. Ut autem peccatum dicatur simpliciter mortale, supponitur gravitas materialis et formalis.

Secunda conditio. Requiritur ut sit peccatum *externum,* et *qua tale* sit *grave.*

Nimirum 1° non sufficit peccatum *internum,* quan-

---

(1) Circa distinctionem inter casus ratione sui reservatos et casus ratione censuræ reservatos, vide *Collat. Brug.,* t. IV, p. 24 et p. 25, quo altero loco notatur peccato ratione sui reservato posse adnecti censuram, quin peccati reservatio a censura hujusve reservatione pendeat. Cf. etiam *Collat. Brug.,* t. XI, p. 593; *Strassburger Diözesanblatt,* 1911, p. 119: in diœcesi Argentinensi, Episcopo reservantur ratione sui peccata cum censura.

tumcumque grave sit materialiter et formaliter, puta in illo qui « interius putans se falsum asserere, exterius tamen et a parte rei verum asseruit » (1).

Debet igitur actus esse *externus;* imo 2° debet esse talis ut *qua externus gravis sit*, ut nempe peccatum admissum grave existat *quoad substantiam actus externi*, i. e. ut tanquam grave externe sese manifestet, seu gravem objective inordinationem importet *in ipsa ratione actus externi*, ac adeo grave constituat peccatum citra respectum ad actum interiorem vel pravam intentionem operantis.

« Ex altero requisito (sub 2°) colligitur quod, cum simpliciter ponitur reservata percussio parentum, si quis ex gravi odio, sed leviter tantùm, percuteret parentem, ita ut exterior actus, a gravi odio sejunctus, non esset mortalis, percutiens casum non incurreret » (2).

Circa secundam hanc conditionem, quatenus peccatum postuletur externum, cave ne actum *externum* confundas cum actu *publico:* actus externus optime potest esse prorsus occultus.

Porro descriptæ conditionis necessitas rursus eruitur ex praxi et mente Ecclesiæ, potius quam ex ipsa natura reservationis, abstracte sumpta. Quemadmodum namque circa peccata interna notat *Pauwels* (3), « non apparet ratio dubitandi quin absolute loquendo reservari possent: quia æqualis requiritur jurisdictio in confessario ad validè absolvendum interna... atque ad absolvendum externa ».

Tertia conditio. Debet adesse *materialiter et formaliter* illud peccatum *quod et quale reservatur*.

Et quidem 1° *materialiter:* oportet scil. ut a parte rei obtineant elementa requisita non modò ad constituen-

(1) *Libellus*, i. e. *Tractatus de Casibus reservatis in diœcesi Brugensi*, 1898, p. 10.

(2) *Ibidem*.

(3) *Tractatus theologicus de Casibus reservatis*, apud MIGNE, *Theologiæ Cursus completus*, t. XVIII, col. 941.

dum peccatum materialiter grave, idque grave in ratione peccati externi; illa elementa præsto esse debent quæ actum constituant in determinata specie, quæ et qualis reservatione attingitur.

Ita non incurritur reservatio incestus, qualis apud nos existit, ab illo qui carnaliter cognoscit non suam, consanguineam seu affinem in 2° gradu: committit quidem crimen grave, externum, admittit etiam reatum incestus, sed non illius incestus, qualis in diœcesi reservatur. Nec juvat quod fornicator erroneè putet forsan complicem esse consanguineam aut affinem in primo gradu, modò a parte rei talis non sit: formaliter quidem committeret peccatum, quale reservatur, non verò materialiter.

Dicitur 2° *formaliter:* postulatur ut delinquens adverterit ad illa elementa pro materialiter constituendo delicto qualificato requisita, et, stante illa advertentia, peccatum commiserit.

Unde non incurreret dictam reservationem incestus, vir qui accederet quidem ad consanguineam in primo gradu, sed invincibiliter erraret circa identitatem personæ cum qua peccat, ignorans eam esse sororem vel filiam, ac reputans eam esse consobrinam germanam. Materialiter et formaliter committit peccatum grave et externum, ac imo peccatum incestûs; materialiter etiam committit illius incestus peccatum, qui et qualis reservatur, non autem *formaliter*.

Ulterius videtur requiri, ex hoc altero postulato, ut peccans, confuso saltem quodam modo, apprehendat in concubitu cum consanguinea, puta cum sorore vel filia, specialem haberi malitiam, præ simplici fornicatione. Nullatenus autem postulatur ut cognoscat *distincte* et advertat speciem moralem quam fornicationi superaddit incestus, vel a fortiori novam illam speciem distinctam quæ, juxta nonnullos Auctores, contrahitur in incestu cum consanguineis in primo gradu.

Quarta conditio. Debet peccatum, salva dispositione

Episcopi reservantis in contrarium, esse *in sua specie consummatum.*

« Dum dicitur quod actus debeat esse in sua specie consummatus, hoc importat quod *perfectus* esse debeat tam 1° *ex parte agentis* seu causalitatis, quam 2° *ex parte termini* seu *effectus ultimi* ». *Libellus*, p. 10.

Ratione imperfectionis actus *ex parte agentis seu causalitatis:* « Si Petrus (Joanni) vulnus quidem inflixerit, sed quod non est lethale secundum se, et interim sequatur mors per imperitiam medici, Petrus non subjacet casui (homicidii); quia etiamsi in casu homicidium sit consummatum ex parte termini seu effectus ultimi, tale non est ex parte actionis (occisivæ), cum vulnus non fuerit lethale ». *Ibidem,* p. 11.

Eadem est ratio cur, seclusa dispositione contraria, reservatio non attingat crimen mandantes aut consulentes, sed solos crimen perpetrantes.

Ratione imperfectionis actus *ex parte termini:* « Si Petrus Joanni inflixerit vulnus lethale, in ordine ut ipsum occidat, et interim mors nondum sit secuta, casui homicidii nondum subjacet Petrus; quia etsi homicidium perfectum sit ex parte causalitatis seu agentis, nondum tale est ex parte effectus ultimi ». *Ibidem*, p. 10 s. Posset igitur Petrus a communi confessario absolvi, si crimen confiteatur antequam mors victimæ reipsa supervenerit, quantumvis superventura prævideatur et de facto superveniat postea.

Idem valet pro casu incendii: non incurritur « si ignis quidem domui suppositus sit, ita ut ardere incipiat (et sponte sua totaliter vel saltem notabiliter sit comburenda), sed progressus incendii, sive fortuna sive alia quacumque causa cohibeatur, antequam ad notabilem partem domus sit consumpta ». *Ibidem*, p. 36.

Dictum est: « *salva contraria dispositione Episcopi reservantis* »; « quia quandoque reservatio consummationem non exigit, ut exemplum habemus, in diœcesi nostra, pro casu sodomiæ et bestialitatis; sed tunc

reservans mentem suam clarè tenetur exprimere, sicut in præfato casu fecit Reverendissimus Præsul noster » (1). *Ibidem*, p. 11.

Quinta conditio. Debet esse peccatum *certò reservatum*, excluso scil. omni dubio positivo, sive *juris* sive *facti*.

Hanc conditionem quam Auctores, attentis juris communis principiis, communiter exigunt, admittendam esse explicitè declarat Episcopus Brugensis, uti constat ex *Libello*, p. 12 s.

Dubium *juris* spectat necessitatem talis vel talis conditionis ad reservationem incurrendam, sive conditionem intelligas generalem, sive requisitum respectu casus cujusdam determinati.

Dubium *facti* spectat imprimis factum commissi peccati, cujus facti certitudo reservationi præsupponitur; spectat ulterius verificationem variarum conditionum, quæ ad casum reservatum incurrendum noscuntur postulari: utrum scil. peccatum fuerit materialiter et formaliter grave, utrum fuerit externum et qua tale grave, etc.

Peccatum proinde quomodocumque dubium, dubio, inquam, positivo (2), sive factum commissionis afficiat, sive factum reservationis, sive jus afficiat, potest, stante dubio, a communi confessario absolvi (3). Quodsi, absolutione a communi confessario suscepta, postea certa evadat reservatio, non censetur reservatio reviviscere, id explicitè declarante Episcopo, l. c., p. 14, nec adeo exponendum est exinceps peccatum coram confessario privilegiato, seu facultatem habente, etiamsi

---

(1) Pariter pro *duellantibus*, in tenore Constitutionis *Apostolicæ Sedis*, exprimitur censuram ferri non tantùm in « duellum perpetrantes », sed etiam in « *ad illud provocantes* ».

(2) Profectò non attenditur dubium leviusculum seu negativum, nec dubium quod oritur ex inscitia et ignorantia confessarii in re theologica; supponitur dubium serium, probabile et objective fundatum, capax scil. quod moveat virum prudentem et peritum.

(3) Peccatum dubie commissum, vel dubiè lethale, nequidem est clavibus subjiciendum. Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 75.

dubium, nunc remotum, contigerit circa factum commissionis vel circa gravitatem peccati admissi, quod fuerit qua dubium vel dubiè mortale in confessione accusatum (1).

II. **Ex parte peccantis.**

Unica conditio, in *delinquente* requisita ad reservationem peccati, in diœcesi Brugensi, est **pubertas** : adeo ut *impuberes* (masculi nempe annum 14^{m} completum nondum adepti, et puellæ quæ annum duodecimum nondum compleverint) reservationi non existant obnoxii.

Equidem posset Episcopus contra impuberes reservationem suam urgere, supposita reliquarum conditionum verificatione, eamque usque ad annum 1898 urgebat Episcopus Brugensis, concessa cæteroquin confessariis amplissima facultate in gratiam neo-communicantium et confirmandorum (2).

Sub præsenti vero disciplina, declarat Episcopus reservans impuberes reservationi non esse obnoxios ; hanc nempe mitigationem introducendam duxit, « attento quod ætas levis et immatura plus indulgentiæ mereatur, quodque pro tenella ista ætate non requiratur tanta disciplina et severitas, attentis etiam variis incommodis spiritualibus et perplexitatibus, quæ aliàs sequi nata sunt » (3).

Porro juvat attendi solos impuberes a reservatione liberari, horumque immunitatem non communicari puberi complici in peccato reservato, puta in peccato

---

(1) Hoc in casu, non modò censetur ablata reservatio peccati, sed practice haberi potest peccatum uti remissum, adeo ut nequidem coram communi confessario sit iterato exponendum. Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 75 s. In editione *Libellii* anno 1889 valgata, p. 19, docetur peccatum reservatum, ut dubie commissum in confessione declaratum, si postea certò commissum innotescat, posse quidem a communi confessario relaxari, sed iterata vice esse sacramentaliter accusandum ; servabatur nempe tenor editionis Gandavensis ann. 1805, p. 14, quo tempore probabilismi principia nondum prævaluerant apud nostrates.

(2) *Libellus*, editio 1889, p. 19 s. ; ed. 1805, p. 15.

(3) *Libellus* anni 1898, p. 14.

sodomiæ vel incestus; *per accidens* tamen fiet quod, ratione impubertatis complicis, reservationem effugiat delinquens pubertatem adeptus, quatenus scilicet præcise, ob impubertatem unius partis, deficiat conditio ad ipsius peccati reservationem requisita (1).

Dicimus: « *unica* conditio », id signanter intendentes, *non* requiri scil. scientiam reservationis, hancque incurri ab *ignorantibus*.

Equidem quod, in diœcesi Brugensi, a reservatione de facto non excuset **ignorantia**, id extra omne dubium est positum. Ex una namque parte expressis verbis declarat Episcopus Brugensis, quod « a reservatione non eximuntur pœnitentes eam ignorantes » (2); ex alia autem parte in hoc conveniunt Auctores reservationem posse ab Episcopo *validè* urgeri in ignorantes.

Quodsi quæritur an et quousque ignorantes a reservatione eximantur, *seposita Episcopi declaratione, non levis est controversia:* quam controversiam, salvo meliori, sic solvendam proponimus:

Reservationis disciplina, natura sua et attento jure Tridentino, Sessione XIV, cap. 7, consecrato, directa intentione dirigitur in delinquentem, quem cogere intendit ad adeundum superiorem pro absolutione recipienda a gravioribus delictis, ad hoc adempta a communi confessario jurisdictione in dicta crimina. Immediate quidem attingitur confessarius, cujus jurisdictio restringitur et mediate tantùm pœnitens; sed hæc jurisdictionis restrictio eligitur ab Ecclesia tanquam medium ad intentum, ad cogendum scil. delinquentem ut coram superiori judice sese præsentet.

Hanc esse reservationis naturam ac indolem confirmatur

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 109 s., ubi exemplum adduximus. Nimirum, quando ad reservationem postulatur copula de se apta generationi, natum est fieri ut ipsa pars pubes, carnaliter peccando cum parte impubere, a reservatione liberetur ob defectum copulæ perfectæ, ex alterius partis impubertate orientem; quod obtinere potest etiam pro casu *incestus*, cum et hic requiratur copula, salvo retractu onanistico, perfecta et ad generationem de se idonea.

(2) *Libellus*, p. 2.

ex tenore laudati decreti Tridentini, maximè collatione instituta cum redactione prius proposita, uti refertur apud THEINER, *Acta Genuina*, I, p. 587.

Age nunc, descripta reservationis disciplina, delinquentem cogens ad adeundum Superiorem, varios ob fines potest induci: vel a/ in medicinalem *pœnam delicti*, ad hoc nempe ut fideles a gravioribus flagitiis deterreantur, veniæ difficultate proposita; vel b/ *in medicinam peccantis*, seclusa pœnæ ratione, quatenus ad graviora et periculosiora animæ vulnera peritior eligatur medicus, « qui maturo judicio, scientia, rerum usu et experientia, præ cæteris noverit tum curare jam inflicta, tum præcavere futura, præscripto salutari remedio in cautionem relapsus » (1); c/ *in hierarchici ordinis tuitionem*, quatenus « suum quisque in sua diœcesi episcopum, et unum omnes in universo orbe Vicarium Christi et supremum Ejus Ecclesiæ moderatorem agnoscant et revereantur » (2).

Jamvero a diversi finis præeminentia pendet quæstionis solutio circa ignorantes. Si Ecclesia vel Episcopus reservans principaliter vult pœnam infligere delicto, ac peccantem a peccato deterrere, fatendum esset ignorantiam a reservatione excusare; passim namque de pœna medicinali docetur, saltem si extraordinaria est et exorbitans, uti in casu, eam ab ignorante non incurri (3): quod sponte admittetur, cum ignota pœna nequeat avertere a crimine committendo. Si contrà principaliter intenditur medicina peccantis, vel ordinis hierarchici tuitio, non est cur in ignorantes non urgeatur reservatio.

Quod autem spectat Episcopum Brugensem, constat eam Ipsius esse mentem, quod, in reservando Sibi et nonnullis electis confessariis quædam peccata graviora, principaliter prosequatur *medicinalem curationem* pœnitentis, hunc adigendo ut coram peritiori medico vulnera curanda exponat (4).

---

(1) *Libellus*, p. 6.

(2) THEINER, l. c.

(3) Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *Juris Canonici Compendium*, ed. 7ª, n. 1376; VAN DEN BERGHE, *Tractatus de Legibus*, 1904, nº 139.

(4) Verum est quod communi confessario, si pro casu particulari ad Episcopum recurrat, dari soleat facultas absolvendi pœnitentem, qui fuit ob peccati cujusdam reservationem dimissus, adeo ut non rarò contingat tales pœnitentes a minus perito medico curari. Sed hoc est per accidens

Etiam in pœnam peccati inducitur reservationis disciplina, sed finis hic secundarius est in intentione Reservantis (1). Meritò igitur reservationi obnoxii declarantur ignorantes (2).

Contrarium obtinet pro reservatione peccati ratione sui reservati S. Pontifici, falsæ scil. denuntiationis confessarii. Ex ipso namque tenore Constutionis Benedictinæ *Sacramentum Pœnitentiæ,* apparet Benedictum XIV, in hac reservatione statuenda, principaliter intendere facinoris *pœnam,* cum expresse dicat se dicti criminis reservationem induxisse ad hoc ut « tam nefaria audacia et tam destabile facinus *metu magnitudinis pœnæ coerceatur* ». Merito proinde docetur hanc reservationem effugere ignorantes, illos, inquam, qui, momento commissi criminis, adnexam reservationem ignorabant (3).

A. De Smet.

---

et per modum transeuntis exceptionis: manet quod ab Episcopo habitualiter designantur, pro reservatis absolvendis, eminentiores et doctiores confessarii, ad quos de regula ordinaria dirigendi sunt pœnitentes reservationi obnoxii. Quodsi ægre ad illos sacerdotes accedant, et malint ad eumdem redire electum confessarium, durum foret huic confessario necessariam facultatem denegare, ac nimia in hoc severitas potius in ruinam duceret quam in ædificationem. Cf. Hizette, apud *Collationes Namurcenses*, t. IV, p. 193 s. Cæterum, eo ipso quod communis confessarius ad Episcopum recurrere debet, manet penes Episcopum facultas judicandi de aptitudine confessarii, et huic dandi opportunum consilium.

(1) Cf *Collat. Brug.*, t. IV, p. 23 s.

(2) Perperam judicat hunc Episcopi actum Card. Gennari, *Questions de morale, de droit canonique et de liturgie,* 1re Partie, Paris, 1912, Qu. 311, quando docet Episcopum validè quidem urgere reservationem in ignorantes, *non autem licite,* hoc scil. invocato argumento, quatenus quæstio de reservatione ab ignorantibus incurrenda disputationi subest, Episcopi autem non est, juxta Bened. XIV (*De Syn. diœces.*, l. VII, cap. XI, n. 2), controversias in Ecclesia vigentes auctoritative dirimere.

Equidem admittimus, coram principiis juris communis, ignorantes non esse peccati reservationi certò obnoxios; sed dubium unice oritur, uti in sequenti nota dicetur, ex indeterminatione finis qui prævaleat: quæ indeterminatio si auferatur, uti, attenta mente Præsulis Brugensis, apud nos removetur, jam non est locus controversiæ, nec adeo contra fas dirimitur controversia ab Episcopo, nec ullatenus intendit Episcopus controversiam dirimere.

(3) Quisnam finis habendus sit ut prævalens, an finis pœnæ infligendæ, vel medecinæ afferendæ, aut hierarchiæ tuendæ, quando reservantis mentis circa hoc aperitio desideratur, *non liquet;* nec solutionem præbet

V

Q. *Montrez comment apparut, durant la 3e période du moyen âge et avant le concile de Pise (1409), la théorie de la supériorité du concile sur le Pape* (1).

R. Les grands troubles, occasionnés dans l'Église depuis le commencement du XIVe siècle, par les luttes entre papes

textus Tridentinus etiam cum priori redactione collatus, in qua priori redactione æquo passu et absque præcellentiæ ordine memoratur finis pœnalis et finis hierarchiæ tuendæ Insoluta igitur remaneret, coram jure communi, salva positiva mentis reservantis aperitione circa finis intenti præcellentiam, quæstio intimè connexa de incurrenda reservatione ab ignorantibus; stante autem dubio, possent ignorantes practice haberi uti exempti a reservatione, quemadmodum eos practicè exemptos declarant non pauci auctores moderni, quales sunt BALLERINI, *Opus. theol. Morale* (ed. Palmieri), V, n. 725 ss.; NOLDIN, *Summa Theol. mor.*, 1908, III, n. 376; SABETTI, *Comp. Theol. mor.*, 1884, n, 781, qu. 4°; ADLOFF, apud *Strassb. Diözesanbl.*, 1911, p. 122 s.; VON HOLTUM, apud *Pastor Bonus*, t. XVI (1903-1904), p. 211 ss., et alii ibidem citati.

Hucusque disputata spectant reservationem peccati, seu casus *ratione sui reservatos*, Quod attinet *reservationem censuræ*, passim docetur, contracta censura, contrahi ejusdem reservationem, etiam ab illo qui, cognita censura, hujus reservationem ignorat. Et sane etiam si dicas censuræ reservationem principaliter esse latam in pœnam, non est respectu ipsius censuræ nisi pœnalitas quædam accessoria, et accidens sequitur principale.

(1) Outre les ouvrages généraux d'HERGENRÖTHER-KIRSCH, d'HÉFÉLÉ (*Conciliengeschichte*, t. VI, VII, Fribourg, 1890), de JUNGMANN (*Dissert. Selectæ*, 13, 14. 15, Ratisbonne, 1885) et l'*Histoire des papes*... par PASTOR (trad. franç. par FURCY RAYNAUD, Paris 1888), on consultera avec fruit les travaux spéciaux suivants: NOEL VALOIS, *La France et le Grand Schisme d'Occident*, 4 vol., Paris 1896 1901; SALEMBIER, *Le Grand Schisme d'Occident*, Paris 1900; KNEER, *Die Enstehung der conciliaren Theorie zur Geschichte des Schismas und der Kirchenpolitik*, Rome 1895; HIRSCH, *Ausbildung der Konziliaren Theorie im XIVen Jahrhundert*, Vienne 1903, et surtout les publications plus récentes de M. H.-X ARQUILLÈRE: *L'appel au concile sous Philippe-le-Bel et la genèse des théories conciliaires* dans *Revue des Quest. historique*, 1911, t. LXXXIX, p. 23-55; *L'Origine des théories conciliaires* dans *Comptes rendus des séances et travaux de l'Académie des sciences morales et politiques*, 15 mai 1911; ainsi que l'article *Gallicanisme* dans le *Dict. Apologétique de la Foi catholique*, 4e éd. 1911. Voir aussi pour cette réponse et celles que nous ferons suivre le *Rapport sur les travaux du Séminaire historique* de Louvain, paru dans l'*Annuaire de l'Université* de 1906 p. 411 ss. et 1907 p. 317 ss.

et souverains et surtout par le grand schisme, eurent pour conséquence de faire contester sérieusement certains droits au Saint Siège. On alla jusqu'à nier l'origine divine de la primauté romaine et la nécessité de l'unité dans l'Église. Ces théories extrêmes ne trouvèrent pas, il est vrai, beaucoup d'écho; mais, en amenant la confusion dans les idées, elles eurent cependant une influence néfaste et furent cause de ce que certaines opinions erronées se firent jour dans la société chrétienne, même chez des personnes dévouées à l'Église. C'est notamment durant cette période que naquit et se développa considérablement la *théorie* dite *conciliaire,* c'est-à-dire la doctrine de la supériorité du concile œcuménique sur le pape, qui fait l'objet de cette réponse. Nous n'avons à en étudier ici que l'élaboration: nous consacrerons prochainement quelques réponses à l'histoire de l'application de la théorie conciliaire et de sa condamnation.

Il sera cependant utile, croyons nous, de rappeler d'abord brièvement la doctrine catholique. L'Église enseigne que les évêques de Rome, en leur qualité de successeurs directs du prince des Apôtres et en vertu d'une disposition divine, possèdent la plénitude du pouvoir spirituel sur l'Église entière. Ils exercent l'autorité religieuse suprême, complète et régulière sur tous les chrétiens. La conséquence de ce pouvoir suprême est que tous les membres de l'Église, y compris les évêques, soit isolément, soit réunis en concile sont subordonnés au pape et que le pape en somme n'a pas de supérieur sur terre.

A cette doctrine traditionnelle, que l'Église a proposée d'une façon plus explicite à la suite des difficultés que nous avons à raconter, les partisans de la théorie conciliaire opposent la formule *Concilium majus est papa solo;* ils mettent cette formule en pratique au concile de Pise (1409) et tentent même au concile de Constance de lui donner une portée dogmatique. Cependant, comme nous avons à le faire voir dans cette réponse, la théorie révolutionnaire est antérieure à ces assemblées mémorables et elle n'a réussi à tromper la bonne foi de plusieurs que grâce aux circonstances difficiles que traversait l'Église.

I. La théorie conciliaire jusqu'au grand schisme.

D'après une étude récente de M. H.-X. Arquillière (1) les premiers germes de l'erreur conciliaire sont à chercher chez les adversaires de Boniface VIII, notamment dans les nombreux *appels au Concile* lancés par les Colonna et par les légistes français de l'entourage de Philippe-le-Bel. Ces appels d'abord ne comportaient nullement l'erreur de la supériorité du concile : les ennemis de Boniface prétendaient en effet que ce pape était un intrus, parce que Célestin V n'avait pas le droit d'abdiquer. Dans cette supposition l'Église n'avait plus de chef depuis la mort de Célestin (1296) et c'était, d'après eux, au concile à remédier à ce mal. Bientôt cependant les légistes français, Nogaret en tête, ajoutent une nouvelle considération, qui sera d'une importance capitale dans l'élaboration de la thèse conciliaire : Boniface, à les entendre, est notoirement hérétique ; si jamais il a été pape, il a cessé de l'être, d'après la doctrine assez universellement reçue qui déclare qu'un pape devenu hérétique notoire, est exclu de l'Église et déchu *ipso facto*.

Ces appels formulés sous Philippe-le-Bel avaient donné le branle : ils se repètent, assez nombreux et dans le même sens d'abord, du temps de Jean XXII, durant la lutte que ce pape eut à soutenir contre Louis de Bavière et le parti fanatique des Spirituels (1316-1334) (2). Qu'on se rappelle le fameux *Appel de Sachsenhausen* (mai 1334), dans lequel le roi Louis, à l'instigation des franciscains révoltés, répond à l'excommunication dont il avait été frappé, en accusant le pape d'hérésie et en faisant appel à un concile œcuménique pour justifier sa conduite.

Cette façon de procéder, nous l'avons déjà dit, n'était pas inspirée par la théorie conciliaire, mais devait au

---

(1) Dans *Revue des Quest. histor.*, l. c.

(2) Cfr Pastor, *Hist. des Papes*... t. I, p. 89 ss.

contraire la faire naître. Il y avait, en effet, une contradiction latente dans la doctrine du pape hérétique, parceque les caractères de l'infaillibilité pontificale n'avaient pas encore été assez nettement délimités (1). On n'y échappait pas en déclarant le pape hérétique déchu *ipso facto*. Car qui fixera les limites précises de l'orthodoxie? C'est, disent les théologiens et canonistes de l'époque, le pape qui a ce pouvoir suprême. Mais, s'il tombe dans l'hérésie, le pape est déchu de ce pouvoir! Qui donc jugera, en dernier ressort, s'il est hérétique, surtout s'il est obstiné dans l'hérésie? Il semblait qu'il n'y avait plus qu'à faire appel à l'Église, représentée par le concile, qui reste ainsi en définitive le juge suprême de la foi (2).

Cette conséquence fut bientôt dégagée, d'autant plus que vers le même temps parurent sur la constitution de l'Église les propositions les plus audacieuses dans le *Defensor pacis* (1324) de Marsille de Padoue et le *Dialogue* de Guillaume Occam (mort en 1347) (3). Ces deux écrivains, qui étaient à la dévotion de Louis de Bavière, enseignaient ouvertement la suprématie du concile: le premier en partant d'une conception multitudiniste et démocratique de l'Église, l'autre en admet-

---

(1) La contradiction consiste en ceci qu'on admet d'une part que le pape est juge suprême de la Foi, alors que d'autre part comme tel (on ne faisait pas ou au moins on ne faisait pas assez ressortir la distinction entre *doctor privatus* et *papa*) il peut cependant se tromper On était ainsi amené à chercher un *autre* juge suprême de la Foi.

La théorie du pape (docteur privé), hérétique notoire, exclu de l'Église et déchu *ipso facto* ou après sentence *déclarative* du concile, peut encore être aujourd'hui librement enseignée. (Cfr. De Brouwer, *Tract. de Ecclesia*, p. 406). Mais, qu'on le remarque bien, cette opinion exclut le cas du pape parlant *ex cathedra*, c'est-à-dire comme chef de l'Église et ne comporte donc pas la contradiction que nous venons d'indiquer. L'infaillibilité, telle qu'elle est définie maintenant, a pour conséquence que le pape comme tel est et demeure toujours le juge suprême de la Foi.

(2) H.-X. Arquillière dans *Revue des Quest. hist.*, l. c., p. 54.

(3) Nous reviendrons sur ces deux écrivains dans le prochain fascicule des *Collat. Brug.*

tant que la constitution de l'Église, bien que d'origine divine, peut changer quand le pouvoir unique devient dangereux. Certes ces théories impies furent repudiées par les écrivains dévoués à l'Église, mais pas aussi complètement qu'il aurait fallu; l'on constate notamment dès cette époque une tendance de plus en plus prononcée à concevoir l'Église comme séparable de son centre. Même les défenseurs les plus zélés du pouvoir pontifical subissent l'influence des doctrines néfastes: tels Augustin Triompho († 1344) (1) et Alvaro Pelayo († vers 1340) (2). En admettant le premier qu'un pape peut tomber dans l'hérésie, l'autre que l'Église est le seul sujet de l'infaillibilite, ils étaient amenés eux aussi à reconnaître en certaines circonstances la supériorité du concile œcuménique (3).

II. **La théorie conciliaire pendant le grand schisme, jusqu'au concile de Pise (1378-1409).**

Le grand schisme fit le succès rapide de la théorie conciliaire et donna lieu à son application. On sait que parmi les trois voies proposées dès l'abord pour rétablir l'union: la voie de compromis, la voie de cession et celle du concile général, ce fut la troisième, proposée aussi la première en date, qui finit par prévaloir. Jusqu'en 1393 le concile général fut le grand moyen préconisé par la France, par l'université de Paris et par ses élèves dispersés en tout lieu. A partir de 1393 on tenta, il est vrai, en France la voie de la cession, mais cette tentative qui donna lieu à la pratique de la soustraction d'obédience, échoua complètement (4). Entretemps l'opinion publique se manifestait de plus en plus en faveur de la *via synodi* et on essayait de différents côtés de justifier cette façon de procéder contre les attaques de l'oppo-

(1) *Summa de ecclesiastica potestate,* Rome 1582.

(2) *De Planctu Ecclesiæ libri* III, Venise 1560.

(3) Cfr. *Rapport sur les travaux du Sém. hist. de Louvain,* dans *Annuaire* 1906, p. 412.

(4) Salembier, *o. c.*, p. 131 ss.

sition et contre les hésitations que causaient à quelques uns la perspective de porter atteinte au pouvoir pontifical et les difficultés d'ordre pratique : par exemple la convocation et la présidence d'un tel concile. Malheureusement dans les nombreux opuscules favorables au concile, la théorie conciliaire apparaît de nouveau dans toute sa rigueur et cette fois chez des personnes dévouées à l'Église. Nous devons nous contenter ici d'énumérer les principaux représentants de cette théorie, en signalant autant que possible les étranges arguments qui devaient étayer leurs thèses.

C'est d'abord en France et dans le camp clémentin le jeune Pierre d'Ailly ; déjà en 1380 il posait la question significative : *Quis in Petri infirmitate Ecclesiæ firmitatem stabiliat?* Il n'y a d'après lui qu'une réponse à cette question : c'est que l'autorité suprême de l'Église n'est pas dans le pape qui n'a qu'un pouvoir *ministériel*, mais dans le concile des prélats tenant leur juridiction immédiatement du Christ (1). En cette même année, le docteur allemand, urbaniste, Conrad de Gelnhausen dans deux éditions de son *Epistola Concordiæ* (1379-1380) exprimait les mêmes idées : la suprématie du concile découle du fait que le pape peut errer, mais non l'Église ; celle-ci a deux chefs, l'un essentiel et indéfectible : le Christ ; l'autre que la mort ou le péché peuvent lui enlever sans qu'elle en meure : le pape (2).

Henri de Langenstein, un autre urbaniste allemand, renchérit encore sur les idées de son compatriote (3). D'après son système il ne faut pas attacher une importance exagérée au fait de l'institution de la papauté par

---

(1) Cfr. ARQUILLIÈRE, article *Gallicanisme*, p. 217 ; SALEMBIER, art. *Ailly (d') Pierre* dans le *Dict. de Théol. Cathol.*

(2) ARQUILLIÈRE, *l. c.*

(3) Dans ses opuscules : *Epistola pacis* écrit en 1379/80, *Epistola Concilii pacis* de 1381 et *Ep. de cathedra Petri* écrit en 1395. Cfr. MARX, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, Trier 1906, p. 490. Langenstein était, comme Conrad de Gelnhausen, docteur de Paris. Cfr. PASTOR, *o. c.*, t. I, p. 192 ss.

le Christ. L'Église aurait eu le droit de se donner un pape, quand même Jésus-Christ ne l'eût pas fait. Les cardinaux, qui nomment le pape, ne sont que les délégués de l'Église, de l'épiscopat tout entier qui représente l'Église quand il est uni en concile. Il en conclut que l'autorité du concile est au dessus de celle du pape et du sacré collège; c'est d'ailleurs de l'Église seule qu'il a été dit que les portes de l'enfer ne prévaudront point contre elle. Et qu'on n'objecte pas: le concile ne se conçoit pas sans la convocation et la présidence du pape: la nécessité supprime la légalité et même elle fait un devoir de la supprimer (1).

Ces idées révolutionnaires n'eurent d'abord que peu de succès en France; mais après 1393 d'Ailly, aidé par son ami le pieux Gerson, chancelier de l'Université de Paris, revient à la charge et bientôt dans les assemblées du clergé la théorie conciliaire est à l'avant plan (2). En 1406 en réponse à une lettre de l'Université de Toulouse affirmant qu'il n'est jamais permis d'en appeler d'une sentence pontificale, les Parisiens écrivaient: « Il s'en suivrait que dans aucun cas l'Église universelle ne serait supérieure au pape! Or il est néanmoins constant par les Saintes Écritures que l'Église universelle ne peut ni pécher, ni errer dans la foi, que le pape a été institué pour l'Église et non l'Église pour le pape, et qu'enfin le pape, considéré comme tel, est membre de l'Église. Par quelle raison donc la partie ne serait-elle pas soumise au tout? Celui qui peut pécher à celle qui

---

(1) C'est un argument que Gerson et d'autres reprendront. La constitution de l'Église d'après Gerson a pour objet comme toutes les autres lois religieuses, d'assurer la paix. Une loi qui n'atteint plus ce but est abolie de fait. Cfr. PASTOR, *o. c.*, p. 195.

(2) Le plus souvent les docteurs et évêques partisans du concile général n'affirmaient la compétence du synode que sur un pape suspect d'hérésie ou faisaient observer que le concile ne porterait pas de sentence sur la personne d'un pape incontesté, mais chercherait à savoir qui était le véritable pape. A partir de 1406 la théorie du concile se présente tout autrement. Cfr. ARQUILLIÈRE, *art. cité*, col. 218.

est impeccable, celui qui peut faillir à celle qui est infaillible? C'est aussi une maxime avouée d'Aristote et des anciens philosophes de la Grèce, qui ont écrit sur le gouvernement, que tout corps politique, lorsqu'il est bien ordonné, l'emporte sur le prince, s'il est seul de son côté, et peut-être pourrait-on dire qu'on n'est obligé d'obéir aux ordonnances du prince, qu'autant qu'elles sont fondées sur le droit divin ou *sur l'autorité de toute la communauté* » (1). Nous transcrivons ce passage, parce qu'il nous montre clairement sur quelle base l'opinion erronée s'appuyait. Ce n'est plus la tradition, quoiqu'on l'invoque, ni uniquement la question du « pape faillible » qui règle la pensée, c'est surtout une théorie philosophique et cette théorie est démocratique. Ces mêmes idées se retrouvent dans un grand nombre d'ouvrages contemporains, surtout chez Gerson (2).

Enfin à la veille du concile de Pise, le célèbre canoniste Zabarella, qui devint plus tard cardinal, les réunit en un système dans un traité mémorable *De schismate pontificum* (3). D'après lui dans l'Église la *potestas est in universitate tanquam in fundamento et in papa tanquam in principali ministro.*

C'est, armés de ce principe subversif de la constitution de l'Église, que beaucoup de prélats et de docteurs des deux obédiences croyaient devoir travailler à l'exstirpation du schisme; tant les tristes évènements de cette époque avaient jeté de trouble dans les meilleurs esprits!

R. De Schepper.

---

(1) Du Boulay, *Hist. Univ. Paris.* v. 35, cité par Arquillière, *l. c.*

(2) Spécialement dans les traités: *Trialogus in materia schismatis, De unitate Ecclesiæ, De auferibilitate papæ ab ecclesia.* Les œuvres de Gerson furent éditées opera et studio M. L. Ellies du Pin à Anvers en 1706. Gerson est plus radical que d'Ailly, il est partisan declaré du système démocratique et même multitudiniste dans la constitution de l'Église; pour d'Ailly l'Église est une aristocratie. Cfr. Salembier, art. *Ailly* (d') cité, col. 647.

(3) Publié dans Schardius, *De jurisdictione imperiali,* Basileæ, 1566, p. 688-711. Ce traité composé dans le courant de l'été de 1408 est d'une haute importance, car c'est le premier écrit de ce genre dans lequel on trouve la théorie conciliaire développée intégralement. Pastor, *o. c.*, p. 197.

VI

Q. *La fabrique d'église doit-elle être autorisée pour faire des collectes à domicile ou sur la voie publique?*

R. I. *Collectes à domicile* (1).

Cette matière est entièrement régie par l'arrêté royal du 22 septembre 1823 (2). L'arrêté de Guillaume I, intervenu dans le dessein d'empêcher que sous prétexte de *bienfaisance* on fasse des collectes à domicile, en abusant de la crédulité et de la charité publiques, contient deux dispositions principales:

1° Les *institutions de piété* (fabriques d'église) ou *de bienfaisance* (bureaux de bienfaisance, hospices ou autres) *reconnues* d'utilité publique ont et conservent le droit de collecter à domicile, *soit à des époques déterminées, soit en cas de calamités ou de circonstances extra-*

---

(1) V. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, n° 112, t. II, p. 435 s.; Moulart, *Des fabriques d'églises*, éd. 9, Louvain, 1899; *Collat. Namurcen.*, 1905-1906, t. V, p. 386 ss.; Standaert, *Manuel de l'administration des fabriques d'églises*, p. 176, Gand, 1910; *Pandectes belges*, v° Collecte; Giron, *Dictionnaire de droit administratif*, v° Collectes, Bruxelles, 1895; Warnier, *Répertoire de l'administration des communes*, p. 354, Namur, 1911; Kisselstein, *Les dons et legs aux fabriques d'églises*, p. 413, note (2), Louvain, 1912.

(2) *Pasinomie*, 2 sér., t. VII, p. 369 s. Les *Pandectes belges*, l. c., p. 262 en note, publient les travaux préparatoires de l'arrêté, ainsi qu'une décision ultérieure de Sa Majesté, (n° 29 s.) d'après laquelle les collectes en faveur des couvents, soit des Alpes ou d'autres, sont comprises dans les dispositions générales du dit arrêté et sont prohibées sans autorisation préalable; v. *le Mémorial de Liége*, t. II, n° 274; *le Mémorial de Luxembourg*, t. II, n° 95; *Pasin.*, l. c., note. Le rapport du ministre de la justice au Roi, du 22 janv. 1822 (*Pandectes*, p. 263) se rapporte à cette décision, dont on ignore du reste la portée et les circonstances. On y a trouvé un motif pour soutenir que l'arrêté de 1823 était, dans son art. 2, applicable à toutes les collectes charitables ou de bienfaisance qu'il s'agisse d'infortunes *permanentes* au *accidentelles*; v. les *Pandectes*, n° 42 ss. Un arrêt de la Cour de cassation du 16 octobre 1905 (*Pas.* 1906, I, p. 25) a jugé en ce sens, contrairement à la jurisprudence constamment suivie par les Cours et les Tribunaux depuis 1861 et récemment encore par la Cour d'appel de Bruxelles, arrêt du 10 janv. 1910 (*Pas.* 1911, II, p. 51). Voir *Collat. Namurcen.*, *l. c.*, p. 391 ss.; 1910-1911, t. X, p. 128 s.

ordinaires; 2° Tous autres établissements non reconnus ou personnes, qui voudront faire des collectes à domicile pour adoucir des calamités ou des malheurs (1), devront au préalable en obtenir l'autorisation par écrit (2).

Il semble légitime de conclure que les fabriques n'ont besoin pour collecter d'aucune autorisation préalable.

a/ Aucun doute raisonnable (3) ne peut se produire, lorsque la fabrique se borne à recueillir des dons manuels pour pourvoir aux nécessités du culte ou pour un objet se rattachant au culte paroissial. A titre d'exemples mentionnons les collectes pour contribuer à la célébration d'une messe de binage ou à l'achat d'ornements d'église, pour favoriser l'enseignement du catéchisme, etc. (4).

Les *Pandectes belges* (5) assimilent à bon droit aux collectes les *souscriptions* en faveur des fabriques. La nature de la collecte ne peut en effet se trouver modifiée par la circonstance que le montant des dons et les noms de leurs auteurs sont inscrits sur une liste. En Belgique cependant, la jurisprudence administrative semble exiger que les souscriptions pour les travaux à affectuer aux églises soient autorisées (6). Cette jurisprudence

---

(1) Toutes autres collectes organisées par *des particuliers* dans un but religieux, moral, scientifique, littéraire ou politique sont permises sans l'autorisation de qui que ce soit. V. Cass. 1 juillet 1861, *Pas.* I, p. 293; 22 juillet 1861, *ibid.*, p. 341; 10 août 1863. *ibid.*, I, p. 307; cf. *Collat. Namurcen.*, 1905-1906, t. V, p. 389 ss.; *Pandectes, l. c.*, n° 28 ss.; MOULART, *o. c.*, p 418.

(2) Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. et l. cit.*

(3) Cette conclusion n'est pas sérieusement contestée, v. *Pandectes*, n° 26.

(4) Le tribunal de Gand, jugem. du 16 juillet 1879 a jugé que même pour les collectes non soumises à l'autorisation préalable, les autorités communales peuvent s'enquérir par qui et pourquoi les collectes sont faites, aux fins de prévenir les abus et les délits d'escroquerie et de mendicité. V. *Le Mémorial*, 1879, nouv. sér., t. VII, col 703 ss.; MOULART, *o. c.*, p. 419 s.

(5) *L. c.*, n° 46.

(6) Circ. min. du 21 oct. 1878 et dépêche min. du 29 oct. 1898, cf. DE CORSWAREM, *De l'administration des fabriques d'églises*, p. 417, Hasselt, 1904; KISSELSTEIN, *o. c.*, p. 413, note (1).

ne saurait se justifier (1) et n'est du reste pas toujours suivie dans la pratique.

2° L'arrêté de 1823, visant dans son texte et dans ses travaux préparatoires les *collectes charitables,* semble très clairement reconnaître aux fabriques d'églises, comme aux institutions de bienfaisance, le droit de faire des quêtes à domicile pour les pauvres, soit à des époques déterminées, soit en cas de calamités ou à des circonstances extraordinaires. Par application du principe de la spécialité des services, ce pouvoir est aujourd'hui dénié aux fabriques: elles ne peuvent collecter que pour subvenir aux nécessités du culte, du moins à domicile et elles ne pourraient être même autorisées à le faire pour les pauvres (2). « Mais, fait » justement remarquer M. Kisselstein (3), les paroisses, » personnifiées par les fabriques, ont-elles moins d'ini- » tiative que les particuliers? La réponse négative » s'impose dans l'hypothèse de la capacité absolue des » personnes morales. Une fois admis le principe de la » spécialité, la réponse dépend de la solution d'un autre » problème: la charité entre-t-elle par quelque côté dans » l'exercice du culte? Aucun chrétien n'hésite à l'affir- » mer. La vie religieuse d'une paroisse ne se borne pas » aux cérémonies du culte et à l'enseignement de la » religion, mais elle comporte aussi de multiples œuvres » de miséricorde spirituelle et corporelle. Ainsi l'at- » testent l'histoire et l'ancien droit; ainsi le compre- » naient Bigot de Préameneu et Portalis ».

Le même auteur en conclut à la légalité des fondations charitables confiées aux fabriques, fondations qui ne relèvent pas de la bienfaisance publique mais bien de la charité privée. Dès lors il faudrait reconnaître aux

---

(1) DE CORSWAREM, *o. et l. c.;* KISSELSTEIN, *o. c.*, p. 412 s.; MOULART, *o. c.*, p. 502.

(2) *Pandectes belges, l. c.*, n° 26; GIRON, *o. c.*, v° Bureau de bienfaisance, n° 12 s.; *Collat. Namurcen., l. c.*, p. 389.

(3) *O. c.*, p. 381.

administrations fabriciennes la capacité de collecter (1), pour aider les paroissiens indigents ou secourir une catégorie de pauvres soutenus par une œuvre paroissiale de charité.

II. *Collectes sur la voie publique ou dans les lieux publics* (2).

Ces collectes ne tombent pas sous l'application de l'arrêté de 1823. Elles sont soumises au droit de police de l'autorité communale. La Cour de Cassation a jugé que les règlements communaux qui soumettent à une autorisation préalable ce genre de collectes sont légaux et obligatoires (3), et que, même en l'absence d'un règlement, le bourgmestre peut en vertu de son droit de police interdire ces collectes (4). Le droit de ne pas autoriser ces collectes dérive uniquement du droit de police conféré à l'autorité communale, c'est-à-dire « du » droit de faire jouir les habitants des avantages d'une » bonne police et notamment de la propreté, de la » salubrité et de la tranquillité dans les rues, lieux et » édifices publics, » et « d'assurer la sûreté et la commodité du passage dans les rues et le maintien du bon ordre dans les endroits où il se fait de grands rassemblements d'hommes » (5).

En conséquence, l'autorité communale ne peut exercer ce droit pour des considérations étrangères au maintien de l'ordre et de la tranquillité publiques (6).

A. De Meester.

---

(1) Kisselstein, *o. c.*, p. 364 s.

(2) Cf. Moulart, *o. c.*, p. 420 s.; De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.*; Warnier, *o. c.*, p. 357; *Pandectes belges*, v° cit., n° 13 ss.

(3) Cass. 2 fév. 1880, *Pas.* I, 65.

(4) Cass. 31 mars 1881, *Pas.* I, 184.

(5) Décret du 14 déc. 1789, art. 50; loi du 16-24 août 1790, art. 3, 1° et 3°; ar. roy. 8 nov. 1893, *Moniteur*, p. 3517; Moulart, *o. c.*, p. 421 s.

(6) Standaert, *o. c.*, p. 177.

Utrum Judas adfuerit institutioni SS. Eucharistiæ.

Inter varias quæstiones chronologicas quæ circa ultimos dies vitæ Christi Domini moventur et difficultatem faciunt, hæc occurrit: quonam ordine sibi successerint in ultima cœna varia dicta aut facta Christi et Apostolorum; hic in specie eam attingimus utrum Judas adfuerit institutioni SS. Eucharistiæ, an vero ante ipsam a cœnaculo discesserit.

Duplex, ut notum est, datur hic **sententia**:

Prior, quæ affirmat, hodie jam communiter derelicta est, etsi fuerit plerorumque Patrum et scriptorum antiquorum: inter hos citantur: Origenes, S. Cyrillus Hieros., S. Cyrillus Alex., S. Joannes Chrysost., S. Ambrosius, S. Leo, S. Cyprianus, S. Augustinus, S. Hieronymus, etc., — item, inter recentiores: Rabanus, Beda, S. Thomas, Suarez, Benedictus XIV, Cornelius a Lapide, etc. (1); — inter hodiernos ipsam sive ut certam sive ut probabiliorem propugnant Van Steenkiste (2), Liagre (3), Beelen (4), Loisy (5), Fouard (6), etc.

Pro **altera** sententia, **quæ negat** Judam adfuisse, inter antiquos citantur: Constitutiones apostolicæ, S. Hila-

---

(1) Cfr. Van Steenkiste, *Evang. sec. Matthæum* (Brugis, 1903), t. II, pp. 837 ss.; — Corluy, *Commentarius in Ev. S. Joannis* (Gandavi, 1878), pp. 301 ss.; — Fillion, *Evangile selon S. Luc* (Paris, 1882), in XXII, 23; — Cornelius a Lapide, *Comment. in Matth.* XXVI, 20; Suarez, II p. q. 73, art. 5, sect. 3.

(2) *O. et l. citt.*

(3) *Comment. in S. Lucam* (Tornaci, 1889), in XXII, 21; — *Comment. in S. Matthæum* (Tornaci, 1883) in XXVI, 21.

(4) *Het Nieuw Testament* (Brugis, 1891) in Mt. XXVI, 21.

(5) *Le quatrième Evangile* (Paris, 1903), p. 724.

(6) *La vie de N. S. J. C.* (Paris, 1910), pp. 260 ss.

rius, Tatianus, S. Aphraates, — et inter recentiores Rupertus Tuitensis, Petrus Comestor, Innocentius III, Turrianus, Salmeron, Barradius, etc.; — estque hodie, sive ut certa sive ut probabilior, longe communior inter auctores.

I. Porro non multi hic facienda sunt argumenta quæ in favorem alterutrius sententiæ desumuntur ex **rationibus convenientiæ**, puta: α/ Judas tunc adhuc erat occultus peccator, quem proinde Christus non debebat a S. Communione prohibere, ergo SS. Eucharistiæ adfuerit: — respondetur enim merito Christum sane, etsi non debuerit, tamen potuisse ab Eucharistia eum avertere (1); — vel β/ in oppositum: « Cur Jesus, quum facile posset, Judæ novi et horrendi sceleris patrandi ansam non præripuisset? Et quomodo tale monstrum in sacerdotem sibi elegisset et in Ecclesiæ suæ obsequium ordinasset? » (2) ergo Judas non adfuit SS. Eucharistiæ: — respondetur enim eo quod hujusmodi rationes nos laterent, minime sequi eas non exstitisse. — In quæstionibus hujusmodi, quarum profunda intellectus noster humanus capere non valet, tutior via est ut *quid factum fuerit* examinantes, postea, si lubet, pro modulo nostro conemur perscrutari modi agendi divini rationes, easque in propriam aliorumque utilitatem applicare.

Alia quoque seponimus **argumenta minus efficacia**: Ita: α/ debilis apparebit confirmatio in favorem sententiæ *negantis* petita ex eo quod *Paulus*, in I Cor. XI, ubi agit de indigne communicantibus, et de institutione Eucharistiæ « in qua nocte tradebatur », tamen nil dicit de communione sacrilega quam omnium primus instituisset Judas. — β/ Debile quoque est argumentum pro sententia *affirmante* deductum ex hoc quod cantat Ecclesia: Cibum *turbæ duodenæ* se dat suis manibus (3), — et:

---

(1) Cfr. Corluy, *l. c.*
(2) *Ibid.*
(3) Hymnus: *Pange lingua.*

Turbæ fratrum duodenæ datum non ambigitur (1): Quid enim obstabat quominus S. Thomas, in componendis hisce canticis, secutus fuerit sententiam quam ipse circa hanc quæstionem tenebat et quæ suo tempore communius tenebatur? Neque sane Ecclesia, hæc cantica in usum suum accipiendo, sua auctoritate voluerit quæstionem illam exegeticam dirimere! — γ/ Aliud quoque argumentum inefficax est, quod desumitur ex Matth. XXVI, 27, ubi Christus, Apostolis suis porrigens calicem consecratum, quasi insistendo, dicit: Bibite ex illo *omnes*, et ex Marco XIV, 23, ubi notat: Et liberunt ex illo *omnes*. Revera, etsi prius abierit Judas, et remanserint undecim tantum, nonne jure poterat hos præsentes *omnes* alloqui? Cæteroquin apparet rationem specialem adfuisse quare Christus, vere insistendo, vocem *omnes* addiderit, et quare Marcus notaverit *omnes* ex eo calice bibisse: etenim in cœna *paschali* Judæorum (2) mos erat ut omnes convivæ quatuor calices vini biberent, sed *singuli suum* calicem habebant, de eoque bibebant; calix vero quem Christus consecravit in sanguinem suum, unicus erat, eumque Christus porrexit Apostolis bibendum, monens ut *omnes* ex hoc calice et de hoc vino consecrato biberent (3); et notabis Christum id non dixisse de corpore suo: panem enim consecratum ipse fregit et singulis Apostolis distribuit. — δ/ Pro memoria tantum referimus quosdam exegetas (ita Cornelium a Lap., in Jo. XIII, 25) olim tenuisse *buccellam panis* a Christo porrectam Judæ, fuisse panem consecratum.

II. Quæstionis difficultas simul et **argumenta præcipua** nunc examinanda quæ in favorem alterutrius sententiæ desumi possunt, habentur in ordine quo varia dicta et facta in Evangeliis referuntur.

---

(1) Sequentia: *Lauda Sion.*

(2) In tota hac disquisitione supponimus, quod indubium nobis videtur, ultimam cœnam vere fuisse cœnam *paschalem*. moribus et ritibus judaicis peractam.

(3) Cfr. KNABENBAUER, *in Matth., h. l.*

Pro sententia **affirmante** argui potest :

1. **Ex S. Luca,** ubi Christus, cum facta esset hora (vespertina, hora legalis incipiendi cœnam paschalem), discubuit cum duodecim (XXII, 14), illisque ait : Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum... (15 s.), dein calicem vini non consecrati cum Apostolis suis bibit (17 s.), deinde instituit SS. Eucharistiam, consecrando panem (19) et vinum (20), et, sermone non interrupto, pergit (21) : « Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa », — et væ ipsi dicit (22), — et Apostoli incipiunt quærere inter se, quis sit ex iis, qui hoc facturus est (23).

Unde diceres : juxta S. Lucam non videtur dubium huic institutioni SS. Eucharistiæ Judam adfuisse.

2. **Ex S. Joanne** (1). Hic quidem explicite non exponit institutionem SS. Eucharistiæ, sed juxta multos, ad eam alludit in c. XIII, v. 1 : Ante diem festum Paschæ sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem : cum dilexisset suos, qui erant in mundo, *in finem dilexit eos* (2). — Porro postea tantum « cœna facta » refert lotionem pedum (2-20), in qua Christus obscure jam alludit ad proditionem Judæ (vv. 10 s., 18 s.), et tandem vv. 21-30 explicite de proditore loquitur, eum Joanni manifestat, eique porrigit buccellam panis, qua accepta Judas exivit continuo. — Unde iterum, dices, denuntiatio Judæ post institutionem Eucharistiæ reponitur.

Ex opposito pro sententia **negante** argui potest :

1. **Ex SS. Matthæo et Marco, collato Joanne** : Apud Mt. et Mc. Christus, vespere facto, venit cum duodecim (Mc. XIV, 17), et discumbentibus eis, et manducan-

---

(1) Mentem *Joannis* fuisse Judam Eucharistiæ interfuisse, tenet CALMES, *Evangile selon Saint Jean* (Paris, 1904), p. 376 s.

(2) Cfr. CALMES, *l. c.;* BELSER. *Die Geschichte des Leidens und Sterbens, der Auferstehung und Himmelfahrt des Herrn* (Freiburg. 1903), pp. 194 ss.

tibus, ait Jesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum... (18-20), — et væ ipsi dicit (21), Judæ vero interroganti: Numquid ego sum, Rabbi? ait Jesus: Tu dixisti (Mt. XXVI, 25). Post hoc statim pergit uterque Evangelista: Et manducantibus illis, accepit Jesus panem... et referunt institutionem SS. Eucharistiæ (Mc. 22-25). — Facile apparet denuntiationem Judæ poni in priori parte cœnæ, institutionem vero SS. Eucharistiæ in ulteriori quodam momento, et sensum v. 22 Mc. *manducantibus illis,* in oppositione ad v. 18: *discumbentibus eis et manducantibus*, designare cœnam jam ad ulterius stadium protractam vel ad finem vergentem. — Porro statim post relatam institutionem Eucharistiæ additur: Et hymno dicto, exierunt in montem olivarum.

Verum quidem est Mt. et Mc. non explicite notare Judam *ante* Eucharistiam statim exiisse; sed *nullibi* notant egressum Judæ, et ideo oportet alicubi eum supplere. Jamvero magis obvium est supponere Judam, semel ac perspexerit proditionem suam notam esse Christo, statim exiisse; imo tam obvium illud fuerit ut evangelistæ potuerint judicare supervacaneum esse illud adnotare. — Sed præterea S. Joannes, qui et ipse refert totam narrationem denuntiationis Judæ, explicite notat (XIII, 30): Cum ergo accepisset ille buccellam, *exivit continuo*. Jamvero dubium nequit esse Joannem, qui cæteroquin totam hanc rem multo magis determinate narrat, accuratam servasse seriem factorum: ipse enim ipsis interfuit, imo fuerit ille discipulus qui erat recumbens in sinu Jesu, quem diligebat Jesus (v. 23), qui Jesum interrogavit, et ipse solus ab eo didicit quisnam esset qui eum traderet (vv. 24 ss.).

2. **Ex S. Joanne** seorsum sumpto desumi potest confirmatio. Ut enim plerique volunt et certum videtur, lotio pedum quam refert (vv. 2-11) præcesserit institutionem SS. Eucharistiæ: revera in cœna paschali Judæorum, post potationem primi calicis vini, manus quidem lava-

bant, sed lotio quædam pedum non fiebat (1): obvium est supponere Christum hanc peregisse ad significandam multo majorem munditiem illam quæ requiritur ad manducationem SS. Eucharistiæ. Porro dum agitur hæc lotio, ad proditorem alludit Christus (v. 10 s.), et « postquam lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua: cum recubuisset iterum, dixit eis:... » (v. 12); et in hoc sermone iterum alludit ad proditorem (v. 18 s.), et « cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu... et dixit:... » (v. 21) — et sequitur tandem explicita denuntiatio proditoris, post quam hic « exivit continuo » (v. 30). — Unde in tota hac pericopa nullibi locus datur ubi reponatur scena eucharistica, adeoque hæc *postea* tantum successerit. — Imo plerique auctores in v. 31 de institutione Eucharistiæ agi putant (2).

III. Quid dicendum?

Sunt qui totam difficultatem solvunt supponendo Christum *bis*, imo *ter prædixisse proditionem* Judæ: ita Benedictus XIV (3) primam prædictionem reponit initio cœnæ (Mt. XXVI, 20 ss., Mc. XIV, 18 ss.), alteram post lotos pedes (Jo. XIII, 10, 19; — quæ fuit prædictio obscura tantum), tertiam vero post institutionem SS. Eucharistiæ (Luc. XXII, 21 ss., Jo. XIII, 21 ss.)(4).

Ast mirum cuique videbitur hanc duplicem prædictionem quam referunt *Mt. et Mc.* ex una et *Luc.* ex altera parte plane eamdem esse (5); similiter *Jo.*, etsi

---

(1) Hinc intelligitur protestatio Petri: Domine, tu mihi lavas pedes, et responsum Christi: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea... Si non lavero te, non habebis partem mecum.

(2) Cfr. BELSER, *o. c.*

(3) *De Festis*, c. 6, 33.

(4) BEELEN, *l. c.*, reponit primam prædictionem ante institutionem Eucharistiæ (Mt. XXVI, 20 ss., Mc. XIV, 18 ss.), alteram immediate post institutionem (Lc. XXII, 21 ss.), tertiam post lotionem pedum (Jo. XIII, 21 ss.). Unde ipse lotionem hanc de qua Jo. loquitur reponit post Eucharistiam. — Similiter LIAGRE, *l. c.*

(5) Nec alia sunt quæ habent Mc. v. 18, 20 et Lc. v. 21, contra eadem: Mc: Amen dico vobis quia unus ea vobis tradet me, qui manducat mecum,

plura propria habet quæ desunt apud Synopticos : « Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me; aspiciebant ergo ad invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret », compendiose idem refert quod latius synoptici. — Præterea mirum videbitur quod triplici illa vice notatur discipulos incæpisse quærere inter se vel quærere a Christo, quis esset. — Tandem ipse Luc. hoc impervium habet quod, prius reposita institutione Eucharistiæ *post cœnam* μετὰ τὸ δειπνῆσαι (v. 20), deinde exhibet Christum dicentem: « Manus tradentis me *mecum est in mensa* », quæ expressio obvie intelligitur de cœna adhuc durante, et, ut diximus, parallela est cum Mc. et Mt.: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

Quare nisi aliunde — nimirum ex inerrantia S. Scripturæ — probetur rei impossibilitas, obvium erit admittere *unam tantum prædictionem* locum habuisse. Porro ut ostendetur, inspiratio et inerrantia minime obstant (1).

Quod autem locum determinatum spectat cui hæc unica denuntiatio assignanda est, indubium videtur ipsam *ante institutionem Eucharistiæ esse reponendam,* adeoque *Judam* huic institutioni *non interfuisse.* Valida enim hic nobis apparent argumenta prout ea supra exposuimus in favorem hujus sententiæ, et, ut notavimus, ipse Luc., cujus narratio hic difficultatem facit, in v. 21 supponit cœnam nondum esse peractam dum refertur denuntiatio, adeoque indicat ea quæ de hac denuntiatione refert in vv. 21-23, chronologice *non* succedere ad Eucharistiam de qua vv. 19 s.

Argumenta vero quæ in favorem sententiæ oppositæ affirmantis supra allata sunt, facili negotio diluuntur.

---

et: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino; — Lc: Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa.

(1) Cfr. KNABENBAUER, *In Evang. S. Joannis,* p. 410: « Plane superfluum est adstruere Christum et discipulos *bis,* i. e. inter cœnandum et post spatium temporis, instituta eucharistia, *eadem* dixisse ».

Arguunt enim (vide supra):

1. **Ex S. Joanne.** — Sed respondetur: a/ plerique exegetæ, ut diximus, non reponunt institutionem Eucharistiæ, in c. XIII, v. 1, sed in v. 31 tantum, adeoque *post* denuntiationem Judæ; — b/ imo, etsi cum aliis — et melius ut videtur — ipse v. 1 intelligendus esset de Eucharistia, nihil inde probaretur: vers. enim 1 intelligi potest, et revera intelligendus nobis videtur, quasi *adnotatio quædam generalis:* Dum hucusque Christus ministerium suum exercuerat inter Judæos, sæpe hostiles, et habuerat omnes illas disputationes cum adversariis suis, jam pro reliquo convertitur ad suos, et « ante diem festum Paschæ, sciens quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos »: sic Evangelista, prævie ad totam narrationem secuturam (cc. XIII-XVII), in lucem ponit indolem generalem ipsius: fuit tota hæc cœna, in qua præcipuum erit institutio Eucharistiæ, supremum argumentum amoris Christi erga suos. — Deinde, in v. 2 incipit narratio historica: Et, i. e. scilicet, cœna facta (δείπνου γινομένου, dum cœna incipiebat) (1)... surgit a cœna, et ponit vestimenta sua... et cœpit lavare pedes discipulorum... Postquam ergo lavit pedes eorum... cum recubuisset iterum, dixit eis... — Unde vers. 1, minime indicat

---

(1) Δείπνου γινομένου expressio parallela est, cum Synopt.: ἐσθιόντων αὐτῶν. — Alia lectio: δείπνου γενομένου immerito præfertur a CALMES, *o. c.*, p. 373; etenim hæc lectio tum sub respectu criticæ textualis minus commendatur, tum in contextu Joannis non quadrat: revera vv. 12, 18, 21 ss. aperte supponunt cœnam nondum esse absolutam, sed pergere adhuc; lectio γενομένου forte orta sit ex eo quod aliquis amanuensis, v. 1 intelligens de Eucharistia, putaverit ex Synopticis cœnam esse finitam; ea vero quæ vv. 12, 18, 21 ss. leguntur potuit vel non advertere vel non prævidere dum v. 1 scribit, vel putare ea non involvere continuationem convivii proprie dicti. (Lectio nostra γινομένου adoptata fuit in editionibus TISCHENDORF, TREGELLES, NESTLE, etc.). — Cæteroquin ipse aoristus γενομένου intelligi posset: dum cœna *inceperat*, dum cœna *fiebat* (cfr. Mt. XXVI, 6; Mc. VI, 2), et propter vv. 12, 18, 21 ss. ita intelligi deberet.

aliquod factum speciale chronologice ante facta in vv. 2 ss. exposita reponendum, sed sumendus est qua animadversio ipsius Evangelistæ, generali modo indicans indolem totius hujus ultimæ cœnæ (1).

2. **Ex S. Luca.** — Respondetur : Tota narratio S. Lucæ prout supra eam exposuimus, facile componitur cum cæteris Evangelistis, si supponis S. Lucam hic secutum esse eam methodum quam pluries animadvertere licet in Evangelio suo, imo etiam in Actibus Apostolorum : nimirum S. Lucas non raro intervertit ordinem adjunctorum aut dictorum, sive ut mutuo conjungat varia dicta aut facta analoga, sive ut compleat et absolvat narrationem aliquam antequam ad aliam transeat, cujus tamen initium ante finem præcedentis esset reponendum (2). Sic v. g. in I, 64, postquam retulerit Zachariam in pugillari scripsisse nomen Joannis, pergit Lc.: « *Apertum est autem illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum* ». Quid dixerit, non refert Lc., sed pergit: « Et factus est timor super omnes vicinos eorum: et super omnia montana divulgabantur omnia verba hæc : et posuerunt omnes, qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo ». Et nunc tandem Lc., postquam hæc omnia retulerit quæ sane *postea* tantum locum habuerint, pergit: « Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritus sancto et prophetavit, dicens: *Benedictus Dominus...* » (3). Eamdem methodum inver-

(1) Simile quid habetis, XIII, 5: Cœpit Jesus lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum... — Sensus minime est Christum ad Petrum accessisse, postquam laverat pedes aliorum, sed v. 5 intelligendus est per modum animadversionis vel introductionis, in qua Jo notat extraordinareitatem facti: Cœpit lavare pedes discipulorum! — Et deinde incipit ipsa narratio factorum: Venit ergo, venit scilicet... Cfr. Fouard, *La vie de N. S. J. C.*, (Paris, 1910), t. II, pp. 256.

(2) Cfr Friedlieb, *Archéologie de la Passion...*, *adapté en français par* Fr. Martin (Paris, 1897).

(3) Cfr. Lesètre, *La méthode historique de Saint Luc* (*Revue Biblique*, 1892, pp. 179 s.).

sionis advertes I, 56, 57; I, 80, II, 1; II, 17, 20; III, 18 ss., 21; IV, 36-38; VIII, 34-37, Act. Ap. XX, 10-12, etc. (1). — Hac methodo, quam « *exclusionis seu eliminationis* » vocant (2), tota res liquet: Facta cœnæ locum habuerint hoc ordine: inceperit ipsa cœna paschalis, more et ritibus judaicis (3), potu primi calicis vini, esu herbarum amararum, potu secundi calicis cum recitatione prioris partis psalmorum Hallel (4), esu agni paschalis aliorumque ciborum, potu tertii calicis quem « calicem benedictionis » vocabant, tandem potu quarti calicis cum recitatione ultimæ partis Hallel. — Dum autem cœnam manducaret, et in specie agnum paschalem, monuerit Christus discipulos suos de passione et morte sua proxima: « Desiderio (vehementer) desideravi hoc Pascha maducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc (tempore, jam) non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei (i. e. donec edam vobiscum convivium Paschale perfectum in cœlo) »; — similiter dum vinum (non consecratum) bibit, puta tertium calicem, iterum monuerit eos similiter: « Dico enim vobis quod (jam) non bibam de generatione vitis (de vino) donec regnum Dei veniat

---

(1) Ex eadem hac methodo intelliges hoc mirum quod Maria, dum audiverat Elisabeth, cognatam suam, jam a sex mensibus filium concepisse (I, 36), exsurgens in diebus illis, abiit in montana cum festinatione et intravit in domum Zachariæ (I, 39 s.), ibique mansit cum Elisabeth quasi tribus mensibus: et *reversa est in domum suam* (I, 56). Elisabeth autem impletum est tempus pariendi et peperit filium (57). — Ut videtur omnino, Maria adfuit nativitati Joannis, et curas suas cognatæ suæ exhibuerit, et ideo præcise mansit per *tres* menses, quia sic complebatur tempus normalis *novem* mensium gestationis; sed Luc., juxta methodum suam, voluit prius absolvere omnia quæ de Maria dicenda erant, ne postea eo redire deberet, et sic non dicit Mariam adfuisse partui Elisabeth.

(2) Cfr. Camerlynck-Coppieters, *Synopsis Evv. sec. Mt. Mc. Lc.* (Brugis, 1908, 2ª ed.), p. XXXIV.

(3) Cfr. Vigouroux-Bacuez-Brassac, *Manuel biblique* (ed. 13, Paris, 1910). n. 263.

(4) Hoc nomine Hallel *(Ægyptiacum)* veniebant psalmi CXII-CXVII, quos in memoriam liberationis de Ægypto decantabant in cœna.

(in cœlo) (1); — post hoc denuntiaverit proditorem coram Apostolis suis, et tandem, postquam exierit Judas, consecraverit panem et vinum (2), et recitata ultima parte psalmorum Hallel, seu « hymno dicto » (Mt. Mc.) exierunt in montem olivarum.

Hanc successionem factorum exhibent *Matthæus et Marcus*, dum notant Christum cum Apostolis jam incepisse cœnam paschalem (Discumbentibus eis, et manducantibus), quando denuntiabat proditorem ; — et iterum infra notando dum pergit cœna (manducantibus illis), Christum instituere SS. Eucharistiam. — Simili modo incepit *Lucas* exhibendo Christum et Apostolos ut manducantes cœnam paschalem, esum agni et potum vini; sed, pro methodo sua, statim pergit addendo alteram partem convivii : cœnam eucharisticam. Cæteroquin ad istam junctionem utriusque cœnæ faciendam, multum ipsum movere poterat parallelismus inter utramque (3) : sicut in cœna paschali manducant agnum, victimam ad antiquum Testamentum pertinentem, et bibunt calicem vini ab eodem Testamento statutum, — ita in cœna eucharistica manducant corpus Christi, veri agni paschalis (4) et bibunt calicem vini novi, sanguinem Christi, quo sancitur Novum Testamentum. — Ulterius autem, sic absolutis quæ de convivio ipso dicenda

---

(1) Hisce, ut sæpe alibi, exhibetur felicitas cœli et unio beatorum cum Christo in cœlo, sub figura læti convivii.

(2) Alii putant Christum consecrasse *tertium* calicem, calicem *benedictionis*, arguuntque ex Paulo I Cor. X, 16 : *Calix benedictionis*, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est ? (ita LIGHTFOOT, FOUARD) Sed iste textus aliter intelligi potest : Calix iste quem nos benedicimus, sicut Christus eum benedicit, — sicut sequitur : et panis, quem nos frangimus (sicut eum fregit Christus), nonne participatio corporis Domini est. — Alijs placuit Christum *quartum* calicem consecrasse (VAN CROMBRUGGHE, *De Soteriologiæ Christianæ primis fontibus* (Lovanii, 1905), p. 181. — Posset etiam cogitari de *quinto* quodam calice, adamussim prius servatis ritibus judaicis de *quatuor* calicibus sumendis (cfr. FILLION, FRIEDLIEB-MARTIN). — Res parum ad nostram quæstionem refert.

(3) Cfr. BELSER, *o. c.*, p. 160.

(4) Cfr. Paul. I Cor., V, 7 : Pascha nostrum immolatus est Christus.

erant, redit ad ea quæ omiserit, et absque transitione chronologica (1), et quin notet istud chronologice altius reponi debere (2), adjungit pericopam de denuntiatione proditoris (3).

Scholion. Ex dictis jam apparet quomodo in sententia quam exposuimus, plane intacta servetur **inerrantia Scripturæ sacræ**: hæc enim utique fert ea omnia quæ auctores sacri affirmant vera esse debere, et ea ratione et eatenus vera qua ratione et quatenus ea affirmant; — quid autem auctores sacri affirment, quid dicant, hoc *exegesi* relinquitur examinandum, juxta regulas hermeneuticæ rationalis, christianæ et catholicæ. Porro, in quæstione quam tractavimus has varias regulas applicando, vidimus concludendum esse *mentem S. Lucæ non fuisse eum ordinem ut chronologicum affirmare quo textus supra examinatos disponit,* adeoque menti S. Lucæ ipsius et consequenter intentioni Dei, principalis auctoris, non contradicit qui eosdem textus alio ordine chronologico legendos æstimat (4).

A. VANDER HEEREN.

---

(1) Πλήν, *verumtamen,* transitio mere litteraria est, non chronologica.

(2) Vide varia exempla supra allata ubi methodum Lucæ invenimus, et videbis etiam ibi non notari istam perturbationem ordinis chronologici.

(3) Quod quidam hic dicunt: inversionem ordinis apud Luc. inde explicari quod voluit, propter similitudinem objecti, simul *conjungere prædictionem* proditionis Judæ et *prædictionem* lapsus Petri, — non videtur ita efficax: in textu enim Lc. utraque prædictio *separatur* per contentionem Apostolorum quis esset major inter eos, et monitionem Christi. — Melius dici potest cum FRIEDLIEB-MARTIN, *o. c.*, Luc. voluisse in unum fasciculum colligere ea quæ de *defectibus* Apostolorum in ultima cœna contigerant: proditionem Judæ, contentionem omnium de eminentia sua, lapsum Petri.

Cæteroquin hæc ipsa contentio Apostolorum et monitio Christi a pluribus dicitur hic extra locum suum versari, et reponenda esse *ante* institutionem Eucharistiæ (ita CORNELY), imo ante lotionem pedum (ita FILLION); — ni fallimur advertenda esset hic convenientia, quoad ideas fundamentales, cum sermone Christi post lotionem pedum: cfr. v. g. Jo. XIII, 13 s. cum Lc. XXII, 27 s.

(4) Hisce apparet nos minime, ad salvandam inerrantiam S. Scripturæ,

L'ANTIPHONAIRE VATICAN.

C'est avec respect qu'on prend connaissance du nouvel Antiphonaire typique, récemment sorti des presses vaticane. C'est un imposant volume de XX-776-[221]-98*-48 pages, nettement imprimé sur papier très fin et bien opaque, illustré de nombreuses gravures au trait, dues a l'art profondément religieux, délicat et riche en symbolisme du Fr. Schmalzt, Rédemptoriste.

L'apparition de ce volume, qui achève pratiquement la réforme grégorienne (1), était attendue avec impatience depuis quatre ans. Divers incidents et surtout la réforme du Psautier en retardèrent la publication. Le Saint-Père, désireux de donner à l'Église une édition complète et définitive, voulut que l'Antiphonaire déjà terminé fut remanié, de manière à le mettre entièrement d'accord (2) avec le nouveau texte et les nouvelles rubriques du Psautier.

---

arguere ex eo quod talia sint *minoris momenti, accessoria, accidentalia,* etc. Tenemus enim etiam ea quæ minoris momenti sunt *vera* esse debere, in qnantum auctor sacer ea affirmat; — sed dicimus in casu non esse tenendum *ut chronologicum* ordinem S. Lucæ, *quia S. Lucas ordinem suum non intendit exhibere neque eum affirmat ut chronologicum.*

Neque opponatur ipsum Lucam (I, 3) testari se velle dicta et facta evangelica « *ex ordine* scribere » (VAN STEENKISTE, *o. c.*, p. 839); — etenim non solus ordo *chronologicus* datur, quem Lucas potuerit intendere, sed dantur et alii, puta: ordo *geographicus,* quem plerique præprimis a Luca fuisse intentum dicunt (Cfr. CAMERLYNCK-COPPIETERS, *o. c.*, p. XXXIII), item ordo *logicus,* quo quis varia facta conjungit propter similitudinem quæ inter ea existit: ad quem ordinem præcise referes methodum ut S. Lucæ descriptam.

(1) L'Office chanté des Matines de la Semaine Sainte n'a pas encore paru.

(2) Dans l'Antiphonaire la place de l'astérisque dans les versets des psaumes ne concorde pas toujours avec celle qu'elle occupe dans le nouveau Psautier.

Comme l'indique le titre : *Antiphonale pro horis diurnis,* le nouveau volume est rédigé non pas seulement pour l'office chanté des Vêpres et des Complies, mais également pour celui des Laudes et des Petites Heures. Il contient, outre les parties chantées par le chœur, les capitules et les oraisons réservés au célébrant, de telle sorte que celui-ci pourra s'en servir pour présider à l'office liturgique.

L'ordre suivi est celui du Diurnal Romain.

L'Ordinaire du temps débute par le Psautier réformé d'après la bulle *Divino Afflatu.* Cette partie a dû subir des modifications profondes. Parmi les nouvelles antiennes, un petit nombre se retrouvaient exactement dans l'ancien répertoire ; elles ont paru avec leur chant ancien. Mais le texte du plus grand nombre étant de composition nouvelle, a dû recevoir des mélodies également nouvelles ou nouvellement adaptées (1). La science et l'art du R^me^ P. Dom Joseph Pothier, président de la Commission pour l'édition des livres liturgiques de chant, nous est un sûr garant de leur valeur musicale et de leur inspiration grégorienne. Remarquons (2), à la p. 15 et 51, la manière exacte de chanter le verset des Heures diurnes finissant par un simple *torculus,* d'après laquelle doit être modifiée la notation du verset 1 à la page 27*. Aux Vêpres des fêtes solennelles, le verset est chanté sur une mélodie plus ornée (3). « L'une des parties de l'Antiphonaire qu'il fallait remanier à fond, à la lumière des documents anciens, était celle qui comprend les hymnes. Outre les airs connus, qui furent sérieusement revisés, on trouve dans l'Antiphonaire typique beaucoup de mélodies qui avaient disparu des livres romains actuels ; plusieurs d'entre

(1) *Rev. de chant grégorien,* 1913-1914, t. XXI, p. 73.
(2) *Gregorianische Rundschau,* 1913, t. XII. p. 21.
(3) V. p. 230.

elles s'étaient conservées çà et là en diverses régions jusqu'à l'époque actuelle (1) ».

Le *Propre des Saints* suit le *Propre du Temps* sous la même pagination. Vient ensuite le *Commun des Saints* remarquable par la variété de ses mélodies. L'hymne *Iste Confessor* a notamment huit tons différents, l'*Ave Maris stella* en a cinq. Cette partie comprend également le Petit Office de la Vierge, les Vêpres et les Laudes de l'Office des Morts. Les Offices votifs ont, par suite de la Réforme du Bréviaire, complètement disparu. Les Offices propres *pro aliquibus locis* terminent cette seconde section.

Les *Toni Communes*, qui suivent, avec une troisième pagination, reproduisent, en l'abrégeant un peu, le Cantorinus publié déjà en 1911. Un appendice contient: le *Te Deum* avec le chant *ancien* traditionnel et — ce qui donnera satisfaction à bon nombre de prêtres — le chant simplifié en usage autrefois dans notre diocèse, tel qu'on le rencontre déjà dans les livres de la fin du moyen âge (2); l'hymne au Saint-Esprit précédé de l'Antienne *Veni Sancte Spiritus* et les Litanies des Saints. Les tables alphabétiques des textes liturgiques et des fêtes clôturent l'ouvrage. Un complément de 48 pages donne les hymnes avec leur texte ancien, *in gratiam eorum qui talibus Hymnis de jure vel ex consuetudine aut indulto uti possunt* (3).

Ajoutons que des éditions d'un caractère plus pratique seront publiées sous peu (4). La Maison Desclée a déjà

---

(1) Article de la *Croix*, du 4 janvier, reproduit dans la *Revue liturgique et bénédictine*, 1912-1913, nouv. sér., t. III, p. 233.

(2) V. l'article de la *Croix*.

(3) p. 1, note.

(4) Diverses brochures ont déjà paru contenant le chant des Vêpres et des Complies des Dimanches. Nous en citons deux qui sortent des presses de la Maison Pustet de Ratisbonne: l'une en notation grégorienne *Vesperæ cum Completorio de Dominica* juxta *editionem Vaticanam Antiphonalis Romani*, in-8°, 28 p. F. 0,50; l'autre en notation moderne *Vesperæ cum Completorio de Dominica, quas ex editione Vaticana Antiphonalis Romani extraxit signisque*

mis en vente un *Psalterium Antiphonarii Romani pro Diurnis Horis*, comprenant le chant en notation grégorienne des Hymnes, Antiennes, Psaumes etc. des Laudes, Petites Heures, Vêpres et Complies pour les Dimanches ordinaires et tous les jours de la semaine (1). Elle annonce la publication prochaine d'un *Liber usualis Officii*, correspondant au *Liber usualis Missæ*. Outre les Vêpres et Complies des Dimanches et des Fêtes, ce livre contiendra les hymnes et psaumes des Petites Heures des Dimanches et des Fêtes, l'Office des Défunts, et un choix du chants pour les Saluts du S. Sacrement (2).

Grâces en soient rendues à Dieu et à Sa Sainteté le Pape Pie X glorieusement règnant, la réforme du chant grégorien est heureusement achevée. Il nous reste à en faire l'application prompte et intégrale, dans toutes les églises, communautés, chapelles du diocèse. C'est un devoir d'obéissance, de piété et de zèle qui s'impose à tous et qu'exigent la sainteté de la Maison de Dieu et la beauté du chant liturgique. *Nihil operi Dei præponatur!*

A. De Meester.

---

modernis tradidit Dr Fr. X. Mathias, in-8o, 26 p. F. 0,50. Les éditions de Ratisbonne sont en dépôt chez M. Ch. Beyaert, rue Notre-Dame, 6, Bruges.

(1) Un volume in-8o, 200 p. F. 2.

(2) Un volume in-18o, de 550 p. F. 2.

FABRIQUES D'ÉGLISE.

SÉANCE LÉGALE DU MOIS DE MARS.

Vérification du compte de la fabrique pour l'exercice 1912.

Nous signalons tout spécialement à l'attention des administrations fabriciennes les observations suivantes.

Les sommes rejetées du compte approuvé de 1910, mais *sujettes à rappel* et susceptibles de régularisation, ont été inscrites comme telles au n° 52bis du budget (1) pour 1912.

Il y a donc lieu d'inscrire ces sommes au n° 52 des dépenses du compte de 1912.

Quant aux sommes rejetées du compte de 1910 *pour défaut de crédit ou de crédit suffisant*, il suffit de les inscrire simplement à leur numéro respectif, sans qu'il soit besoin de reproduire les pièces justificatives qui ont été annexées au compte d'où ces sommes ont été rejetées.

Si les sommes ont été rejetées parce qu'elles n'étaient pas appuyées de *mandats réguliers* (signés par le président du bureau) et *dûment acquittés*, (par les intéressés, de leur nom patronymique), il faudra reproduire les mandats, exempts de l'irrégularité dont ils étaient entachés.

Si les dépenses ont été rejetées parce qu'elles n'étaient

---

(1) Les formules des budgets, telles qu'elles ont été arrêtées par l'arrêté royal du 7 août 1870 n'ont pas l'article 52bis. Les administrations fabriciennes sont instamment priées de se fournir *de nouveaux modèles de budget* où ce numéro est inscrit. Elles pourraient aussi ajouter le n° 52bis, après le n° 52, aux formules où cet article fait défaut, ou bien faire figurer les sommes sujettes à rappel à l'art. 61 (andere buitengewone uitgaven).

pas *appuyées de mémoires ou factures,* il est nécessaire de reproduire les mandats appuyés des mémoires des fournisseurs.

Enfin, si les dépenses ont été rejetées *pour import en moins du mandat* (quand par suite d'une erreur de calcul de la part du fournisseur, le montant du mandat est inférieur au montant *réel* de la facture) il suffira d'annexer aux pièces justificatives du compte de 1912 un mandat supplémentaire de cet import, au profit du fournisseur, et acquitté par lui.

Il sera fort utile de relire les *Collationes Brugenses,* 1899, t. IV, p. 109 ss. (1).

(1) Voir aussi le t. V, p. 196, note (3).

S. Congregatio Rituum

DUBIA (1)

Sacræ Rituum Congregationi, pro opportuna solutione, sequentia dubia proposita fuerunt, nimirum:

I. In novis rubricis, tit. X, num. 2, Missæ votivæ aut privatæ pro defunctis prohibentur in feria in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicæ. Quæritur: Quid intelligendum in verbo « reponenda »?

II. Si prima dies libera mensis sit sabbatum, et in eo fiat de S. Maria in sabbato, Missa principalis debetne esse de S. Maria, vel pro defunctis? Quid vero si impedita fuerit Missa Dominicæ præcedentis?

III. In ecclesiis quarum titulus est S. Joseph, et in locis in quibus S. Joseph usque nunc tamquam patronus principalis colebatur die 19 martii, festum patronale aut titulare servandumne adhuc est ipsa die 19 martii, seu potius in Dominicam III post Pascha reponendum?

IV. In kalendariis diœcesanis reformatis quædam festa particularia et non stricte propria suppressa sunt, quorum Officium vel ex Proprio diœcesano, vel ex appendice Breviarii pro aliquibus locis desumebatur. Quæritur: Quodnam Officium adhiberi debet in ecclesiis ubi ejusmodi festa sint stricte propria, ac retinenda vel ratione tituli, vel patronatus, vel reliquiæ insignis? Recitandumne adhuc est Officium in diœcesi suppressum, vel potius ad Commune recurrendum?

V. In vigiliis S. Mathiæ Apostoli, S. Matthæi Apostoli et Evangelistæ, et S. Thomæ Apostoli, prima in Quadragesima, ceteris in feriis Quatuor Temporum occurrentibus, licetne Missam privatam celebrare vel de festo occurrenti, vel de feria majori, vel de vigilia;

VI. Si eadem die 27 junii occurrant vigiliæ S. Joannis Baptistæ et Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Missæ privatæ

---

(1) *Act. Apost. Sedis*, 1912, p. 727.

poteruntne esse vel de festo occurrenti, vel de alterutra vigilia?

VII. Attenta præsertim rubrica tit. IX, num. 4, in locis ubi habetur Patronus principalis tum oppidi seu civitatis, tum diœceseos, tum provinciæ, tum nationis, debentne singula festa sub competenti ritu Patronis proprio celebrari?

VIII. Octava et nona lectio Ss. Nerei et Sociorum Martyrum. S. Matthæi Apostoli et Evangelistæ, ac Dedicationis S. Michaëlis Archangeli suntne uniendæ quando legenda sit nona lectio feriæ aut Dominicæ?

IX. Quo colore utendum est in festo Commemorationis Omnium sanctorum S. R. E. summorum Pontificum?

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicæ suffragio, reque accurato examine perpensa, respondendum censuit:

Ad I. Dicitur Missa reponenda, quæ Dominica præcedenti, ob occursum nobilioris Officii, celebrata non fuit: et in casu, Missæ votivæ et privatæ defunctorum prohibentur in illa feria in qua prima vice resumenda est Missa Dominicæ.

Ad II. Celebranda est Missa principalis de S. Maria in sabbato, etiam in casu quo impedita fuerit Missa Dominicæ præcedentis. In ecclesiis autem cathedralibus et collegiatis, post Primam et extra chorum, celebranda est sine cantu Missa pro defunctis.

Ad III. Festum de quo in casu convenientius in Dominicam III post Pascha reponatur: nisi speciales habeantur rationes illud in sua die 19 martii retinendi.

Ad IV. Adhibeatur Officium hucusque recitatum, cum respondente Missa.

Ad V. Affirmative (1).

Ad VI. Affirmative.

Ad VII. Affirmative; etiam quoad Patronum diœceseos, dummodo hucusque festum ejus per totam diœcesim, in locis quoque peculiarem Patronum habentibus, celebratum sit sub ritu duplici I classis cum Octava.

Ad VIII. Affirmative quoad lectiones tantum Ss. Nerei et Sociorum Martyrum ac Dedicationis S. Michaëlis Archangeli.

---

(1) Casus occurrit in diœcesi Brugensi die 2 septembris, sabbato Quatuor Temporum, occurrente festo duplici SS. Eustachii et Sociorum.

Ad IX. Serveturantiqua praxis Patriarchalium aliarumque ecclesiarum Urbis, in quibus adhibetur color rubeus.

Atque ita rescripsit, die 6 decembris 1912.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secret.*

Adnotanda.

Ad I. Finis inter alios præcipue in rubricis missalis reformatis intentus est ut de facto non omittantur, pro posse, missæ Dominicarum et feriarum quæ missa propria gaudent. Jam antea rubricæ Missalis statuebant missam Dominicæ præcedentis impeditæ resumendam esse die prima infra hebdomadam, in qua officium sit de feria, et quæ non habeat missam sibi propriam: hac die non licet in choro celebrare votivam (Rub. gen. IV, 3). Sed præter missam conventualem, unicuique licitum erat celebrare missam vel votivam vel privatam de Requie. Nova autem rubrica (t. IX, n. 2) hoc decreto explicata jam prohibet his diebus celebrare privatam missam vel votivam vel de *Requie*. Hoc anno casus non occurrit in diœcesi Brugensi.

Ad II. Hac de re scribit cl. Doctor Piacenza: « Indubitanter sustineri debet quod festum *principale* S. Joseph nunc celebratur in tota Ecclesia Dominica III post Pascha; ideoque, ubi sit Titulus vel Patronus, toto jure celebrandum est in ea Dominica. Hoc suadet ratio festi principalis, cum sua octava, ut patet ». Nihilominus si v. g. solet esse magnus concursus populi in die 19 martii, vel sint aliæ rationes speciales, potest festum S. Joseph ut patronale vel titulare adhuc celebrari in die 19 martii.

Ad VIII. Ratio responsi desumitur ex ipso textu lectionum. Principium enim est in liturgia admissum ut quantum fieri potest serventur semper ea quæ sunt *propria* Sanctis quorum agitur officium. Jamvero in festo SS. Nerei et Achillei legitur in III nocturno, ut fert ipsa superscriptio in Breviario opposita, S. Grego-

ria « homilia XXVIII *habita in Basilica horum SS. Martyrum in die Natalis eorum* ». Et in lectione IX^a recitantur quædam verba quæ omnino proprie respiciunt hos Sanctos « *ad quorum tumbam consistimus* ». Convenit igitur servare hæc verba adeoque conjungenda est lectio IX^a cum VIII^a, si legenda sit nona lectio homiliæ.

In festo autem Dedicationis S. Michaëlis ponitur homilia in Ev. Matthæi cap. XVIII (1-10) quod legitur in missa. Sed illa evangelii pericopa ex industria electa fuit præcise intuitu ultimorum verborum « dico autem vobis quia *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei* ». Jamvero hæc verba explicantur tantum in lectione nona, quæ ideo servanda est et in casu impedimenti cum octava est conjungenda.

Hujusmodi autem ratio nulla occurrit in festo S. Matthæi Apostoli.

C. Callewaert

S. Congregatio S. Officii

(Sectio de Indulgentiis)

DECRETUM (1)

Circa missas tricenarias Gregorianas et altaria item Gregoriana.

Supremæ S. Congregationi S. Officii sequentia exhibita sunt dubia de Missis triginta quæ Gregorianæ nuncupantur, nec non de Altaribus, tum ecclesiæ S. Gregorii in Monte Cœlio Urbis, tum alibi exsistentibus, quæ ad instar illius appellata sunt Gregoriana:

I. Utrum sit necessarium quod Missæ triginta, quæ Gre-

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1913, p. 32 sq.

gorianæ appellantur, celebrentur triginta diebus continuis sine interruptione? Et quatenus affirmative:

II. Utrum in casu satisfaciat sacerdos, qui eadem die bis vel ter, vel per se (v. gr. die Natalis Domini) vel per alios, celebrationem reassumat, ita ut triginta dierum spatio Missæ omnes celebrentur? Et quatenus negative:

III. Utrum idem sacerdos teneatur alium sibi substituere celebraturum Missam aliquam tricenariam?

IV. Utrum quis satisfaciat obligationi curandi tricenarium Gregorianum, si pluribus sacerdotibus triginta Missas Gregorianas distributas committat, eadem die vel paucorum dierum spatio omnes celebrandas ad dictam intentionem?

V. Utrum diebus in tricenario occurrentibus, in quibus Missa de requie a rubricis permittitur, ipsa legi debeat ad onus tricenarii Gregoriani satisfaciendum?

VI. Utrum Altare S. Gregorii in Monte Cœlio de Urbe sit vere ac proprie privilegiatum?

VII. Quænam requirantur conditiones ad obtinendum privilegium Altaris Gregoriani « ad instar »?

VIII. Utrum concedatur privilegium personale Altaris Gregoriani « ad instar »? Et quatenus negative:

IX. Quid dicendum de concessionibus Altaris Gregoriani personalis forsitan jam factis?

Quibus dubiis mature perpensis, E^mi^ Patres una mecum Generales Inquisitores, feria IV, die 11 decembris 1912, dixerunt:

Ad I. Affirmative, prout in decisis a S. Congregatione Indulgentiarum, die 14 januarii 1889.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Negative.

Ad V. Negative; poterit tamen laudabiliter legi, pietatis gratia erga defunctum, diebus quibus licet et decet.

Ad VI. Affirmative, juxta Rescriptum ex audientia SS^mi^, diei 18 februarii 1752.

Ad VII. Deinceps Altaria Gregoriana non esse concedenda.

Ad VIII. Negative.

Ad IX. Habeantur ut meræ concessiones Altaris personalis simpliciter privilegiati.

Et feria V, die 12, iisdem mense et anno, SS^mus^ D. N. D.

Pius Div. Prov. Pp. X. in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertitus, supra relatis Eminentium Patrum resolutiones benigne adprobare dignatus est.

M. Card. Rampolla.

L. ✠ S. — D. Archiep. Seleucien., Adj. S. O.

S. Congregatio Indicis

Decreto 24 Januarii 1913 (1) in Indicem librorum prohibitorum relata sunt quæ sequuntur opera:

Bebel e Pauperis. S. E. Monsignor Arcivescovo L. Pusinà-Bonanelli. Predicazione apostolica, Vicario di S. Pietro. Ricordi e lettere (1871-1891). Milano, Tipografia. Roma 1911.

Kleinhuber. Kurzgefasste Lehrbuch der speziellen Einleitung in das Alte Testament. Paderborn 1912.

Lisciandra. Mi concepto del mundo. Libro segundo: El mundo y el yo humano. San Salvador 1911.

— Discurso sobre la filosofía: resumiendo Mi concepto del mundo. Barcelona (1912).

Th. Theben. Der Gewerkschaftes-Enzyklika. Singulari quadam (von Ghibellinus und Germanus). Seiner Eminenz dem Herrn Kardinal Kopp, Fürstbischof von Breslau und Seiner Excellenz dem Herrn Kultusminister Trott zu Solz ehrerbietigst zugeeignet. Herford in Westf. 1912.

Valeriano Fermosi. Cenni biografici della Serva di Dio Paola Montaldo-Sassatti. Roma 1905. — Decr. S. Off. 28 Aug. 1912.

Adamus Ignat. Th. de Carzous O. P. et Valerianus Fermosi decretis, quibus quidem eorum libri prohibiti sunt, laudabiliter se subjecerunt.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1913, p. 9.
(2) *Collat. Brug.*, t. VII, p. 293.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

Bittremieux. *Het lijden en de dood van Christus.* Brugge, Geloofsonderricht, 1912.

Ad populi fidelis captum rite accommodavit A. expositionem doctrinæ catholicæ de passione et de morte Christi. Tres habet opusculum partes, quarum prima designatur: *Het lijden en de dood van Christus naar de geschiedenis*, secunda: *Het lijden en de dood van Christus naar het geloof*, tertia: *Het lijden en de dood van Christus naar de rede.*

In prima parte refutat A. primo objectiones quæ proponuntur adversus historicitatem passionis ac mortis Christi seu adversus documenta e quibus prædicti facti habemus cognitionem. Non tamen indicatur, p. S. *ultima* sententia quam Harnarck propugnavit de tempore quo scripta sunt evangelia, in opere cujus titulus: *Neue Untersuchungen zur Apostelgeschichte etc.*, Leipzig, 1911. Secundum hoc, evangelium Lucæ affirmatur scriptum ante annum 70, imo anno circiter 60. Quo asserto confirmatur traditio catholica et evangeliorum historicus valor. Deinde A. objectiones refutat contra præscientiam quam habuit Christus de passione ac morte, tandem præcipua facta explicat quæ constituunt narrationem de passione ac morte.

In secunda parte ostenditur valor mortis Christi coram Deo, quatenus hæc mors fuit redemptio et vicaria expiatio, meritum, sacrificium, satisfactio.

In tertia parte exponuntur rationes propter quas *valde conveniens* fuerit tum respectu Dei, tum respectu nostrum, prædictum Redemptionis opus.

Ampla hæc materia breviter simul ac clare exposita non solum lectoribus laicis efficax est medium acquirendæ doctrinæ, sed etiam sacerdotibus fons e qua multa possunt haurire elementa ad præparandos conciones populo habendas.

Liceat tamen nobis animadversionem facere circa divisionem opusculi, nominatim circa distinctionem inter primam et secundam partem: passionem secundum *historiam* et passionem secundum *fidem*. Sub denominatione: passio secundum historiam, refert A. ea quæ admittuntur vel admitti possunt etiam a Rationalistis, qui omne *supernaturale* rejiciunt; sub denominatione: passio secundum fidem, ea quæ sunt supernaturalia, v. gr. ratio meriti, satisfactionis, sacrificii, etc. Quamvis distingui possit inter facta ac phænomena quæ et quatenus externe apparent et rationes factorum ac valorem moralem actuum, tamen hæc distinctio non rite exprimitur per distinctionem inter *historiam* et *fidem*.

Etenim omnis cognitio historica est fides vel ducit ad fidem; nam quando ex documentis secundum hermeneuticam et criticam rite exa-

minatis habeo testimonium validum circa aliquod factum, per *fidem* admitto hoc factum: hoc porro est independens a natura ipsius facti cujus existentia fuit affirmata: ideo possum et logice debeo *credere* factum, cujus existentia historice demonstratur, sive hoc factum sit mere naturale, sive sit supernaturale, sive externum, sive internum in homine, v. gr. intentionem qua egit, libertatem actus, etc.

Ita v. gr. ex evangeliis demonstratur Christum affirmasse se esse Deum, suamque assertionem confirmavisse miraculis: hoc factum, nempe unionem hypostaticam, logice credere debeo, etsi illud factum sit omnino supernaturale. Idem est dicendum de dictis Christi quibus attestatur se libere mori, se esse victimam ad expianda peccata. Hæc facta, licet interna et supernaturalia, *historice* demonstrantur et logice sunt *credenda*, eodem modo ac historice demonstrantur et logice creduntur facta mere externa sicut flagellatio Christi, affixio ad crucem, etc.

Notemus præterea nos fide *supernaturali* credere non tantum divinitatem Christi, sacrificium ab Ipso peractum, satisfactionem præstitam, sed etiam externa facta, v. gr. flagellationem, etc.: fides enim nostra supernaturalis tamquam objectum *formale* habet auctoritatem Dei revelantis, tamquam objectum *materiale*, omne quod est a Deo revelatum, proinde *omnia* facta, quæ narrantur in evangeliis, consideratis tamquam libris a Deo inspiratis.

Proinde sive agatur de fide naturali, sive agatur de fide supernaturali, non datur ratio distinguendi inter passionem Christi *secundum historiam* et passionem Christi *secundum fidem*.

J. Van der Meersch.

Abbé G. Monteuuis. *La jalousie.* 2e édition, Paris, Lecoffre 1911; in-12, p. XVI-331. Fr. 3,50.

Le livre que nous présentons ici aux lecteurs des *Collationes Brugenses* est une étude psychologique et historique très fouillée et fort bien conduite sur le vice de jalousie. L'auteur, dans ce premier volume, n'a pas voulu directement faire œuvre de moraliste, mais plutôt d'analyste et de philosophe, en même temps que d'historien. Il étudie d'abord la nature complexe, le principe, l'objet, le sujet de la jalousie; puis, le vice une fois défini et dépeint théoriquement, il en montre les manifestations pratiques dans le monde ancien et moderne, dans la famille et la société. Un volume ultérieur, consacré spécialement à l'étude morale du même sujet, permettra à M. Monteuuis d'atteindre pleinement le but qu'il se propose: à savoir consoler les victimes de ce vice cruel et funeste, et en détourner autant que possible les coupables.

Nous nous en voudrions de ne pas recommander franchement cet ouvrage. La lecture en est aussi intéressante qu'instructive, car la forme le dispute au fond; et tous, prêtres et laïques, hommes et femmes peuvent y puiser d'utiles leçons.

Une réserve seulement: bien que l'auteur s'en défende, on ne peut se défaire de l'impression qu'il étend parfois outre mesure le domaine du vice de jalousie et les ravages qu'il exerce.

E. Hosten.

VOOR ONZE JONGE LIEDEN!

Vergadering te Roesselare

IN DEN HERT

DEN 10 APRIL 1913.

Bijvoegsel aan COLLATIONES BRUGENSES

t. XVIII, Maart.

Eerwaarde heer en medewerker,

Onze Hoogeerwaarde Bisschop, in zijn omzendbrief van 3 Februari ll. schreef het volgende: « De herderlijke kommer en de goddelijke liefde dringen er Ons toe, u en uwe medewerkers opnieuw en met meer nadruk te herinneren aan den zeer zwaren plicht, die ons allen oplegt te *onderwijzen:* d. i. uit al onze macht en kracht het christen onderwijs en de christene opvoeding te bevorderen der kinders, jonge lieden en van 't overige volk, vooral in onze scholen, congregaties en bonden hoe ze ook mogen heeten, mitsgaders in onze kerken »...

We komen bij dezen uwe medehulp inroepen *voor het groote werk der christene opleiding* **ONZER JONGE LIEDEN!**

*
* *

In den loop van 1912, als vrucht van het Eucharistisch Congres te Roesselare, onder de bescherming en met de kostbare goedkeuring zijner Doorluchtige Hoogwaardigheid (1), is er onder de bestuurders van werken voor jonge lieden, eene vereeniging ontstaan: een soort studiebond, eerst onder eenigen die regelmatig te Roesselare bijeenkwamen; en hier en daar ook een gewestelijke bond van werkers onder de jonkheid.

Op 19n Januari ll. echter, gerochten we reeds tot eene soort algemeene vergadering, een soort studiedag. Nu moeten we nog een stapje verder komen.

(1) Zie de prosynodale rede van Monseigneur in *Collationes* 1912, bl. 356.

We moeten in onze naaste bijeenkomst, eerst en vooral *veel talrijker aanwezig zijn.* Al de priesters eenigzins met jonge lieden bezig, behoorden de vergadering bij te wonen.

Allen immers ondervinden we gedurig den last en de moeilijkheid der zorge voor de jonge lieden: we hebben dus allen aanmoediging, verlichting, wederzijdschen bijstand noodig.

We moeten er, ten tweede, *onzen bond nog vaster inrichten.* Zooals de proostenbond, zoo moet ook onze bond van jonge-liedenbestuurders een vaste inrichting krijgen. E. H. Buysschaert zal hierover op de vergadering spreken.

Ten derde, *moeten we de studie van het jonge-liedenvraagstuk verder doorzetten,* en beter onderzoeken waar naartoe. Op onzen eersten studiedag heeft E. H. Maes uit Wevelghem het jonge-liedenvraagstuk in 't algemeen geschetst, in 't algemeen ook aangewezen, door welk geheel van werken en werking wij het moeten trachten op te lossen. In de volgende vergadering, zal hij reeds meer bepaald uiteendoen hoe elk der vroeger aangegevene werken dient te worden opgevat. Zoo, van keer tot keer, zullen we nader de werkelijkheid komen; en meer en meer zien wat er juist te doen is en hoe.

Daarom durven we U Eerw. dringend vragen onze naaste vergadering, bij te wonen: **DONDERDAG, 10 APRIL, te 11 1/2 uren zeer stipt,** te ROESSELARE, in *DEN HERT.* We zullen vergaderen tot 1 uur, en dan zooveel mogelijk samen noenmalen (1). — Om 2 uren zal men de vergadering van den Proostenbond kunnen bijwonen.

Van harte gegroet,

A. VANDER HEEREN
VOORZITTER.

---

(1) Wie begeert aan dit noenmaal deel te nemen, verwittige den E. H. DUMORTIER, Onderpastor van S. Michiels, Roesselare.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Aprilis.

—

I

Generali modo determina sensum visionis libri cum septem sigillis, quæ describitur in Apocalypsi, cc. IV-VII, 1.

II

Explica sensum canonis 19 statuti a Concilio Arausicano II (an. 529): « Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, creatore suo non adjuvante, servaret; unde cum sine Dei gratia salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit? »

III

Quid ex parte actus requiritur ad constituendum *crimen sollicitationis*, de quo Benedictus XIV, in Constitutione *Sacramentum Pœnitentiæ*.

IV

An et quænam relatio seu connexio postulatur cum administratione Sacramenti Pœnitentiæ.

V

Comment et dans quelle mesure la *théorie conciliaire* fut-elle reconnue aux conciles de Pise, de Constance et de Bâle?

VI

Quelle est la nature du droit de police du curé?

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques*, 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia*, in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8. XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix: 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi*, Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

C. Callewaert. *La réforme du Bréviaire, son esprit, ses prescriptions nouvelles.* — Documents et commentaire. (Extrait revisé des *Collationes Brugenses*, 1912). — Bruges, Beyaert; Ad. Maertens-Matthys. — In-8, 64 p. Prix: 0,50 frs.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii.* Brugis, Beyaert. In-8, LXXXIV-370 pp. Fr. 6.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVIII, pag. 128).

—

Itaque, singula jam dona explicabimus, præ oculis habita præclara doctrina tum S. Thomæ, tum S. Bonaventuræ modo citati (1), aliorumque Mysticorum ac

(1) In citando *Breviloquio* secuti sumus, uti indicavimus, textum editum a P. A. Vicetia, sed postea inspeximus editionem criticam, quam dederunt PP. Ad Claras Aquas (Quaracchi). Atqui dictum difficile: « ideo *purificari* debent dona gratuita » (supra, hujus tomi p. 124) quod utcumque conati sumus explicare in apposita nota, omnem difficultatem exuit in textu Quaracchi, in quo legitur: *Plurificari*.

Item, alio in loco obscuro (supra, hujus tomi p. 127): « Et sic arcanum contemplationis *ab alto* consummatur quasi *in cubico* » quem prout potuimus interpretati sumus, plane diversam lectionem invenimus in edit. Quaracchi: « Et sic arcanum contemplationis *a lato* consummatur quasi *in cubito* ». Quæ videtur omnino lectio genuina S. Doctoris, pro more suo alludentis ad dictum aliquod S. Scripturæ, heic nempe ad *Gen.*, II, 15 et 16, ubi agitur de fabrica arcæ Noë, et dicitur: *et in cubito consummabis summitatem ejus*. Re quidem vera, ad eumdem textum alludit S. Bonaventura alio in loco, *Quæst. disp. de perf. evangelica*, q. IV, art. 3: « Postremo, etiam quantum ad præeminentiam facit: quia virtus magis unita minus est alii obnoxia, ac per hoc magis est libera, quia etiam magis unita magis tenet rationem primi et summi, *sicut arca fuit in cubito consummata*. Unde unitas summi Pontificis sola est, quæ confert totali Ecclesiæ præeminentiam dignitatis ». Præcesserat Hugo a S. Victore, *1 Allegor. in vetus Testam.*, c. XV: « Arca deorsum *lata* erat..... quia multi

præprimis B. Rusbrochii. Sedulo autem retineamus quædam puncta doctrinæ jam sæpius inculcata.

Videlicet 1° vitam hierarchicam seu spiritualem, de qua agimus, non involvere conversionem a peccati statu ad statum gratiæ, sed supponi gratiam ac charitatem, saltem incipientem seu in infimo gradu perfectionis, quacum, non antea, infunduntur dona Spiritus sancti, quæque per gradus hierarchicos perducatur ad perfectum.

2° Sunt hi gradus præcipue tres : incipientium, proficientium et perfectorum ; quorum primus est præparatorius seu via purgativa, scilicet removens prohibentia, obstacula atque impedimenta ascensus ad vitæ perfectionem. Consistit autem præsertim in exercitio virtutum moralium, in ascesi, seu impugnatione, non jam ipsius peccati, sed radicum et sequelarum seu symptomatum peccati, atque subjectione ac directione passionum.

Secundus gradus est jam positive ascensivus ad vitam perfectam, seu via illuminativa. Atque consistit præprimis in exercitio virtutum theologalium.

Tandem tertius gradus est via unitiva seu vita contemplativæ unionis cum Deo et charitatis perfectæ.

3° Pro propria natura ac indole sua, dona Spiritus sancti in singulis tribus prædictis stadiis vitæ spiritualis nos expediunt seu aptiores reddunt ad sequendum divinum instinctum ; et singula quidem, ut a S. Bonaventura audivimus, septemplicem ita nos expediendi functionem habent. Porro, has suas functiones non semper independenter ab invicem exercent, sed aliquando combinantur ad invicem ; neque aliqua exclusive ad unum e tribus stadiis necessario pertinent, neque ex adverso in tribus æqualiter sese exerunt, sed ita ut in unoquoque stadio plus minusve dependeant ab invicem, et plus

---

sunt activi ; sursum stricta, quia pauci contemplativi. Deorsum *lata*, quia multi imperfecti ; sursum stricta, quia pauci perfecti ». Unde dictum S. Bonaventuræ : « arcanum contemplationis a lato consummatur quasi in cubito. »

minusve perfecte suam quodque functionem sibi magis propriam exerceant, sicut alia aliis perfectiora sunt dignitate, et manent etiam in perfectis, imo et in patria, licet non semper secundum eumdem actum ac antea. Quæ quidem omnia melius intelligentur ex infra explicandis.

Cum sequamur ordinem vitæ hierarchicæ, ascendendo ad perfectum, considerabimus, merito quidem ut ex modo dictis jam perspicitur, dona singula ascendendo a minus digno ad summum dignitate.

Infimum autem dignitate et primum in ascensu est donum timoris Domini, uti videbimus.

I

De dono timoris.

Cum multiplex sit timor, ante omnia definiendum est quis timor donum sit Spiritus sancti.

Jamvero, non agitur heic de *passione* timoris (1), neque de timore *naturali*, qui præsupponitur bono et malo morali, sed agitur de *habitu morali*, quatenus timor importat bonum morale, quod præcipue consistit in conversione ad Deum, vel malum morale, in aversione a Deo consistens (2).

Sic intellectus timor dividi solet:

1/ In timorem *humanum* seu mundanum, quo timore mali temporalis avertimur a Deo et debita illi subjectione, quique adeo semper vitiosus est (3).

2/ In timorem *servilem,* quo Deus ut puniens timetur; quod rursum dupliciter fieri potest. Vel *a/* ita ut pœna timeatur ut principale malum, exclusa Dei dilectione, ex eo quod bonum proprium, cui contrariatur pœna,

---

(1) De qua apud S. Thomam, 1, 2, q. 41-44; quæ quidem utiliter legi possunt, quatenus passiones appetitus inferioris analogice respondent et substant actibus voluntatis.

(2) Cf. S. Thomas, 2, 2, q. 19, a. 2, ad 2m.

(3) Ibid., art. 3.

diligatur ut finis ultimus; et hic timor dicitur *serviliter servilis*, seu servilis *in quantum servilis*. Estque malus, nec efficax ad effugiendam pœnam æternam quam timet, ad quod oportet ita timere pœnam ut etiam avertamur a culpa seu inclinemur jam quodammodo ad Deum diligendum.

Vel *b*/ pœna timeri potest non ut principale malum, ita quod bonum proprium non amatur ut ultimus finis sed ut ordinabile in Deum ut finem. Sic timor servilis secundum speciem est bonus: non enim tollitur species habitus per hoc quod ejus objectum vel finis ordinatur ad ulteriorem finem. Et ideo secundum suam substantiam est bonus, sed servilitas ejus est mala, quæ non pertinet ad ejus speciem, sicut nec informitas ad speciem fidei informis (1).

3/ Tertia distinctio est timor *filialis* seu *castus*, quo timetur culpa seu Deus timetur offendi: nam filiorum est timere offensam patris.

4/ Adjungitur quasi medius inter filialem et servilem timor *initialis*, quo timetur et pœna et culpa; sed hic non differt secundum essentiam a filiali, sed secundum statum tantummodo, quatenus est incipientium, non perfectorum; sicut charitas imperfecta differt a perfecta (2). Scilicet, timor initialis ratione suî, prout est idem secundum substantiam cum timore filiali, timet solam culpam; et tantummodo ratione sibi adjuncti timoris servilis timet pœnam, oppositam proprio timentis bono; hancque timet non absolute, sed ut rationem bene agendi et sic evadendi pœnam, ita quod hanc bonum actum imperet et eo utatur in ordine ad finem sanctum, qui est subjici Deo. Hic secundus actus, timendi pœnam non absolute, est qui in timore initiali adjungitur timori filiali, et est charitatis imperfectæ. Minuitur autem crescente charitate, atque cessat ad-

(1) Ibid., art. 4, præs. in corp.
(2) Cf. cit. q. 19, art. 8.

veniente charitate perfecta, quoniam perfecti non moventur ad operandum ex timore proprii mali, cum proprium bonum pro nihilo habeant, sed ex amore Dei et timore ex parte Dei.

His positis, facile patet non timorem servilem, sed solum filialem, saltem initialem, esse donum Spiritus sancti. Non servilem, dico: licet enim secundum substantiam sit bonus et a Spiritu sancto, non tamen, ut ait Bonaventura (1) est *cum Spiritu sancto,* cujus dona non sunt sine charitate; potest autem hic timor annexam habere voluntatem peccandi. Sed filialem dicimus donum Spiritus sancti. Etenim dona sunt habitus qui potentias nostras bene mobiles reddunt a Spiritu sancto. « Ad hoc autem ut aliquid sit bene mobile ab aliquo movente, primo requiritur ut sit ei subjectum, non repugnans: quia ex repugnantia mobilis ad movens impeditur motus. Hoc autem facit timor filialis vel castus, in quantum per ipsum Deum reveremur, et refugimus nos ipsi subducere. Et ideo timor filialis quasi primum locum tenet ascendendo inter dona Spiritus sancti, ultimum autem descendendo » (2).

Ex quo jam habemus cur primo loco timorem Domini merito consideramus.

Quæ præcedunt breviter et concinne complectitur Ven. P. Joannes a Jesu Maria his verbis:

« Timor in servilem, filialem, et initialem dividitur. Servilis est, quo quis pœnas et supplicia, quæ Deus peccatoribus constituit, metuit, atque hac de causa tam a peccato recedit, quam bonum agit, et is tum bonus et salutaris est quando ab amore proprio bene ordinato provenit, ut scilicet quis damnum pœnæ pati nolit, sed bene esse, illam pœnæ carentiam non ut finem ultimum

---

(1) In III *Sent.*, dist. 34, p. II, a. 1, q. 1, ad 1. — In ead. distinctione invenies doctrinam S. Bonaventuræ de donis Spiritus sancti, parallelam doctrinæ Angelici.

(2) Ead. q. 19, art. 9, in corp.

respiciendo sed eam ut bonum statum, ad Deum velut ultimum finem referibilem, habendo. Timor initialis est quidam timor filialis imperfectus, quo homo ita Deum timet offendere, ut simul timeat pœnam, timoreque servili ex parte ad bene agendum impellatur. Timor filialis est, quo quis Deum veretur offendere, et ab eo per peccatum separari (1). Cæterum tres hi timores a timore mundano diversi sunt; ita enim per hunc quis malum, vel aliquod vitæ hujus incommodum metuit, ut, quo ipsum evitet, Deum mortaliter offendat. Inter omnes illos enumeratos timores, mundanus Spiritus sancti non est donum, uti nec servilis inter septem hæc dona recensetur, eo quod cum voluntate peccandi is queat consistere, uti Augustinus a Sancto Thoma citatus asseverat. Is tamen in sua substantia bonus est, etsi ipsa alioquin servilitas mala sit, uti Divus Thomas docet: sicut fides informis bona est, quantum ad substantiam, etsi informitas in se mala sit. Timor initialis ejusdem est (si substantiam et essentiam ejus spectemus) cum filiali speciei, etsi aliquid servilis admistum habeat, a quo quoad essentiam distinguitur. Inter Spiritus sancti autem dona non enumeratur, nisi solus timor filialis, qui alio nomine dicitur timor castus, perfectæ charitati proportionatus: hæc enim timorem servilem a se rejicit, ut qui cum charitate nequit consistere, in quantum servilis est: quia non aliter vocatur servilis, quam dum pœnam velut præcipuum malum timet: quod charitati et timori filiali repugnat, ipsa tamen timoris servilis substantia cum charitate consistere potest, exclusa servilitate; unde etiam timor pœnæ sine ser-

(1) Separatio a Deo intelligi potest vel separatio offensæ, quæ est malum culpæ; et hæc spectat ad timorem filialem; vel separatio ut est malum pœnæ, quæ rursum considerari potest vel ut pœnalis homini seu privatio boni proprii; et hæc pertinet ad timorem servilem, non secundum servilitatem sed secundum substantiam; vel sumi potest ex parte Dei, ut opposita conjunctioni charitatis, qua homo se amat in Deo et ad Deum, et sic spectat ad timorem filialem.

vilitate, cum charitate consistere potest. Quinimo timor hic pœnæ minuitur, prout ipsa charitas crescit; quæ dum perfecta est pœnam non formidat (1). »

Beatus quoque Rusbrochius accurate definit donum timoris Domini, dum breviter enumerans (2) dona Spiritus sancti, incipiendo a timore, ait: « Orabimus nostrum cœlestem Patrem.... ut det nobis spiritum filialis timoris, sic quod reverentiam habeamus ad Ipsum, et metum Ipsum offendendi peccato. » Et alio in loco ait: timor Dei « est humilis ac submissa erga Deum reverentia (3). »

Jam definito timore qui donum est Spiritus sancti, exponendæ sunt functiones ejus seu actus in ordine ad vitam perfectam, brevius quidem et quasi indigitando functiones quas exercet in stadio purgationis præparatorio, et dein in via illuminativa, fusius vero in tertio stadio contemplativæ unionis cum Deo. Et heic maxime usui est præclara doctrina Seraphici supra recitata.

I. *Prima functio timoris.* — Itaque, functiones quædam timoris Domini, eæque initiales et ad reliquas præparatoriæ, pertinent ad viam purgativam; quarum infima omniumque prima est expedire potentias inferiores seu appetitum sensitivum, irascibilem nempe principaliter et concupiscibilem secundario (4), necnon potentias superiores inferioribus imperantes, *contra*

---

(1) *Op. omnia* (Florentiæ, 1772), tom. II, *Schola de oratione* etc., *tr. de fructibus et donis Spiritus sancti,* n. V.

(2) *De septem gradibus,* Gradu V, apud Surium cap. VII.

(3) *Comment. in tabernaculum fœderis,* c. 112 (Surius). Et cf. *Regnum Deum amantium,* c. 14, initio (Surius).

(4) « Donum timoris, *ait S. Thomas* (2. 2, q. 141, a. 1, ad 3m), principaliter quidem respicit Deum, cujus offensam vitat: et secundum hoc correspondet virtuti spei... [Nota bonum arduum, nempe divinum, esse objectum virtutis spei, sicut bonum arduum sensibile est objectum appetibus *irascibilis*]. Secundario autem potest respicere quæcumque aliquis refugit ad vitandam Dei offensam. Maxime autem homo indiget timore divino ad fugiendum ea quæ maxime alliciunt, circa quæ est temperantia (in *concupiscibili)* et ideo temperantiæ etiam correspondet donum timoris. »

obliquitatem vitii, omnium maxime capitalis ac primi, scilicet *superbiæ;* quam intellige, ut patet, non de peccato, sed de pronitate ad peccatum superbiæ, de radice et sequelis superbiæ. Unde rursum vides donum timoris esse in ascendendo natura primum, primoque considerandum.

Sic à S. Bonaventura, supra sub *Primo* (1) ponitur: *timor contra superbiam.* Et S. Thomas ait: « Dicitur *Eccle.*, X, 14; *Initium superbiæ hominis apostatare a Deo,* hoc est, nolle subdi Deo, quod opponitur timori filiali, qui Deum reveretur; et sic timor excludit principium superbiæ, propter quod datur contra superbiam (2). » Et sic timor est principium quoddam virtutis humilitatis, non ipsa humilitas; quemadmodum dona omnia Spiritus sancti sunt principia virtutum moralium, virtutes autem theologicæ principia donorum, ut vidimus de donis in genere agentes.

II. *Secunda functio.* — Post hanc timoris Dei primam functionem, venit altera, item purgans seu præparatoria in vita spirituali hierarchica. Appetitus jam expeditus *contra malum* superbiæ, expeditur rursum per timorem *ad bonum,* nempe in rebus prosperis. Videlicet, cum homo per virtutem spei theologicæ debeat *auxilio Dei* innixus bonum divinum prosequi, oportet ut ejus appetitus irascibilis, in bonum arduum nitens, bene subjectus et expeditus sit in rebus prosperis, ne in his homo præter modum *sibi* confidat et alia quam divina bona, aut hæc indebito modo prosequatur. Quod quidem ulterius declarabitur statim ubi de tertia functione timoris.

Igitur merito S. Bonaventura supra cit., sub *Secundo:* de expeditione quantum ad vires naturales, ponit *irascibilem in prosperis expediri per timorem* (3).

III. *Tertia functio timoris* jam propius pertinet ad

---

(1) V. hoc tomo, pag. 124 in fine.
(2) 2. 2, q. 19, a. 9, ad 4^{m}.
(3) Supra, hujus tomi pag. 125.

viam illuminativam *expediendo ad officium virtutum*, tum primario spei, tum secundario temperantiæ.

Docente Angelico (1), timor filialis primario respicit Deum cujus offensam vitat, et secundum hoc correspondet virtuti spei; non vero eidem contrariatur, ut addit alibi: « Non enim per timorem filialem timemus ne nobis deficiat quod speramus obtinere per auxilium divinum; sed timemus ab hoc auxilio nos subtrahere. Et ideo timor filialis et spes sibi invicem cohærent, et se invicem perficiunt (2). »

Secundario vero, respicit timor quoque objectum temperantiæ, refugiendo quæ maxime alliciunt ad peccatum, adeoque et huic virtuti etiam correspondet. Et confirmatur ex eo quod diximus timorem esse principium quoddam humilitatis, quæ est virtus annexa temperantiæ ceu pars potentialis ejus, utpote refrænans superbiam; secundum enim hoc timor est etiam principium ipsius temperantiæ quæ formaliter in refrænando consistit. Neque obstat timorem, sicut et humilitatem, esse in irascibili tamquam in subjecto (3), quin idem timor et concupiscibilem refrænet seu principium sit eum refrænandi.

Ideo S. Bonaventura ait, supra sub *Tertio: timor expedit ad temperantiam, timor enim carnes configit.*

Ibidem vero S. Doctor ad spem refert, non donum

---

(1) 2. 2, q. 141, a. 1, ad 3m, cujus verba modo recitavimus in nota (4) pag. 191.

(2) 2. 2, q. 19, a. 9, ad 1m.

(3) Aliqui dubii hærent inter appetitum concupiscibilem et irascibilem ut subjectum timoris; alii timorem in concupiscibili reponunt, sicut donum fortitudinis in irascibili et donum pietatis in voluntate; quatuor reliquis intellectualibus, de quibus dubium esse nequit, in intellectu repositis; ita ut omnes potentiæ aliquo saltem dono ornari inveniantur. Ipsis forte videtur inconveniens appetitum concupiscibilem nullius doni esse subjectum; ast immerito, cum non tam subjecta donorum, quam eorum functiones et influxus tum in invicem tum in subjecta, sint consideranda. Atqui dona etiam intellectualia in appetitum quoque inferiorem influunt; et donum timoris secundario saltem, ut vidimus, etiam concupiscibilem expedit.

timoris sed consilii, dum S. Thomas donum consilii annectit virtuti prudentiæ. De hac difficultate agemus ubi de dono consilii. Sufficiat nunc notasse quod, quemadmodum Doctor Angelicus, ut vidimus, donum timoris sub diverso respectu utrique virtuti, tum spei tum temperantiæ, annectit; et Doctor Seraphicus de solo respectu loquitur quo temperantiæ respondet timor: ita pariter, sub altero respectu consilium refertur ad prudentiam, quem solum considerat S. Thomas; sub altero respectu ad virtutem spei, quem unice intuetur S. Bonaventura.

IV^a *Functio timoris Dei* est nos expedire *in patiendo* conformiter ad Christum, quatenus nempe per timorem filialem, ad exemplum Christi, in reverentia habemus paternam seu divinam voluntatem.

Hæc quidem functio doni timoris maximi momenti est in vita spirituali et hierarchica. Etenim, tum per purgationem passivam partis inferioris seu sensibilis, in stadio præcipue præparatorio ad perfectionem; tum per purgationem passivam partis superioris seu intellectivæ, id est intellectus et voluntatis, in stadio viæ præsertim illuminativæ, omnino pertransire nos oportet *patiendo,* conformiter ad Christum, actionem purgantem miserantis Dei, purgationem nostram activam consummantis atque perficientis, si feliciter pervenire volumus ad tertium perfectorum stadium, contemplativæ cum Deo unionis. Hanc doctrinam de purgatione, seu nocte obscura quam vocat, tum appetitus sensitivi, tum intellectus et voluntatis, eaque non tantummodo activa ex parte nostra per ascesim, sed et passiva, Deo agente et nos efficacius purgante, fusius evolvit S. Joannes a Cruce, ut suo loco notavimus (1).

Porro, primo intuitu evidens est timore Dei filiali, quo amanter reveremur Dei voluntatem, nihil efficacius esse, ad hoc ut patiamur constanter, non modo resi-

(1) Vid. *Collat. Brug.*, tom. XVII, p. 161 et sqq.

gnando nos divinæ voluntati sed et paternam hanc voluntatem cum amore, laude et gratiarum actione amplectendo.

Va *Functio timoris* expedit nos *in agendo,* id est, in vita interiore activa, quoad partem hujus vitæ quasi negativam, nos expeditos reddendo *ad declinandum a malo* seu peccato. Est enim proprius actus doni timoris filialis refugere a culpa seu offensa Patris cœlestis. Inde sponte intelligis non agi heic de vita activa ad extra, erga proximum, qualis est vita apostolica, quæ contemplativam sequitur seu præsupponit, et simul cum hac vitam mixtam perfectissimam conflat, de qua S. Bonaventura dicit infra sub *Septimo;* sed sermonem præsentem esse de vita activa interiore justitiæ christianæ, quæ ad contemplativam atque unitivam ducit, et cujus una pars quasi negativa est declinare a malo; altera vero positiva, efficere bonum.

De hac functione timoris Domini loquitur S. Theresia, practico modo, pro more suo, ac intuitu præsertim monialium, in opere *Le chemin de la perfection,* c. 42, demonstrans quomodo acquiratur seu in actum deducatur timor Dei, quam sit necessarius et utilis ad omnimodam a peccato puritatem, qui sint ejus effectus, inter quos scite assignat sanctam quamdam in agendo libertatem.

VIa *Functio timoris* jam propius pertinet ad expeditionem *in contemplando*, non quasi donum timoris sit principium elicitivum comtemplationis, cum hæc sit actus intellectus, aut sit principium elicitivum perfectæ charitatis, quæ est in voluntate, dum timor est in appetitu irascibili, ut in subjecto; sed quoniam timor, in primo quidem et altero stadio, scilicet purgationis et illuminationis, proxime vero in ordine ad contemplationem exercendam nos expedit ac disponit. Re quidem vera, non tantum expeditissime repellit obliquitatem vitii superbiæ (1a functio, supra) et appetitum irascibilem expedit ad bona, in prosperis (2a functio), neque

solum expedit officium virtutis temperantiæ, quæ est in appetitu concupiscibili, quod est expedire contra *sequelas* concupiscentiæ (3ª functio); sed præterea purgare nos satagit ab ipsa *radice,* ab ipsa concupiscentia. Unde vides hanc 6ª functionem nequaquam confundi cum 3ª, sed aliquid plus importare, quod propius ad contemplationem spectat.

Hæc functio eo majoris momenti esse intelligitur, quod nihil plus contemplationi officiat quam concupiscentia, nihil magis ad contemplationem divinam conferat quam mundities cordis atque abalienatio ab omni affectu inordinato ad creaturas, siquidem *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

VIIª et *ultima functio timoris* Domini est nos expedire, in ultimo stadio vitæ mixtæ perfectæ, *ad ipsam contemplationem;* etsi enim ipsum actum contemplandi eliciat intellectus donis intellectus et sapientiæ instructus, timor Dei eidem actui reverentiam divinæ Majestatis imprimit; sicut et charitas, cum annexo dono sapientiæ, eidem actui gustum bonitatis divinæ confert.

Secundum ultimam hanc functionem, licet non secundum eumdem omnino actum ac in via, sed secundum actum excellentiorem ac nobiliorem, timor manet quoque in patria. Re quidem vera, nec pœna, nec culpa, neque ullum malum timendum manet beatis, adeoque nec fuga hujus mali, quod est non subjici Deo, erit in illis functio timoris; uno verbo: « usus timoris non erit ibi quantum ad cautelam mali; sed potius quantum ad summi ardui reverentiam, ita quod ab illa summa Majestate faciat resilire in propriam parvitatem. » Sic Bonaventura (1), qui pariter infra addit: « Tertius (timor est), qui unum oculum habet respectu offensæ vitandæ, alium vero respectu reverentiæ exhibendæ, et hic est filialis. Cujus etsi unus usus sit in refugiendo ne separetur a Deo, alter tamen excellentior et magis præ-

(1) In III *Sent., dist.* 34, p. 1, a. 2, q. 3, ad 8ᵐ.

cipuus est in reverendo summam majestatem Domini et resiliendo a summa majestate Ejus in propriam parvitatem. Et hic quidem usus fuit in Christo, et est in sanctis Angelis, et erit in omnibus Beatis. Et quantum ad istum oculum et usum, manet donum timoris in patria. Quantum vero ad alios inferiores tollitur, quia isti competunt ei secundum statum imperfectionis. Quia vero remanet ei usus principalis, hinc est quod non dicitur evacuari, sed magis perfici et salvari (1). »

Ubi adverte discrimen cum fide et spe, quæ etsi perfectiores sint donis utpote virtutes theologicæ, tamen necessario evacuantur in patria : fides quidem per visionem crediti, spes per præsentiam sperati.

Igitur timor filialis, sicut charitate crescente, augetur, ita charitate perfecta, perficitur ac consummatur, secundum prædicta functionem et actum. Hinc intelliges quo sensu S. Joannes a Cruce (2) asserere potuerit donum timoris correspondere cellæ vinariæ divini amoris maxime intimæ, idemque donum esse perfectionem charitatis, esseque ultimum inter septem dona Spiritus sancti (3). Eodem sensu sumi absolute possent dicta *Eccli*, I, 20: *Plenitudo sapientiæ est timere Deum;* XXIII,

---

(1) Ibidem, p. 2, a. 2, q. 3, *conclusio*.

(2) *Le cantique spirituel*, Strophe XXVI. — Mirum videri potest præter hunc locum vix ullam aut nullam, quod sciam, mentionem fieri de donis Spiritus sancti apud S. Joannem à Cruce, cum apud alios Mysticos sæpius et fusior de iisdem sermo fiat. Ast animadvertere licet S. Joannem, sicut et S. Theresiam, non tam theoreticam doctrinam de re mystica proponere voluisse, quam potius practicam et, strictius etiam loquendo, experimentalem tradidisse, quæque ipsi experti fuerint enarrasse.

(3) Enumeratur quidem ultimum apud Isaiam, XI, 2-3, sed descendendo a summo ad infimum dignitate. Hoc forte S. Joannem a Cruce movit quod, cum de reliquis dicitur : requiescet super eum, de timore asseritur : *replebit eum*, quasi in timore præ cæteris sit quædam plenitudo. Ast hoc dictum explicat S. Bonaventura (III, dist. 34) alia ratione, eaque duplici : « ne aliquis crederet in ipso (Christo) donum illud non fuisse perfectum » et « quia dona dabantur Christo ut perfecte disponeretur ad sustinendam humilitatem passionis, quam ipse principaliter venit in hoc mundo ostendere et docere... timor (autem) inter omnia dona maxime expedit ad humilitatem. »

37: *Nihil melius est quam timor Dei;* et conciliari tamen cum aliis dictis Scripturæ, *Ps.* CX, 10: *Initium sapientiæ timor Domini*, nempe sicut primus sapientiæ effectus, unde incipit sapientia seu plenitudo sapientiæ operari. Cum enim ad sapientiam pertineat, non tantum Deum cognoscere et contemplari, sed etiam dirigere et regulare humanam vitam secundum rationes non solum humanas sed et divinas, hinc oportet sumere principium ut homo Deum revereatur et ei se subjiciat. Sic enim consequenter in omnibus secundum Deum regulabitur. Item, *Eccli*, I, 25: *Radix sapientiæ est timere Dominum*, scilicet Dei timor comparatur ad totam vitam humanam per sapientiam Dei regulatam, sicut radix ad arborem (1).

Finem imponimus huic tractatulo de dono timoris, recitando quædam verba B. Rusbrochii, quæ summam fere referunt supradictorum, simulque addunt aliqua practicæ doctrinæ utilia complementa, utputa, quomodo timorem Domini adipisci possimus, id est, doni timoris a Deo infusi usum acquirere ut frequenter in excellentes actus exeat; quomodo sit principium quoddam plurimarum virtutum; quomodo ei respondeat beatitudo prima *Beati pauperes.*

Igitur Rusbrochio timor Domini est « quo omnem virtutum decorem ac ornatum et inchoamus, et perficimus, et æternò possidemus. Etenim cum amore et reverentia conjunctus timor, permanet in seculum seculi, eumque nos Deo debemus. Timorque iste propria nos voluntate despoliat, et efficit ut sentiamus non nostri juris, sed Dei proprios nos esse. Omne quoque peccatum depellit, ac deinceps a peccatis nos præservat, et ad virtutes omnes, cunctosque actus et opera bona nos incitat, omnemque cruciatum facile tolerat. Cum enim Deus ipse illius ferat onera, nulla eum necessitas, nulla afflictio prægravare potest. Hujus timoris quisquis expers est, is idem omni quoque

(1) Cf. S. Thomas, 2. 2, q. 19, a. 7.

gratia et virtute caret. Eam ob rem cumprimis necessarium nobis est nosse, quanam ratione timorem hunc adipisci queamus (1). Initium quidem timoris Domini, internus quidam horror est, immissus ac incussus nobis a Deo, dum nostra nobis errata et vitia ob oculos statuit ac demonstrat, iisdemque intus nos reverberat ac perterret, simul etiam intelligere nos faciens atque agnoscere, quam exigui simus ad illius immensam majestatem ac magnitudinem, coram qua Angeli contremiscunt, et cui resistere nullus potest. Et hæc majestas ac magnitudo illius, æterno se nos abjecturam ac reprobaturam comminatur, nisi humilem ob cunctas culpas et peccata nostra agendo pœnitentiam, ipsi subditi ac obtemperantes simus. Sapientia illius ob male acta nostra nos objurgat ac repræhendit, et intima nostra perspicit: judicabitque nos quandoque ex justitiæ præscripto, et ab æterno nos regno excludet ac exhæredabit, ni morem illi geramus, attendamusque institutiones et doctrinas illius, et juxta eas vitam agere connitamur. Bonitas ejus nostram incusat et coarguit infidelitatem, suamque æternam nobis ostendit ac proponit fidelitatem, qua nos ab omni æternitate summe dilexit, et in hoc exilio amantissime requisivit: comminaturque nobis, se æterno nobis alienam prorsus futuram, nisi resipiscamus ac reversi cum ipsa in gratiam et concordiam redeamus, et virtutibus nos exornemus.

. . . . . .

Itaque, nos ipsos ex amore abnegabimus, et humili cum reverentia, institutionibus, doctrinis et objurgationibus Dei obtemperabimus: sicque donum hoc amabile.

---

1 In sequentibus videtur respicere B. Rusbrochius ad doctrinam expositam a S. Bonaventura, in *Collat. de donis Spiritus sancti*, Coll. II *de dono timoris Domini*, quam legisse Rusbrochium non miraremur. Sic Bonaventura: « Oritur autem timor Dei in nobis primo ex consideratione *sublimitatis divinæ potentiæ*, secundo, ex consideratione *perspicacitatis divinæ sapientiæ*, tertio, ex consideratione *severitatis divinæ iustitiæ* ». Quas considerationes tres dein evolvit.

castum Domini percipiemus timorem, permanentem in seculum seculi, et tam in ista quam futura vita. Inde etiam majestati ac magnitudini illius sponte subditi erimus, sapientiæ obediemus ac auscultabimus, et cum ejus bonitate consentiemus, concordabimus ac uniemur: erimusque flexibiles ad ipsius voluntatem, et timore illius adimplebimur: et ita animi fastus, audacia et elatio ex nobis depelletur, et septimam virtutem principalem (1) obtinebimus, puta humilitatem cum timore et amanti erga Deum reverentia conjunctam. In quibus nos omnem fundabimus vitam nostram. Humilitas namque cum timore conjuncta, obedientes, patientes, nihil admodum curantes, sed potius parvipendentes nosipsos, culpas ac defectus proprios nunquam non agnoscentes et confitentes, atque plane persuasum habentes nos efficit, et omni honore et quibuslibet rebus bonis indignos nos esse. Facit insuper timor humilis, divinis et Ecclesiæ nos parere mandatis. Itemque docet et hortatur nos parce uti verbis, nisi utilitas aliud exigat: sensibus frenum injicere, et corde, moribus, habitu ac omni demum conversatione humiles ac modestos esse (2). »

Hoc argumentum, scilicet timorem Dei esse principium plurimarum virtutum, humilitatis, obedientiæ, abnegationis propriæ voluntatis, prosequitur Rusbrochius quoque alio in loco (3), et addit eidem timori respondere beatitudinem primam: « Hunc Dei timorem quisquis ita perfecte adeptus est et executus, omni propria voluntate privatoque commodo calcato et repudiato, is nimirum ex eis est, de quibus Christus ait:

---

(1) Singulis donis respondere docet Rusbrochius aliquam virtutem, quam principalem seu capitalem vocat (hoofddoghet), sive virtutem proprie dictam, sive dispositionem aliquam excellentem, quæ quodammodo origo sunt aliarum virtutum, ut, hoc loc. cit., de singulis donis reperies.

(2) *Comment. in tabern. fœderis,* c. 31 (Surius).

(3) *Regnum Deum amantium,* c. 14 (Surius).

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Nemo enim pauperior est, nec quisquam plus dereliquit, quam qui tota vita sua servit Deo, nec tamen vult quidquam, neque exigit, neque appetit, nisi quod Deus dare velit. Is plane est discipulus ac imitator Christi, quippe qui nihil possidet, meliusque fidit Deo, quam si omnium donorum illius optionem haberet in tempore ac æternitate (1). »

Hæc, pro intento nostro, de dono timoris sufficiant. Qui ampliorem explanationem donorum Spiritus sancti tum generaliter tum singulorum specialiter desiderat, adeat Doctores passim qui interpretati sunt Magistrum Petrum Lombardum, III *Sent.*, *dist.* 34 et 35, inter quos, præter citatos Thomam et Bonaventuram, eminet quoque Beatus Albertus Magnus, cujus insignis doctrina nobis etiam infra usui erit. Item consulantur interpretes *Summæ theologicæ* S. Thomæ, præprimis Card. Cajetanus. Inter antiquiores Patres præcipuus videtur S. Gregorius Magnus, præsertim *in Job* seu *Moral.* ab initio, de quo idem Albertus M.: « Gregorius plus de donis locutus est, quam aliquis alius Sanctus. »

---

(1) Cf. hanc ultimam phrasim, cum ea quam supra (tom. XVII, p. 497-498, nota (4)) diximus male lectam fuisse et immerito carpi a Bossueto. — Quomodo respondeat dono timoris beatitudo paupertatis spiritus, vid. etiam S. Thom., 2. 2, q. 19, art. 12; et S. Bonav., *Breviloq.*, p. V, c. VI.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Februarii propositas.

—

I

Q. *Dijudica valorem argumenti theologici quod in favorem authentiæ commatis Joannei (Iª Jo. V, 7) desumitur ex decreto Conc. Trid.: « Si quis autem libros ipsos* integros cum omnibus suis partibus, *prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit;... anathema sit » (Sess. IV), collato quoque Conc. Vatic., Constit.* De Fide catholica, *cap. II: « Qui quidem veteris et novi Testamenti libri* integri, cum omnibus suis partibus, *prout in ejusdem Concilii (Tridentini) decreto recensentur, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt ».*

R. Inter argumenta sic dicta *theologica* quæ ab auctoribus fuerunt adducta ad solvendam quasi a priori, et omni examine critico neglecto, quæstionem de authentia commatis Joannei (1), et quorum quædam jam dijudicata invenies *suprà,* pp. 21 ss., hæc quoque, ibidem indicata, occurrunt, quæ desumuntur:

1. Ex decreto Conc. Trid., coll. decr. Conc. Vat., *de canonicis Scripturis;*

2. Ex altero decreto Conc. Trid. circa *authentiam Vulgatæ;*

3. Ex facto quod comma citatum occurrit in editione Vulgatæ *Sixto-Clementina,* quæ editio parata fuit in exsecutionem decreti de quo sub 2º.

In præsenti responso inquirimus de valore prioris argu-

---

(1) Hæc argumenta hic examinanda vide propugnata apud FRANZELIN, *Tract. de Deo trino secundum personas* (Romæ, 1879) pp. 38 ss.

menti, in responso fasciculi insequentis acturi de altero et tertio, intime sibi connexis.

Præsentia decreta Conc. Trid., sicut et Vatic., *dogmatica* seu doctrinalia esse, seu imponere *assensui* nostro, et fidei quidem, *admittendum* id quod enuntiant, a nemine non tenetur et indubium est. Quod autem spectat *sensum* seu objectum eorum, hæc tenenda videntur — unde patebit ex iis nihil posse concludi quoad *originem Joanneam commatis* de quo agimus. Nimirum (1):

1. Utrumque decretum definit libros esse pro *sacris et canonicis* habendos, adeoque esse a Deo *inspiratos;* directe vero et per se nil de authentia *humana* docet.

Sane Conc. Trid. enumerans libros omnes, tum veteris tum novi Testamenti, plures designat nomine auctoris humani: quinque *Moysis*, psalterium *Davidicum* 150 psalmorum, *Isaias*, *Jeremias*, (et cæteri prophetæ), Evangelia, secundum *Matthæum*, etc., 14 epistolæ *Pauli* Apostoli, *Joannis* Apostoli tres... — Attamen non hæc origo humana fuit objectum decreti. Et sane, præterquam quod concilium non ignoravit non 150 psalmos esse omnes a Davide conscriptos, et quod pro multis libris nullam indicat originem humanam, — id satis patet ex scopo decreti: synodus enim, adversus Protestantes, decretum suum fert, ideo ut « omnes intelligant... quibus potissimum testimoniis ac præsidiis in confirmandis dogmatibus... sit usura »: porro valor librorum sacrorum ad confirmanda dogmata fidei, non ex authentia humana, sed unice *ex origine divina* desumitur.

Unde, *per se* loquendo, etiamsi, servata divina inspiratione, negarem originem Joanneam, non hujus commatis tantum, sed imo totius epistolæ, nihil contradicerem decreto. Nihilominus, *in casu* et *de facto*, quæstio de authentia commatis Joannei huc redit: utrum libere

(1) In hisce sequimur sententiam hac in re propositam ab Ill. Waffelaert, ap. *Collat. Brug.*, t. VIII, pp. 229 ss.

dici possit comma Joanneum, non tantum non fuisse scriptum a Joanne, sed imo in epistola interpolatum fuisse tempore omnino posteriori, puta s. III° vel IV° tantum: et *hæc* quidem sententia posset alicui videri cum decreto non posse componi. Etenim qui *scriptionem humanam* commatis ad hoc tempus detrahit, eo ipso ipsius *inspirationem* negare debet, saltem in quantum a nobis cognosci et ad publicam Ecclesiæ doctrinam pertinere potest (1).

Ex dictis desumes quare et quonam sensu in sequentibus jam non distincte acturi simus de authentia *Joannea* et de authentia *divina*, sed de hac *sola divina inspiratione:* si vi Conc. tenenda esset hæc *inspiratio divina*, eo ipso jam non posset negari *authentia humana*, *eo modo quo de facto* a multis negatur: quatenus s. III vel IV tantum comma esset tribuendum.

2. Concilia definiunt *libros istos integros* esse inspiratos; — sed etiam inde nihil desumi potest pro inspiratione commatis Joannei.

Etenim exinde definita est inspiratio *singuli libri* a Conciliis enumerati, ita ut vel minimus ex iis, puta epistola S. Pauli ad Philemonem, ut inspiratus admittendus sit; item quod *partes* seu sententias spectat quibus isti libri constant, definitum est eas partes in confuso esse ita inspiratas, eo numero et gradu, ut

---

(1) Non dicimus Deum non potuisse etiam decursu s. IV *inspirare* aliquem scriptorem ad inserenda hæc verba commatis, vel imo ad scribenda integra nova opera divinitus inspirata; sed dicimus: de hoc facto divinæ inspirationis non posset nobis constare nisi *revelatione* divina; porro scimus aliunde, etsi revelationes *privatæ* semper sint possibiles et de facto contingant, revelationes *publicas,* seu destinatas ad hoc ut augeatur depositum publicum fidei Ecclesiæ, jam non dari posse post ævum Apostolicum. Unde, etiamsi comma fuisset ab auctore inspirato interpolatum, s. III° vel IV° tantum, jam non potuisset istud factum inspirationis revelatione publica cognosci et deposito fidei Ecclesiæ accrescere. Etenim, sæc. III vel IV nec physice nec moraliter ad ætatem apostolicam pertinet. Cfr. Van Noort, *Tract. de fontibus revelationis necnon de fide divina* (1906), n. 96, 3°.

totum dici queat inspiratum, adeoque de partibus istis definitum est eas *generatim* esse inspiratas, quamvis non ideo dici debeat unam alteramve *partem determinatam* pro arbitrio sumptam esse inspiratam (1); sed ille decreto contradiceret qui negaret inspirationem *tot et talium partium* alicujus libri ut jam non dici posset librum hunc etiam moraliter integrum esse inspiratum.

Unde hæc quoque phrasis, comma Joanneum, nondum est, vi hujus definitionis, ut inspirata admittenda; et sane qui negaret eam esse inspiratam, non eo ipso everteret inspirationem epistolæ Joannis *moraliter integræ* (2).

3. Concilium Trid. definit eos libros esse inspiratos « *cum omnibus suis partibus,* prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur »; — ast hinc iterum nil concludi potest quoad inspirationem commatis Joannei.

---

(1) Hujus sensus demonstrationem v. apud *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 232 ss. — Revera ubi de libro *integro* aliquis loquitur, nisi aliunde ostendatur vocabulum strictiori sensu accipi debere, facile et obvie intelligi potest de integritate *substantiali* vel *morali;* sicut v. g. merito dici potest *integrum* librum transscripsisse qui casu vel incuria duas vel tres sententias non præcise substantiales omisisset, vel paucas glossas indoli et argumento libri non oppositas adjecisset. Porro nedum probetur strictius intelligendam esse vocem *integer,* contrà sensus minus strictus satis demonstratur ex eo quod Patres Concilii Trid. bene noverant Vulgatam in multis accidentalibus esse mendosam. Cfr. Van Noort, *o. c.*, n. 132.

(2) Nec dicas: Hoc commà, tam insigni modo enuntians mysterium illud fundamentale SS. Trinitatis, constituit *partem substantialem,* adeoque, eo detracto, epistola jam non manet *substantialiter integra.* Etenim quid ad *substantiam alicujus libri* pertineat, non est desumendum ex momento alicujus asserti in seipso aut sub alio respectu considerati, sed ex momento ipsius *in ordine ad librum ipsum.* Et inde etsi plane fateamur phrasim de tribus testibus in cœlo esse maximi momenti, tum in se, quatenus enuntiat altissimum SS. Trinitatis mysterium, — tum in ordine ad fidem nostram christianam, quatenus enuntiat veritatem fidei nostræ plane fundamentalem, — tamen *in contextu epistolæ* S. Joannis tanti momenti non est ut, ea detracta, jam non maneat epistola substantialiter eadem: tùm aptitudo ad scopum Joannis attingendum, tùm structura generalis, tùm moralis integritas, in quibus intelligitur esse *substantia alicujus libri,* plane intactæ manent.

Etenim exinde definitum est eas omnes partes esse inspiratas quæ satisfaciunt *duplici conditioni:* a) quod legi consueverunt in Ecclesia catholica, et b) in veteri Vulgata latina editione habentur; quæ altera conditio continetur in priore, estque proinde inadæquate tantum ab illa distincta (1).

Jamvero: a) num vere dici potest comma Joanneum « *legi consuevisse in Ecclesia catholica* »? Contra, usque ad s. XV legi *non consuevit* in tota Ecclesia *orientali;* item, usque ad ortum Vulgatæ, in Ecclesia *Occidentali;* imo etiam inde ab origine Vulgatæ, nam — b) num vere dici potest comma Joanneum *haberi in veteri vulgata latina editione?* Contra, in multis ex antiquioribus et præstantissimis Vulgatæ codicibus deficit, et a s. IX tantùm satis frequenter invenitur, imo nonnisi a s. XIII universaliter et uniformiter in Vulgata exstat (2).

---

(1) Cfr. *Collat. Brug., l. c.* — Revera si textus quidam non fuisset aliquo tempore in Vulgata, i. e. in illis omnibus codicibus, sive manuscriptis sive impressis, quibus versio latina a S. Hieronymo parata transmittebatur et quibus Ecclesia occidentalis utebatur, sane jam non posset dici eum textum *in Ecclesia catholica* legi *consuevisse;* — et ex opposito, si textus quidam legebatur in Vulgata, habebatur inde testis ipsius usus universalis, testis utique magni momenti, etsi non per se solum peremptorius. — Eodem sensu hoc incisum interpretatur Van Noort, *o. c.*, n. 133. — Alios sensus quibus quidam idem incisum interpretari conati sunt, vide *ibid.*

(2) Vide supra, p. 19. — Mirum videri poterit Conc. Vatic. definire inspiratos esse eos « libros integros, cum omnibus suis partibus, prout in Conc. Trid. decreto recensentur, et in veteri Vulgata latina editione habentur ». — Concilium jam non memoratur alterius conditionis quam refert Conc. Trid.: « in Ecclesia catholica legi consueverunt ». — Ex actis concilii. (Cfr. *Collect. Lacens.*) non apparet Conc. Vatic., hæc verba: « prout in Ecclesia catholica legi consueverunt » omittendo, voluisse sensum definitionis ita coarctare ut jam sufficeret quod habeantur in veteri Vulgata, sed videtur simpliciter voluisse resumere doctrinam Conc. Trid. — Sed etsi voluisset Conc. Vat. sufficere ut libri librorumque partes lectæ fuerint in veteri Vulgata, adhuc comma Joanneum nondum sub definitione caderet, quum dici nequeat istud comma haberi in veteri Vulgata latina (vide suprà).

Inter emendationes schematis Patrum Concilii examini subjecti, hæc occurrit: ut definiretur libros integros esse ut sacros habendos « prout habentur in vulgata editione latina Clementis VIII auctoritate promulgata ». Cfr. *Collect. Lacens.*, p. 141); sed hæc emendatio fuit rejecta.

Conclusio. Ex dictis apparet ex decretis citatis Concc. Trid. et Vat. nihil posse desumi in favorem *inspirationis* commatis Joannei, — et ulterius, exegetam catholicum iisdem decretis non prohiberi quin teneat idem comma recentiori tantum tempore, puta sæc. III vel IV fuisse interpolatum.

A. VANDER HEEREN.

II

Q. *Explica cur damnata sit hæc Baii propositio 26ª:* « Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio ».

R. Hæc sententia invenitur ad litteram expressa et propugnata in opusculo Baii, *De prima hominis justitia*, c. 4, et recte assignatur ut fundamentalis error illius systematis, scilicet ut principium ex quo cætera asserta erronea logice derivantur (1).

I. **Explicatur Baii sententia.**

Secundum ipsum, *integritas primæ creationis* idem significat ac *rectitudo primi hominis* (2).

Hæc porro rectitudo complectitur *primo* quidem omnes virtutes quibus homo sanctificatur per inhabitantem Spiritum Sanctum, *secundo* autem immunitatem a concupiscentia, qua inferiores animæ partes superioribus et omnia corporis membra voluntatis imperio ad nutum serviebant (3).

Jamvero hæc rectitudo est *naturalis conditio hominis* et *non indebita quædam humanæ naturæ exaltatio,* qua ex bona melior facta sit (4).

Ratio propter quam censet Baius rectitudinem primi

---

(1) Cf. LE BACHELET, apud VACANT, *Dictionnaire de théologie catholique*, t. II, art. *Baius*, col. 46; *Annuaire de l'université catholique de Louvain*, an. 1905, p. 381.

(2) BAIUS, *De prima hominis justitia*, c. 1.

(3) *O. c.*, c. 1 et 3.

(4) *O. c.*, c. 4.

hominis seu integritatem primæ creationis *non* esse *indebitam* humanæ naturæ, sed esse *naturalem* ejus conditionem est sequens: non adhærere Deo per integram legis cognitionem et plenam obedientiam, seu non habere perfectam justitiam (1) est homini *malum;* etiam homini *malum* est quod caro concupiscit adversus spiritum et quod lex carnis repugnat legi mentis (2); atqui malum est carentia perfectionis *debitæ*; ergo homini *debita* est perfectio, qua plene adhæret Deo justusque est et qua immunis fit a concupiscentia, uno verbo, *ipsa rectitudo primi hominis.*

Ut Baii sententiam plenius perspiciamus, juvabit duo considerare:

a) nomine *naturale* intelligit id quod est *debitum naturæ*, ut autem aliquid sit debitum naturæ non requiritur ut ex ipsis principiis naturæ oriatur, quasi physice ex ea manans: « Naturale non causæ aut originis suæ comparatione dicitur, sed rei, cui sic inest, ut ad naturalem ejus integritatem pertineat, sitque ejus absentia malum, sive ex ejus principiis tamquam efficientibus causis oriatur sive aliunde accedat... Quapropter sive ex naturæ principiis tamquam efficientibus causis orta fuerit primi hominis justitia, sive a Deo immediate illi collata... adhuc tamen illi naturalis fuit, quia sic ad ejus integritatem pertinebat, ut sine ea non posset salva existere miseriaque carere » (3).

b) In præsenti statu generis humani, nempe post lapsum, potest, secundum Baium, aliquo sensu *supernaturalis* dici hominis justitia vel justificatio: *non* qua-

---

(1) Bene notemus quod, secundum Baium, *justitia* formaliter consistit in observatione mandatorum et immunitate a concupiscentia vel interna rebellione, Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 134 ss.

(2) Baius, *o. c.*, c. 4.

(3) *O. c.*, c. 11. Patet etiam Baium non censuisse justitiam primi hominis ita esse naturalem ut ad essentiam constitutionemque primi hominis pertinuerit, adeo ut, illa sublata, homo jam non esset homo. Cf. Scheeben in præfatione ad opus quod edidit, nempe: Casinius, *Quid est homo*, Moguntiæ, 1862, p. 5 s.

tenus in se ipsa esset *indebita* naturæ humanæ, sed quatenus redditur non naturaliter secundum vires in humana natura sitas, sed a Deo mirabiliter, secundum rationes absconditas (1). Esset proinde justitia supernaturalis quasi *quoad modum* quo producitur, vel potius nunc *restituitur* « sicut visus diceretur supernaturalis in illis quibus divina virtute per miraculum esset restitutus » (2).

II. **Falsitas sententiæ Baii indicatur.**

Integritas primæ creationis seu rectitudo primi hominis importat, secundum Baium, *primo* perfectam justitiam et veram sanctitatem coram Deo, *secundo* immunitatem a concupiscentia; atqui utrumque est *positive indebitum* humanæ naturæ; ergo prædicta rectitudo non est naturalis conditio humanæ naturæ.

Minor. declaratur. 1. Primi hominis rectitudo, saltem quoad ejus essentiam et quoad formale elementum justitiæ coram Deo, nobis reddita fuit per Christum Redemptorem; atque justitia homini reddita a Christo est in se ipsa *positive indebita* humanæ naturæ: hæc enim justitia non obtinetur nisi per spiritualem renascentiam, et hominem constituit adoptivum filium Dei, templum Spiritus sancti, radicaliter aptum ad ipsam intuitivam Dei visionem: hæc autem sunt positive indebita humanæ naturæ (3).

2. Ipsa concupiscentia est naturalis: sequitur enim ex hominis essentia ejusque operativis potentiis ut connaturaliter exsurgant motus inordinati in appetitu sensitivo et etiam in voluntate: quapropter immunitas

---

(1) Baius, *o. c.*, c. 10.

(2) Ita ipse Baius, in *Apologia Summo Pontifici Pio V* (8 Jan. 1569), n. XXI. Cf. Baius, *De meritis operum*, c. 4, 6, 9.

Dona quæ Baius habet ut omnino indebita naturæ humanæ, seu simpliciter supernaturalia, sunt v. gr. prophetia, gratia sanitatum, potestas faciendi miracula. Cf. Baius, *De prima hominis justitia*, c. 9.

(3) Cf. Casinius, *o. c.*, p. 236 ss.; Palmieri, *De Deo creante*, Romæ, 1878, thes. 30 ss., 48 ss., p. 272 ss.; Van der Meersch, *De gratia divina*, Brugis, 1910, n. 101 ss.

a tali conditione est positive indebita humanæ naturæ. Attamen prædicta immunitas non *eadem ratione* est indebita ac gratia sanctificans et visio Dei intuitiva, nec est positive indebita omni naturæ creatæ vel creabili: quapropter immunitas a concupiscentia dicitur *præternaturalis* (1).

Ex dictis sequitur erravisse Baium quando carentiam justitiæ (illius nempe justitiæ qua primus homo constituebatur rectus coram Deo) vocabat *malum* hominis et malum intelligebat carentiam *perfectionis debitæ* humanæ *naturæ;* illa enim justitia, *in se* spectata, est positive *indebita* humanæ *naturæ* et simpliciter supernaturalis. Sed *de facto* carentia illius justitiæ est nunc *privatio* in homine, quia et quatenus est *pœna* peccati originalis. Non distinguebat Baius illam quæstionem, uti dicitur *de jure* et *de facto*.

Eodem modo errabat circa concupiscentiam, hanc habendo ac si esset *in se* carentia perfectionis debitæ naturæ humanæ, quum e contra sit imperfectio illi naturæ omnino connaturalis, nec rationem mali, proprie dicti, habeat nisi quatenus nunc, *de facto,* est pœna peccati originalis.

Etiam perspicitur dona quæ nos *gratiam* vocamus, nominatim gratiam sanctificantem, virtutesque infusas, reduci a Baio ad perfectiones ipsi naturæ humanæ omnino debitas, ita ut absque illis non potuisset Deus condere hominem (2).

Adnotatio. 1. Cum propositione quam exposuimus intime connectitur alia, nempe 21ª quæ fuit in Baio

---

(1) Casinius, *o. c.*, p. 111 ss.; Palmieri, *o. c.*, thes. 44; Jungmann, *De Deo creatore* n. 276 ss.; Van Noort, *De Deo creatore*, Amstelodami, 1912, n. 199 ss.; Ill^mus ac Rev^mus Waffelaert, *Collat. Brug.*, t. II, p. 113 ss.

(2) Idem dicendum de subjectione hominis ad morbos et de mortalitate: illæ sunt naturales sequelæ essentiæ humanæ; ideo *immortalitas* et immunitas a morbis est *in se* positive indebita *naturæ* humanæ, licet in præsenti Providentiæ ordine, morbi et mors sint *de facto* pœnæ peccati originalis. Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 470.

damnata : « Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis ». De qua rite animadvertit cl. Le Bachelet (1) :

« La proposition 21e, prise textuellement, ne se trouve pas et ne peut pas se trouver chez Baius, puisque dans son système il n'y avait ni élévation ni exaltation proprement dite de la nature humaine, mais le docteur lovaniste se sert de l'expression *integritas primæ conditionis*, et comme il avait établi que cette intégrité comprend, comme premier élément, l'inhabitation du Saint-Esprit avec tous les dons qui s'y rattachent, la rédaction de la bulle substitue aux termes de Baius leur équivalent théologique et met ainsi en relief la portée de sa doctrine, en montrant qu'elle revient à ceci : ce qu'on appelle communément élévation de la nature humaine et son exaltation à la participation de la nature divine n'est au fond que l'état normal de la nature humaine sortant des mains du créateur. La proposition 26e (hæc de qua explicite egimus) portant sur l'intégrité de la première création est plus générale, car, d'après Baius, cette intégrité renfermait non seulement la justice intérieure, mais encore l'exemption de la concupiscence.

2. Principium, quod exposuimus, *fundamentale* diximus in Baii systemate : quosdam ipsius *errores* indicabimus, qui cum illo principio logice connectuntur.

Posito quod rectitudo primi hominis (h. e. complexus bonorum quibus formaliter justus et sanctus constituitur homo, in præsenti Providentiæ ordine) sit positive debita naturæ humanæ, sequitur :

a *non dari duplicem erga Deum amorem*, unum *naturalem, supernaturalem* alterum ; *nec duplicem mandatorum observationem* naturalem et supernaturalem ; omnemque amorem, præter charitatem a Spiritu Sancto in cordibus diffusam, esse vitiosam cupiditatem, *omnes actus, qui non fiunt ex illa charitate*

(1) *O. c.*, col. 67.

esse moraliter malos, et proinde omnia opera infidelium esse peccata (1);

b/ specialiter *liberum arbitrium*, quum in ipsum dominetur vitiosa cupiditas, jam non valere, absque gratia, ullum actum *moraliter bonum* elicere, vel ullam vincere tentationem (2);

c/ quum rectitudo primi hominis seu integritas primæ creationis, sit humanæ naturæ positive debita, *justitiam non formaliter consistere in aliqua* gratia *animæ infusa,* seu in aliquo dono quod animæ sit superadditum eique positive indebitum (3);

d/ opus esse formaliter *meritorium,* non quia ille qui operatur habet gratiam sanctificantem et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed unice quia est observatio mandati divini (4): hic error iterum intelligitur in doctrina Baii, quippe qui, quum censeat rectitudinem primi hominis esse naturalem et etiam finem ad quem ducit, jam non potest requirere gratiam ad hoc ut opus evadat *proportionatum* mercedi: si merces est naturalis, ratio formalis *meriti de condigno* erit in sola bonitate morali *naturali* operis.

3. Doctrinæ, quæ, si integræ considerantur, valde ab invicem diversæ sunt, habere tamen possunt communem sententiam, licet hanc a diverso principio inferant et hanc diversimode explicent. Ita Lutherus, Baius et Modernistæ in hoc conveniunt quod *negant supernaturalitatem* proprie dictam veræ justitiæ ac sanctitatis, quæ habetur in præsenti Providentiæ ordine.

Lutherus contendit primi hominis justitiam fuisse vere

---

(1) Quoad explicationem, cf. *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 575, 694, et suprà, p. 69, 133.

(2) Baius, *De libero arbitrio,* c. 10-12. Cf. Le Bachelet, *o. c.*, col. 81 ss. Admittit Baius liberum arbitrium sibi dimissum, h. e. absque gratia, posse velle bonum quod ad ornamentum et subsidium præsentis vitæ pertinet, v. gr. velle laborare in agro, manducare et bibere, habere amicum, artem discere diversarum rerum bonarum, etc. *o. c.*, c. 11 et 12. Sed illos actus non habet Baius ut videtur, tamquam *positive honestos moraliter,* sed potius tamquam indifferentes, etiam subjective spectatos.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 136.

(4) Baius, *De meritis operum,* L. II, c. 1, ss., præsertim c. 7. Cf. Le Bachelet, *o. c.*, col. 69 ss.

naturalem, imo Adæ tam naturale fuisse diligere Deum quam naturale est quod oculi lumen recipiunt (1): justitia igitur primi hominis erat aliquid humanæ naturæ intrinsece, imo ut *essentialis proprietas*, debitum, et a principiis naturæ requisitum.

Baius non hoc docuit, sed censuit justitiam primi hominis pertinere ad ejus *integritatem*, nempe esse necessariam ut homo sit in statu *normali*, et careat miseria: erat proinde justitia vere naturalis, utpote positive debita naturæ, ne hæc sit mala.

Modernistæ rigidiores qui doctrinam de immanentia vitali absolute admittunt, censent omnem sanctitatem, omnemque religionem, oriri ex *naturali indigentia* divini, quæ in hominis subconscientia latet (2).

Sed illi etiam qui, prædictæ doctrinæ non adhærentes, illa tamen tamquam methodo utuntur pro apologesi (h. e. ad *demonstranda* motiva credibilitatis religionis christianæ, vel necessitatem ei adhærendi) etiam necessario adducuntur ad hoc ut adstruant *exigentiam* in humana natura ad ordinem rerum, qui, secundum Ecclesiæ doctrinam, est vere supernaturalis: et sane, qui contendunt hominem in semetipso, h. e. in inspectis suis tendentiis vel sua infirmitate, detegere *indigentiam* boni religiosi vel auxilii, quod in sola christiana religione invenitur, eo ipso asserunt hoc bonum vel hoc auxilium esse *debitum* humanæ naturæ, ne ipsa mala sit (3).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Quandonam, quomodo et quibusnam sub cautelis potest communis confessarius, extra tempora privilegiata, absolvere pœnitentem non periclitantem a casibus Episcopo Brugensi, sive jure communi, sive jure diœcesano, reservatis?*

R. *Prænota.* Notum est Episcopo Brugensi casus

(1) Cf. Palmieri, *o. c.*, thes. 56, p. 435.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 201 ss.; Van der Meersch, *o. c.*, p. 23 s.
(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 651, 678; de Tonquédec, *L'immanence*, Paris, 1913, p. 148 ss.

reservari duplicis speciei: casus *ratione sui* seu *ratione peccati* reservatos, quos Ipse sibi reservat, uti homicidium et incendium, et casus *ratione censuræ* reservatos, quatuor numero, qui ex dispositione juris communis reservantur Ordinario, inter quos frequentior est abortus (1). Casus ratione censuræ reservati solent dici censuræ reservatæ, cum reservatio directe afficiat censuram et indirecte tantùm ac mediate ipsum peccatum, cui censura adnectitur, quatenus a peccato non liceat absolvere donec excommunicationis censura fuerit ablata.

Quibus prænotatis, et hoc attento quod seponitur periculum mortis:

A. *A casibus* **ratione peccati** *reservatis:*

1° Absolvere potest communis confessarius *in casu urgentiori*, i. e., juxta expressam mentem Episcopi, quando absolutio *absque periculo gravis scandali vel infamiæ* differri nequeat, donec opportuna facultas impetretur (2).

2° Absolutio danda est *indirecta* quoad peccatum reservatum, directe absolutis peccatis non reservatis. Nimirum reservatione non aufertur jurisdictio in reum peccati reservati, sed in ipsum peccatum reservationi obnoxium, relicta jurisdictione quoad reliqua. Quemadmodum autem pœnitens potest, salva integritate formali confessionis, omittere, gravi de causa, peccatum aliquod grave, et absolutionem accipere a reliquis, ita ut, hisce directe absolutis, peccatum omissum indirectè remittatur; sic et confessarius potest habere

---

(1) Cf. Constitut. *Apostolicæ Sedis,* in qua tres inseruntur censuræ 1/ contra clericos, regulares aut moniales matrimonium attentantes; 2/ contra procurantes abortum, et 3/ contra litteris apostolicis falsis utentes; quibus deinceps accessit excommunicationis sententia 4/ contra missas colligentes turpis lucri gratia. Cfr. *Libellus,* ed. 2ª, p. 62 s.

(2) Hujusmodi infamiæ periculum facilè adest pro pœnitente qui cum familiaribus ad confessionem accedit, et a s. communione abstinere nequit quin graves moveat apud illos suspiciones.

peccatum reservatum quasi non accusatum et directe absolvere ab aliis peccatis in confessione expositis, adeo ut indirecte remittatur peccatum reservationi obnoxium (1).

3° Imponendum est pœnitenti sic absoluto *onus iterum confitendi peccatum reservatum,* pro obtinenda directa absolutione a peccato, idque coram confessario *facultatem a reservatis habente*, vel coram eodem confessario, postquam opportunam facultatem sibi procuraverit.

Quod onus est exequendum in sequenti confessione, propterea non anticipanda; nec quid obstat quominus interea temporis ad sacramenta, et signanter ad s. communionem liberè accedat dictus pœnitens.

Nota. Immeritò contendunt quidam Auctores (2), ad casus ratione sui reservatos extendi disciplinam, inde a decreto C. S. O. 23 Junii 1886 (3) inductam *pro censuris S. Sedi reservatis:* quas censuras docemur posse *directe* absolvi in casu urgentiori, illoque sic intellecto ut non tantùm comprehendat periculum scandali vel infamiæ, sed etiam (ad tramites decreti C. S. O., 16 Junii 1897) casum quo « durum valde est pro pœnitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis » (4).

Et sane frustrà invocatur analogia: non modò namque non agitur de casibus S. Sedi reservatis, sed res est hic de casibus *ratione sui* reservatis, et non, quemadmodum in laudatis decretis, de casibus *ratione censuræ* reservatis, seu de *censuris* reservatis.

Cæterum, quidquid dicatur de quæstione abstracte sumpta, expressam habemus declarationem Episcopi reservantis, reservationis disciplinam in sensum descriptum urgentis, quatenus non possit concedi nisi absolutio indirecta (5), idque in solo scandali vel infamiæ periculo.

---

(1) *Collat. Brug.*, t. IV, p. 30 s.

(2) Cf. ADLOFF, *Strassb. Diœzesanbl.*, 1911, p. 356 s.

(3) *Collectanea*², n. 1658.

(4) *Ibidem*, n. 1971.

(5) Cf. ADLOFF, l. c., p. 357, ubi notat Episcopum Argentinensem concedere ut *directe* absolvatur in casu.

Fatendum tamen quod, *seclusa invocata declaratione Episcopi*, latius posset intelligi casus urgentior, in quo indirecte absolvatur a reservatis: non quidem ob æquiparationem casus episcopalis cum censura pontificia, sed quia, independenter ab illa æquiparatione, solent Auctores (1), post *S. Alphonsum*, l. VI. n. 585, latius extendere limites urgentis necessitatis, in qua valeat communis confessarius a casibus episcopalibus, ratione sui reservatis, indirecte absolvere; docent scil. illam necessitatem obtinere, præterquam in infamiæ periculo, etiam quando instat necessitas adimplendi præceptum paschale, vel « ne diu maneat pœnitens in peccato mortali ».

B. *A casibus* **ratione censuræ** *reservatis:*

1° Absolvere potest communis confessarius *in casu urgentiori*, i. e., quemadmodum rursus expresse declaravit Episcopus Brugensis, *quando urget periculum* ***infamiæ vel gravis scandali.***

2° Absolutio danda est *directa* a peccato, et *ad effectum* **a censura peccato adnexa.**

Quod absolutio *a peccato* sit *directa*, id sequitur ex natura casus ratione censuræ reservati, siquidem, uti prænotavimus, reservatio non afficit ipsum peccatum, in illudque plena servatur jurisdictio; hoc tantùm intercessit quod excommunicationis censura, quousque in vigore suo maneat, illicitum reddat jurisdictionis exercitium.

Quod autem spectat *censuram*, ubi *ad effectum* dumtaxat absolvitur, non aufertur ipsa censura, eique obnoxius manet pœnitens, sed suspenditur excommunicationis effectus, quatenus scil., attenta urgenti necessitate, licitum evadat jurisdictionis exercitium et susceptio sacramenti ex parte pœnitentis excommunicati. Hujusmodi nimirum absolutio ad effectum importat declarationem ex officio quod excommunicatio, quantumvis perseverans, non obstet, attenta urgentia, sa-

---

1. Cf. NOLDIN, *De Sacramentis*, Œniponte, 1908, n. 377; GENICOT-SALSMANS, *Instit. Theol. Mor.*, Bruxellis, 1912, n. 347.

cramentalis absolutionis elargitioni ac susceptioni, nec adeo aliorum sacramentorum, signanter s. communionis, receptioni, ad quam urgeat eadem necessitas.

3° Imponendum est etiam *onus recurrendi ad alium confessarium*, facultatem habentem, vel redeundi ad eumdem confessarium, debita facultate interea munitum, ad hoc ut *censura* (non peccatum, utpote jam directe remissum) directe absolvatur *in sacramentali confessione,* vel adeundi *Ordinarium*, a quo potest *extrasacramentaliter* auferri censura.

Donec dicto oneri (quod imponendum esse logice sequitur ex natura absolutionis ad effectum) factum est satis, non licet pœnitenti iterata vice a peccatis absolvi vel ad alia sacramenta accedere, nisi in quantum urgens necessitas perseverat vel de novo exsurgit.

Nota. Plures Auctores integram disciplinam, inde a decreto 1886 vigentem pro censuris S. Sedi reservatis, non immeritò applicant, *salva declaratione contraria Episcopi*, censuris Ordinario reservatis: docentes hasce posse absolvi *directe*, idque non tantùm in periculo infamiæ, sed etiam ubi durum est pœnitenti remanere in peccato mortali.

Reverà analogia hic non est neganda, cum agatur de censuris papalibus, ab ipsa scil. S. Sede inductis et quarum reservatio ab eadem S. Sede devolvitur ad Ordinarios. Quod argumentum ex eo confirmatur quod laudata decreta videantur fuisse mere declaratoria juris anterioris (1): quod jus indifferenter erat statutum pro censuris tam Episcopo quam S. Pontifici reservatis (2).

Concedunt tamen omnes Episcopo integrum esse severius urgere reservationem Sibi a jure commissam. Ideo dictum

---

(1) Declaratur nempe impedimentum perpetuum, quo posito, censura a quocumque confessario poterat absolvi, ita esse deinceps intelligendum ut excludat possibilitatem recurrendi etiam per epistolam, ac recursum ad Superiorem, in casu impedimenti temporanei, pro mandatis recipiendis, etiam per litteras esse exequendum, relicto quoad reliqua jure antea vigente. Cf. Bucceroni, *Commentarii de Censuris,* Romæ, 1896, n. 61; Gennari-Boulinhon, *Consultations-Morale,* cons. 88, n. 7.

(2) CC. 22 et 29, IV, V, 39.

est: « salva declaratione contraria Episcopi », adeo ut proposita Auctorum doctrina possit in praxim deduci in solis illis locis, in quibus Ordinarius mentem suam non aperuerit, vel ubi disciplinam pontificiam censuris sibi reservatis applicandam statuerit.

IV

Q. *Quid intelligis per* peccatum complicitatis, *cujus absolutio sacerdoti complici gravissime prohibetur (Constitutio Benedicti XIV* Sacramentum Pœnitentiæ)?

R. Ad hoc ut peccatum sit tractandum uti *peccatum complicitatis*, sequentes requirantur conditiones. Debet nimirum esse

1° Peccatum *contra castitatem*. Dicitur enim in Constitutione Benedicti XIV *Sacramentum Pœnitentiæ:* « in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum decalogi præceptum commisso ». Cæterùm, quantumvis dedecet a sacerdote absolvi complicem in qualicumque peccato, rationes præsto sunt urgentes ut peculiari severitate prohibeatur sacerdoti absolutio complicis in peccato turpi: urgentius namque datur periculum mutuæ seductionis et relapsus in confessione complicis coram complice circa mutuum peccatum instituta; ulterius verecundia, quæ adeo efficaciter a peccato turpi retinet peccatores, minueretur vel et magna ex parte removeretur, si peccata illa possent coram confessario complici accusari (1).

Porro ubi dicitur « *contra castitatem* », non intelliguntur tantùm peccata consummata, seu actus luxuriæ stricte dictæ; comprehenduntur etiam peccata *non consummata*, tactus scil., oscula et amplexus, imo et aspectus ac colloquia (2).

---

(1) Facilius etiam et providius ab hujusmodi peccatis committendis abstinebit ipse sacerdos, si sciat illa esse a complice coram confratre exponenda.

(2) C. S. O., 28 Maii 1873, respondit sub prohibitione absolvendi

2° Debet esse ex *utriusque* parte *mortale* materialiter et formaliter.

Materialiter grave est peccatum quodvis contra castitatem, siquidem non datur levitas materiæ; ulterius autem postulatur ut ignorantia vel inconsiderantia a subjective contrahenda malitia non excuset.

Hoc autem requisitum obtinere debet penes *utramque partem*, et ita non est attendendum peccatum luxuriæ, etiam consummatum, quando alterutra pars restiterit vel consensum detrectaverit, vel si peccatum est perpetratum in persona ebria vel dormiente, aut gravitatem peccati ignorante, seu non attendente, etiamsi circa peccati malitiam in errorem ducta fuerit ab ipso complice, puta sacerdote.

3° Debet esse pecatum ex *utriusque* parte *externum*, et grave *qua tale*.

Requiri peccatum externum, sequitur ex citatis verbis Constitutionis Benedictinæ, ubi restringitur disciplina ad peccata contra *sextum* decalogi præceptum, excluso proinde peccato interno, contra nonum præceptum; confirmatur ex tenore decreti modò relati C. S. O. Cæterum solum peccatum externum potest esse peccatum complicitatis, uti liquebit ex mox dicendis, sub 4°. Non sufficit proinde peccatum internum desiderii vel pravæ cogitationis, nec etiam peccati interni externa manifestatio.

Porro præsto est *peccatum externum* grave contra castitatem, extra hypothesim actus consummati, quotiescumque aliquis sibi procurat commotionem carnalem cum adnexa delectatione venerea: sive ponendo, seclusa causa proportionata, actum *de se libidinosum*, i. e. qui de se et natura sua tendat in veneream commotionem excitandam, puta tactum vel amplexum in

---

complicem, « comprehendi omnia peccata *gravia* et *exterius commissa* contra castitatem, etiam illa quæ consistunt *in meris colloquiis et adspectibus* qui complicitatem important ». *N. R. th.*, X, p. 118.

partibus inhonestis; sive ponendo actum *in se non libidinosum*, cum intentione excitandi illam commotionem, illum adhibendo uti medium ad veneream delectationem provocandam. Unde pressio manuum, tactus et amplexus in partibus honestis, si cum dicta intentione admittuntur eosque consequitur venerea delectatio, actum externum contra castitatem important.

Etiam hic nota oportere ut *utraque* pars malitiam actus externi gravis contraxerit.

4° Debet esse peccatum *complicitatis*, i. e. debet utraque pars participare in eodem peccato externo gravi.

Quæ participatio haud ægre obtinet pro actibus in se libidinosis mutuis, etiam non consummatis, sive utraque persona activam partem in illis habuerit, uti in amplexibus, sive una tantùm pars activa fuerit et altera passiva: præsumitur scil. utrique parti, etiam passivæ, communem fuisse delectationis venereæ procurationem, nisi innotescat eam consensum interne vel externe detrectasse.

Quod spectat commotionis venereæ procurationem per actum de se non libidinosum: oportet non modò ut hic actus communis fuerit utrique parti, sed et constare debet, ex adjunctis, de intentione libidinosa et commotione carnali utrique communi et mutuo nota (1). Ita si in pressione manuum unus et alter intendant sibi procurare commotionem veneream, reipsa sequentem, sed ita ut unicuique personalis sit illa intentio et commotio oborta, nec mutuò innotescat: communis quidem est pressio manuum, inque ea ambo participant, sed non est communis in quantum importat peccatum grave, in quantum scil. est procurativa commotionis et delectationis venereæ.

5° Debet esse *certò* peccatum complicitatis, quatenus

---

(1) Cf Pauwels, l. c., n. 611-623, quo ultimo loco exhibet modum quo de venerea intentione et commotione constare possit ex corporis constitutione et signanter ex inflammatione vultus et oculorum. Cf. *N. R. th.*, III (1871), p. 595 ss., et *Libellum* de casibus reservatis, ed. 1889, p. 87 ubi ipsa verba Pauwels referuntur.

nempe omnia elementa descripta certò adsint, excluso dubio probabili.

Ulterius autem nihil requiritur ex parte peccati, nec refert cum quanam *persona* peccaverit sacerdos, cum masculo vel fœmina, cum pubere vel impubere, nec refert quonam *tempore* deliquerit, adeo ut, positis ponendis, urgeat prohibitio absolvendi complicem cum quo peccaverit confessarius olim, esto ante sacerdotium (1). Etiam non requiritur ut peccatum commissum fuerit occasione confessionis, vel in connexione cum illa (2).

A. De Smet.

V

Q. *Faites connaître brièvement les théories politico-religieuses de Marsille de Padoue et de Guillaume Occam.*

R. Dans notre réponse précédente (3), la lutte entre le pape Jean XXII et Louis de Bavière a déjà été signalée comme un des grands facteurs dans l'élaboration de la théorie conciliaire. Nous tenons à y revenir et spécialement sur l'ardente polémique qui l'accompagna; parceque les idées émises alors par les ennemis de la papauté ont eu une grande influence non seulement sur le développement de la théorie conciliaire, mais encore sur l'évolution des théories gallicanes et des autres doctrines anti-ecclésiastiques des siècles suivants. Les auteurs sont unanimes à dire que les deux hommes dont nous nous occupons dans cette réponse

(1) S. Pœnitentiaria, die 22 Jan. 1879, rescripsit: « Confessarium non posse absolvere complicem, cum quo ante sacerdotium in puerili ætate turpiter egit, nisi moraliter certum sit, ipsum jam ab alio confessario directe et valide a peccato complicitatis absolutum fuisse ». Ita apud Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, II, n. 935.

(2) Quodsi illa connexio adfuerit, locus est applicationi alterius disciplinæ Benedictinæ circa crimen sollicitationis, de qua infrà.

(3) Voir page 147. Outre les ouvrages que nous y avons cités, sont encore à consulter les ouvrages généraux suivants: Scaduto, *Stato e Chiesa negli scritti polit*, Florence, 1882; Riezler, *Die literarischen Widersacher der Päpste zur Zeit Ludwigs des Baiern*. Leipzig, 1874.

ont été de vrais précurseurs de la réforme protestante : Luther appellera Occam « son cher maître », et au dire de Noël Valois l'œuvre de Marsille de Padoue est « une première ébauche des doctrines développées aux époques de la réforme et de la révolution française » (1).

I. Marsille de Padoue.

L'œuvre principale de Marsille de Padoue est le *Defensor Pacis* (2), composé vers 1224 à Paris en collaboration avec le chanoine Jean de Jandun, et divulgué en 1226, quand les deux auteurs vinrent offrir leurs services à Louis de Bavière (3).

Marsille et son collaborateur se demandaient dans cet ouvrage, quelles pouvaient être les conditions sociales de cette paix que le Christ est venu apporter sur la terre et qui est indispensable à la prospérité des sociétés. Ces conditions, ils crurent les trouver dans la théorie de la souveraineté populaire appliquée tant à l'Église qu'à l'État.

1 *Au point de vue politique* d'abord ils posent en

---

(1) Dans *Histoire littéraire de la France*, t. XXXIII, p. 587 ; MOURRET, *La Renaissance et la Réforme*, Paris, Bloud, 1910, p. 84. Cfr. aussi, PASTOR, *Hist. des Papes*, t. I, p. 93 et H. DENIFLE, *Luther and Lutherthum*, t. I, p. 569 ss., Mayence, 1904.

(2) L'édition princeps est celle de Bâle 1522. Le *Defensor* fut également édité dans GOLDAST, *Monarchia S. Rom. Imperii*, t. II, p. 154 ss., Francfort, 1668. Parmi les ouvrages spéciaux concernant Marsille nous avons surtout consulté l'art. *Marsilius* par L. SALEMBIER dans *The Catholic Encyclopedia* (1910) et A. BROHEE *Le Defensor Pacis de Marsille de Padoue* dans *Rapport sur les travaux du Séminaire historique* de Louvain 1905-1906 (*Annuaire* 1907, p. 316 ss.).

(3) Marsille est né à Padoue vers 1270, il étudia la médecine d'abord dans sa ville natale, ensuite à Paris où il devint recteur de l'université (1312). Il vint à Nurenberg avec Jean de Jandun, chanoine de Senlis en 1326 ; Louis de Bavière se laissa bientôt gagner par l'habile docteur de Padoue, il retint les deux auteurs parmi ses familiers et fit de Marsille son médecin ordinaire et son confident. « La collation de la couronne impériale, par le peuple romain, dit Pastor (*o. c.*, p. 96), et l'élection d'un antipape dans la personne de Pierre de Corbière, des Frères Mineurs, ne furent autre chose que la traduction, dans le langage des faits, des doctrines du *Defensor pacis* » Marsille mourut vers 1342. SALEMBIER, *a. c.*

principe : *legislatorem humanum solam civium universitatem esse, aut valentiorem ejus partem*, et ils ajoutent qu'il serait imprudent de confier le pouvoir législatif à un petit nombre d'hommes sages, la multitude ayant mieux qu'eux ce qu'il faut pour discerner le bien du mal. La loi n'est donc pas l'expression de la volonté du prince, mais de la volonté du peuple. Les agents du pouvoir exécutif dépendront du peuple, qui les nommera à l'élection. Le chef de l'État n'est que l'agent du pouvoir exécutif; il est lui-même soumis aux lois ; s'il outrepasse ses pouvoirs, il sera dépossédé par le peuple. Les droits de l'État, du peuple souverain ainsi représenté, sont illimités : c'est lui notamment qui fixe le nombre des individus autorisés à exercer chaque profession (1).

2. Les opinions des auteurs sur la *doctrine et la constitution de l'Église* sont d'un radicalisme encore plus accentué, si possible. La *multitudo fidelium* est à l'Église ce que la *multitudo civium* est à l'État. Les fidèles jouissent donc eux aussi des deux grands pouvoirs électif et législatif. Ils nomment les évêques et désignent les sujets à ordonner. Ils décident des choses de la foi, car le pouvoir législatif, c'est, dans l'Église, le droit de déterminer le sens des Saintes Écritures, fondement unique de la foi (2). Si toutefois il y a doute

---

(1) Par là, fait remarquer M. Mouret, *o. c.*, p. 85, le démocratisme de ces deux sociologues rejoint le césarisme le plus radical des légistes impériaux.

Les idées de Marsille sont empruntées en grande partie aux théories multitudinistes d'Aristote, dont Saint Thomas fit une application judicieuse au pouvoir séculier (notamment dans sa *Summa Theol.*, Iª IIæ, q. 105, art. 1, q. 90, art. 4 et *De Regimine principum*, lib. I, cap. 6 et 10); chez Saint Thomas les droits de la justice naturelle, du bien commun, des services rendus, de la coutume, de la conscience individuelle et surtout du pouvoir spirituel, contrebalancent et tempèrent ces droits de la communauté.

(2) Il peut arriver, prétend le *Defensor*, qu'une réunion d'hommes doués d'un esprit judicieux, tels par exemple ceux qui composent l'Université

en matière de foi, la solution appartient non pas au Pape, mais au concile général. Dans ce concile général, qui constitue l'autorité suprême dans l'Église, la délibération et le vote appartiennent aussi bien aux laïques, élus par les communes, qu'aux clercs.

Il y a cependant, en dehors du pouvoir communiqué par le peuple, une puissance ecclésiastique dérivée directement de Dieu, à savoir le sacerdoce; mais cette puissance ne comprend que le pouvoir de consacrer le corps et le sang de Jésus-Christ et de remettre les péchés, ou plutôt de les déclarer remis. Elle est égale chez tous les prêtres; chacun d'eux la peut communiquer par l'ordination au sujet légitimement désigné par la communauté (1).

3/ Quant aux *relations entre l'Église et l'État,* la question en toute rigueur ne devait pas se poser dans le système de Marsille de Padoue. D'après le *Defensor Pacis* la puissance humaine n'a point d'empire sur les actes internes de l'ordre moral; elle ne touche que les actes extérieurs et l'ordre matériel; elle a sa fin en ce monde, dispose du pouvoir coactif et constitue une société parfaite. La loi divine atteint les actes internes et tout ce qui se rapporte à la vie éternelle ; ses moyens d'action ici-bas se réduisent à la persuasion, car Jésus-Christ s'est réservé la puissance coactive pour en user à la fin des temps. Il suit de ces principes que tout ce qui est matériel, externe, regarde l'État; l'Église n'est plus qu'une doctrine, elle est dépourvue de toute juridiction extérieure et de toute force coactive, et pour autant qu'on peut lui reconnaître une existence séparée, elle doit être considérée comme un « mineur

---

de Paris, pénètre mieux le sens de l'Écriture Sainte, que la curie romaine. Cfr. PASTOR, *o. c.*, p. 91.

(1) Le *Defensor* rejette donc toute *primauté réelle :* Pierre, dit-il, qui n'est peut-être jamais venu à Rome n'a eu aucune juridiction coactive sur les autres apôtres, de même ses successeurs sur leurs collègues. Cfr. ARQUILLÈRE, art. *Gallicanisme* dans *Dict. Apologétique de la Foi cathol.*

perpétuel » demeurant toujours sous la tutelle du pouvoir externe des délégués du peuple. Ainsi tout droit de gouvernement, tout droit de juger et même de posséder passe à l'État; c'est à l'assemblée des fidèles, ou à son délégué le chef de l'État, qu'il appartient de juger les clercs, de leur distribuer les bénéfices, de fixer le nombre des églises, d'autoriser les établissements religieux, etc. Le pape et son collège de cardinaux, nommés tous les deux par le Concile ou par l'État, semblent tout au plus, en dehors de leur pouvoir sacerdotal, avoir le droit de conseiller les mesures d'ordre externe, notamment la réunion du Concile; l'empereur en fera la convocation, si bon lui semble, et dirigera les travaux (1).

II. **Guillaume Occam.**

Le principe de la souveraineté populaire se retrouve également, mais avec quelques restrictions dans son application, chez un autre partisan de Louis de Bavière, Guillaume Occam. Ce franciscain révolté n'était pas cependant aussi radical que Marsille de Padoue: il conserve dans ses écrits plus d'éléments traditionnels, et cherche beaucoup moins à incliner l'autorité ecclésiastique sous la souveraineté temporelle (2). Son but semble avoir été surtout de reléguer le pouvoir du pape dans le domaine spirituel, restreint à sa guise, pour laisser à l'autorité civile pleine juridiction dans les affaires temporelles (3).

---

(1) L'autorité ecclésiastique prit aussitôt des mesures contre ces doctrines hétérodoxes: dans une bulle du 3 avril 1327, Jean XXII reproche à Louis de Bavière d'avoir reçu à sa cour *duos perditionis filios et maledictionis alumnos;* le 9 avril il lance l'excommunication contre les deux hérétiques et fait paraître le 23 octobre une censure de leurs principales propositions. (Constitution: *Licet juxta doctrinam,* voir DENZIGER-BANNWART, ed. 1911, n° 495).

(2) Son principal ouvrage sur la constitution de l'Église, ou plutôt sur la papauté, est le *Dialogus de potestate imperiali et papali,* publié avec ses autres opuscules dans GOLDAST, *o. c.*

(3) Originaire du village anglais dont il retint le nom (vers 1280) et

Pour lui, Pierre et ses successeurs ont une *réelle primauté de juridiction*, qu'ils tiennent du Christ. Celui-ci a donné au pape, dans les affaires spirituelles *(in spiritualibus)*, tout le pouvoir qu'on peut confier à un homme seul sans danger pour le bien commun, sans détriment notable des droits qu'assurent aux princes et aux particuliers, après comme avant la loi évangélique, le *jus naturale* et le *jus civile*. Au cas où ce pouvoir unique devient dangereux pour le salut éternel ou pour les droits temporels des peuples, il n'est pas interdit de changer la constitution même de l'Église. Et déterminant davantage, Occam indique ce qu'il entend par « affaires spirituelles » : c'est tout ce qui constitue le domaine propre de la révélation, c'est-à-dire : ce qui est proclamé et réglé par la loi évangélique et ne se retrouve point, par conséquent, dans les législations humaines, ni dans les sectes en dehors de l'Église catholique ; par exemple la foi, le culte, l'administration des sacrements, l'ordination des prêtres etc. Quant aux choses temporelles (d'après Occam, celles qui sont communes aux fidèles et aux infidèles), le Christ n'a donné régulièrement au chef des apôtres que le droit de réclamer ce qui est nécessaire à sa subsistance et à l'accomplissement de sa charge.

A cela se réduit la puissance que les Pontifes romains

Bachelier d'Oxford, Guillaume Occam vint suivre à Paris les leçons de son confrère, le franciscain Duns Scot. Dans la suite il attaqua avec la dernière vivacité le réalisme scotiste, et, dans une foule d'écrits philosophiques, il proposa et défendit son système nominaliste, qui jouit d'un grand succès à Paris au XIVe Siècle. Son intervention dans la querelle des Spirituels, qui déchirait son Ordre, le fit retenir dans une sorte de captivité à Avignon ; mais il parvint à s'évader et se réfugia en 1329 avec d'autres révoltés à la cour de Bavière. Excommunié, il fait appel au futur concile et compose dès lors, à Munich où il résidait, de nombreux ouvrages contre le pape. Il mourut en 1349, probablement réconcilié avec l'Église. Voir E. Leroux, *Théories politico-religieuses de Guillaume Occam* dans *Rapport cité*, p. 320 ss., ainsi que R. Seeberg art. *Occam* dans *Real Encycl.*

possédent de droit divin; leurs autres privilèges viennent du peuple fidèle, qui peut les réduire et les supprimer à son gré. Occam affirme également sans cesse la supériorité du concile sur le pape et distingue l'Église indéfectible, qui peut être réduite à une seule bonne femme, et sa hiérarchie toujours faillible (1).

Quant aux relations entre le pouvoir du Pape et celui de l'empereur, Occam les détermine comme suit: en principe les pouvoirs sont nettement séparés et indépendants dans leur sphère respective; ce n'est qu'accidentellement, *casualiter,* quand le bien commun l'exige et comme délégué du peuple que l'un des deux chefs intervient dans les choses qui ne sont pas de sa compétence. Cette exception devait surtout avantager l'empereur: Occam lui-même l'appliqua aux questions de mariage et reconnut à l'empereur pour diverses raisons le droit d'intervention et de dispense.

*
* *

On le voit, les écrits d'Occam, comme le *Defensor pacis* de Marsille de Paue, fournissaient aux ennemis de l'autorité religieuse un puissant arsenal; ils justifiaient d'avance toutes les entreprises de Louis de Bavière contre la papauté. Et leur influence pernicieuse ne s'arrête pas là, elle fut grande également sur le développement des doctrines anti-ecclésiastiques, au temps du grand schisme d'abord, ensuite au temps de la réforme protestante. Toutefois on ne peut considérer Occam comme un prédécesseur de la réforme au même titre que Marsille de Padoue.

R. De Schepper.

---

(1) La supériorité du concile, d'après Occam, provient surtout du fait que le pape est faillible alors que l'Église au l'est pas: c'est une opinion qui lui est commune avec d'autres auteurs qui écrivirent au temps du grand schisme.

VI

Q. *Determina quænam sit dicenda Præfatio pro diversitate Missæ et Temporis.*

R. Dum in Oriente textus præfationis seu initii anaphoræ non mutatur, in antiquis liturgiis Occidentalibus, et notatim Romæ, magna varietate sese accommodabat diversis temporis et festorum adjunctis. Ita in sacramentario Leoniano assignantur præfationes numero 267, fere totidem quot ibidem inveniuntur missæ diversæ, et continent allusiones miræ varietatis ad tempus liturgicum, ad Sanctum vel mysterlum quod recolitur, imo interdum ad eventus historicos speciales. In sacramentario Gelasiano remanent præfationes 54 diversæ, et in Gregoriano decem tantum, quibus Gallicani tamen alias centum et ultra addiderunt.

In missali a Pio V reformato admissæ fuerunt 10 præfationes e Gregoriano sacramentario desumptæ et Præfatio de B. Maria Virgine, quæ composita videtur a Romano Pontifice Urbano II (1088-1099).

Rubricæ igitur quædam necessariæ sunt quibus regatur usus singularum præfationum, pro genere et natura sua. Quas regulas ex Ordine Missæ (ante singulas Præfationes), ex diversis missis, ex pluribus decretis et novis rubricis (t. X, n. 4) colligere et sequenti modo ordinare fas est pro diversis præfationum speciebus:

A. Præfationes **de Tempore**, h. e. *festis Domini* et *specialibus anni temporibus propriæ:*

1. *De Nativitate Domini* « dicitur a [die] Nativitatis usque ad Epiphaniam (præterquam in die octava (1) S. Joannis apostoli) et in Purificatione B. Mariæ (2), in festo Corporis Christi et per

(1) Qua die dicenda est præfatio Apostolorum. Hæc tamen dicenda non est in missa ipsius festi S. Joannis Apostoli (vide infra), sed tunc dici debet præfatio de Nativitate Domini sub cujus octava occurrit ipsum festum.

(2) Primis sæculis, festum diei 2 Februarii habebatur ut festum Domini, pertinens ad cyclum Nativitatis ejus. In hodierna liturgia plura sunt, præter præfationem, quæ directe ingressum Domini recolunt v. g.

octavam (1), nisi in ea occurrat festum quod propriam præfationem habeat. Item in Transfiguratione Domini, et in festo SS. Nominis Jesu [et S. Familiæ] necnon in missis votivis de SS. Sacramento [de Nomine Jesu aut S. Familia] ». In missa *Egredimini* de SS. Corde Jesu dicitur generatim præfatio de Nativitate Domini, quæ tamen locum cedit præfationi de Cruce in missis votivis a Septuagesima usque ad Pentecosten.

2. *De Epiphania* dicitur in festo et per octavam.
3. *De Quadragesima* dicitur a feria IV Cinerum usque ad sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive;
4. *De Passione et S. Cruce* quæ dicitur in dominicis et feriis a Dominica Passionis usque ad feriam V in Cœna Domini inclusive et in missis [festivis aut votivis] de Cruce et de Passione, de Pretiosissimo Sanguine aut Cruore, de Oratione Christi in monte Oliveti et de Instrumentis Passionis, necnon in missa *Miserebitur* de SS. Corde.
5. *Paschalis* dicitur a Sabbato Sancto (2) usque ad Ascensionem exclusive. In missa Sabbati Sancti dicitur: « In hac potissimum *nocte* »; in die Paschæ usque ad Sabbatum in Albis inclusive: « in hac potissimum *die* » et deinceps: « in *hoc* potissimum [sc. tempore] gloriosius ».
6. *De Ascensione* dicitur a die Ascensionis usque ad vigiliam Pentecostes exclusive.

---

epistola quæ est lectio Malachiæ prophetæ c. III, ex qua desumuntur invitatorium et capitula officii; Introïtus, Collecta et Graduale Missæ; quinta oratio benedictionis candelarum.

(1) Etiam in *Dominica* infra Octavam. Cf. n. 3989 et Nov. Rubr. VII, 4, coll. S. R. C. 9 mart. 1912, ad I. Eadem regula applicanda est pro Dominicis infra octavas Nativitatis, Epiphaniæ et Ascensionis (Nov. Rubr. I, 2).

(2) Missa enim Sabbati Sancti sicut et vigiliæ Pentecostes est missa anticipata *ipsius* festi sequentis. Missa autem ceterarum vigiliarum est missa diei *præparationis ad* festum sequens.

7. *De Pentecoste* dicitur a vigilia Pentecostes usque ad sabbatum sequens inclusive; necnon in missis votivis de Spiritu Sancto, in quibus tamen omittuntur verba « hodierna die ».

Nota sedulo:

1/ Præfationes sub A quibusdam festis assignatas dicendas esse pariter infra octavas, si festa cum octava celebrari contigerit, v. g. in diœcesi Brugensi, festum Transfigurationis (n. 3624, 2), etiamsi commemoratio octavæ omittenda esset ob occurrens festum duplex I aut II classis, quod propriam præfationem non habet (n. 2439, 2).

2/ Præfationes de Tempore sub A indicatas dicendas esse:

a/ semper in missis de illo tempore, aut de præfatis festis vel octavis;

b/ et etiam in aliis missis festivis vel votivis illo tempore occurrentibus, nisi hæ missæ habeant sibi propriam præfationem, aut in eis facienda sit commemoratio festi quod gaudeat propria præfatione et dignius est officio de tempore.

B. Præfatio **Dominicalis, de SS. Trinitate**, dicitur:

a/ in festo SS. Trinitatis et in votivis ejusdem;

b/ in omnibus dominicis per annum (h. e. extra tempora supra sub A determinata; cf. n. 2515, 6) nisi occurrat festum aut octava festi Domini, aut nisi celebretur in Dominica missa votiva solemnis aut festiva quæ habeat præfationem propriam.

Præfatio de SS. Trinitate juxta novas rubricas (tit. X, n. 4) habenda est ut *præfatio propria dominicarum per annum*. Et ideo etiamsi in missa de Dominica facienda sit commemoratio festi vel octavæ B. Mariæ V. vel apostoli, jam non est dicenda, ut olim, præfatio propria festi commemorati sed præfatio SS. Trinitatis (S. R. C. 30 Dec. 1911, ad II; 9 febr. 1912, ad III; 22 mart. 1912, ad VI).

C. Præfationes **festis Sanctorum** propriæ:

1/ *De Beata Maria V.* dicitur in festis et missis votivis B. Mariæ V. excepto festo Purificationis.

In hac Præfatione nomen mysterii vitæ B. M. V. quod celebratur exprimendum est eo modo quo in Missalis rubrica tum in Ordine Missæ tum in singulis missis de Beata exprimitur.

2/ *De Apostolis* dicenda in festis Apostolorum et Evangelistarum (præterquam in die S. Joannis Apostoli), necnon S. Barnabæ qui in liturgia apostolis æquiparatur et Apostolus nominatur.

Nota has præfationes etiam dici in diebus hebdomadæ (non in Dominicis) infra respectivas octavas, nisi a/ occurrat festum propria gaudens præfatione, aut b/ dicatur missa de feria majori cui propria est aliqua præfatio de tempore v. g. quadragesimalis (1).

D. Præfatio **Communis** dicitur:

a/ per annum (h. e. extra tempora sub A designata) in omnibus festis et feriis quæ propriam non habent;

b/ in omnibus missis defunctorum.

II. Præcedentes rubricæ obviæ sunt pro casu quo vel nulla vel unica est ratio ut eligatur quædam præfatio propria seu specialis. Sed quid faciendum quando in una die vel missa, ratione temporis vel dominicæ, vel festi aut octavæ, vel commemorationis, plures simul occurrunt rationes quæ suam quisque diversam præfationem postulant (2)?

A. **Principium** est ut Præfatio seligatur secundum sequentem prælationis ordinem ex novis rubricis collectum:

a/ ea quæ est vel habetur propria missæ celebrandæ;

b/ propria missæ officii quod ceteris prævalet et

(1) S. R. C. 19 April. 1912, ad XII.

(2) Disciplinam recentioribus decretis stabilitam vide summatim expositam apud *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 776.

prius commemoratur (S. R. C. 22 mart. 1912, ad VI, 19 apr. 1912, ad XIII);

c/ propria de tempore;

d/ communis.

B. Ad hujus principii applicationem **nota**:

a/ pro die Dominica *propriam* haberi præfationem de tempore vel de festo aut octava festi Domini, secus de SS. Trinitate, (30 dec. 1910, ad II).

b pro missa feriali, ut *propriam* haberi præfationem de tempore, si adsit, v. g. de Quadragesima, Passione aut Paschate (19 apr. 1912, ad XII).

C. **Unde practice**:

1° *In Dominica:* a/ si celebretur missa de Dominica: præfatio de tempore — vel de aliqua octava festi Domini — vel de SS. Trinitate. (30 dec. 1911, ad II);

b/ si vero celebretur missa de festo: præfatio propria festi (v. g. Apostolorum) — secus ea præfatio quæ dicenda esset in missa de dominica occurrente (S. R. C. 22 mart. 1912, ad VI; 9 febr. 1912, ad III).

2° *In feriis:* a/ si missa dicatur de feria: præfatio de tempore si adsit, etiamsi commemoretur festum propria præfatione gaudens (19 april. 1912, ad XII) — secus propria festi vel octavæ prius commemati, (24 maii 1912, ad VI, 1°). — Si non adsit, communis;

b/ si dicatur missa de festo vel octava: præfatio propria festo vel octavæ — secus de tempore — secus communis.

3° *In missis votivis:* præfatio propria missæ (v. g. de Cruce, de Apostolis) — qua deficiente, ea quæ pertinet ad officium prius commemoratum, v. g. de octava, vel de B. Maria Virgine in Sabbato (19 apr. 1912, XI) — secus de tempore — secus communis.

4° *In missis Requiem* semper communis.

C. CALLEWAERT.

ACTA PII PP. X

LITTERÆ APOSTOLICÆ (1).

Indicitur universale Jubilæum in memoriam pacis a Constantino Magno imperatore Ecclesiæ datæ.

PIUS PP. X.

Universis Christifidelibus has Nostras litteras inspecturis salutem et Apostolicam Benedictionem. — Magni faustique eventus commemoratio, quo sedecim abhinc sæculis pax tandem Ecclesiæ concessa fuit, dum omnes catholicas gentes summa afficit lætitia, eisque pietatis opera suadet, Nos movet imprimis ad cælestium munerum thesauros aperiendos, ut ex hujusmodi solemnitate lecti uberesque fructus in Domino percipiantur. Par enim atque item peropportunum videtur, Edictum a Constantino Magno Imperatore Mediolani promulgatum concelebrare, quod prope secutum est victoriam contra Maxentium, glorioso Crucis vexillo partam, et sævis in Christianos vexationibus finem faciens, illos in eam libertatem vindicavit, cujus pretium divini Redemptoris et Martyrum sanguis fuit. Tum demum militans Ecclesia primum ex iis triumphis egit, qui qualibet ejus ætate omnigenas insectationes perpetuo subsequuntur, atque ex eo die potiora semper in humani generis societatem contulit beneficia. Nam homines superstitioso idolorum cultu paulatim relicto, tum legibus, tum moribus institutisque christianam vitæ rationem magis ac magis amplexi sunt, atque ita factum est, ut justitia simul et caritas in terris florerent. Consentaneum igitur esse ducimus, hac felici occasione, qua tam egregium factum recolitur, Deum, Virginem Ejus Genitricem et reliquos Cælites, Apostolos præsertim, etiam atque etiam

Occasione commemorationis pacis Constantinianæ.

qua Ecclesia de persecutionibus

triumphans,

in vitam publicam in dies magis christianam vitæ rationem, justitiam et caritatem, invexit.

(1) *Acta Apostolicæ Sedis*, 1913, p. 89. Circa indulgentiam Jubilæi ctr. *Collat. Brug.*, t. V, 1900, t. VI, 1901, ubi de Jubilæo ordinario anni sancti, et t. IX, 1904, ubi de Jubilæo extraordinario ratione initii Pontificatus Pii X.

ad deposcendam cælitus ejusdem Ecclesiæ prosperitatem et victoriam,

adprecari, ut populi universi decus et honorem Ecclesiæ instaurantes, ad tantæ matris gremium confugiant, errores, quibus inconsulti fidei inimici ejus claritati tenebras obducere nituntur, pro viribus depellant, Romanum Pontificem summa observantia colant, in catholica denique religione omnium rerum præsidium et columen fidenti animo intueantur. Tum sperare licebit, homines oculis ad Crucem denuo fixis, in hoc salutari signo et Christiani nominis osores, et effrænatas cordis cupiditates omnino devicturos. Verum quo humiles preces, in catholico orbe hac sæculari solemnitate adhibendæ, spirituali fidelium bono satius cumulentur, eas

Plenaria Indulgentia in forma Jubilæi universis lucranda offertur.

Plenaria Indulgentia in forma Jubilæi locupletandas censuimus, omnes Ecclesiæ filios vehementer hortantes, ut Nostris suas quoque supplicationes pietatisque officia conjungant, et hac eis oblata Jubilæi gratia in animorum emolumentum pariter atque in religionis utilitatem quam maxime fruantur. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi solvendique potestate, quæ Nobis licet immerentibus divinitus data fuit, atque auditis etiam VV. FF. NN. S. R. E. Cardd. Inquisitoribus Generalibus, præsentium tenore omnibus ac

Conditiones 1° Romæ

tempus

visitatio

et preces

confessio

communio

eleemosyna

2° extra Urbem.

singulis utriusque sexus Christifidelibus vel in hac alma Urbe Nostra degentibus, vel advenientibus ad eam, qui hoc vertente anno a Dominica in Albis, ex qua sæcularia sollemnia in Ecclesiæ pacis memoriam incipient, usque ad festivitatem Deiparæ Virginis ab Immaculata Conceptione inclusive, Basilicas S. Joannis in Laterano, S. Petri Principis Apostolorum ac S. Pauli extra muros bis singulas adeant, et ibi aliquandiu pro Ecclesiæ catholicæ et hujus Apostolicæ Sedis prosperitate et exaltatione, pro hæresum exstirpatione, et omnium errantium conversione, pro Christianorum Principum concordia et totius fidelium populi pace et unitate secundum mentem Nostram preces ad Deum effundant, ac semel intra hujusmodi temporis spatium, admissis rite expiatis, cælesti convivio se reficiant, atque insuper eleemosynam pro sua quisque facultate vel in egenos, vel, si malint, ad pias caussas erogent, plenissimam omnium peccatorum Indulgentiam ad instar Jubilæi generalis concedimus et impertimus. Iis vero, qui ad Urbem convenire nequeant, Plenariam eandem largimur Indulgentiam, dummodo sui loci templum

vel templa, ab Ordinario semel tantum designanda, pari temporis intervallo, omnino sexies visitent, et alia pietatis opera, quæ superius diximus, integre perficiant. Veniam præterea facimus, ut hæc Plenaria Indulgentia etiam animabus, quæ Deo in caritate conjunctæ ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari possit ac valeat. Concedimus autem, ut navigantes et iter agentes, ubi ad sua domicilia seu alio ad certam stationem se receperint, operibus suprascriptis peractis, et visitata sexies ecclesia cathedrali vel majori aut parochiali loci eorum domicilii seu stationis, eandem Indulgentiam consequi licite queant. Regularibus vero personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque sive laicis, sive ecclesiasticis, sæcularibus vel regularibus, in carcere vel captivitate exsistentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quovis impedimento detentis, qui memorata opera, vel aliqua ex iis præstare nequeant, ut illa Confessarius in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, cum facultate etiam dispensandi super Communione cum pueris, qui ad eam nondum admissi fuerint, concedimus item atque indulgemus. Insuper omnibus et singulis Christifidelibus tum laicis, tum ecclesiasticis sæcularibus vel regularibus, cujusvis Ordinis et Instituti, etiam specialiter nominandi, facultatem facimus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemlibet presbyterum Confessarium sæcularem seu regularem ex actu approbatis, et hac facultate fas sit uti etiam monialibus, novitiis, aliisque mulieribus intra claustra degentibus, dummodo Confessarius approbatus sit pro monialibus. Talis Confessarius eosdem vel easdem intra dictum temporis spatium ad confessionem apud ipsum peragendam accedentes animo præsens Jubilæum consequendi, et reliqua opera ad illud lucrandum necessaria adimplendi, hac vice et in foro conscientiæ dumtaxat ab excommunicationis, suspensionis, et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a jure vel ab homine quavis de causa latis vel inflictis, etiam Ordinariis locorum et Nobis, seu Sedi Apostolicæ etiam in casibus cuicumque ac Summo Pontifici et Sedi Apostolicæ *speciali licet modo* reservatis, et qui alias in concessione quantumvis ampla non intelligerentur concessi,

Defunctis applicari potest.

Privilegium navigantium et itinerantium.

Cum personis quovis impedimento detentis

confessarius opera injuncta commutare vel prorogare potest.

Facultas dispensandi super Communione cum pueris.

Privilegia

eligendi confessarium

absolvendi a reservatis

nec non ab omnibus peccatis et excessibus, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis ac Nobis et Sedi Apostolicæ, ut præfertur, reservatis, injuncta ipsis pœnitentia salutari, aliisque de jure injungendis, et si de hæresi agatur, abjuratis prius et retractatis erroribus, prout de jure, absolvere; nec non vota quæcumque etiam jurata ac Sedi Apostolicæ reservata (exceptis semper castitatis, religionis et obligationis, quæ a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de præjudicio tertii, nec non pœnalibus, quæ præservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare, et cum pœnitentibus hujusmodi in sacris Ordinibus constitutis, etiam regularibus, super occulta irregularitate ad exercitium eorumdem Ordinum, et ad superiorum assecutionem dumtaxat contracta, dispensare possit ac valeat. Non intendimus autem per præsentes super alia quavis irregularitate, sive ex delicto sive ex defectu, vel publica vel occulta aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super præmissis dispensandi, seu habilitandi et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiæ; neque etiam derogare Constitutioni cum appositis declarationibus editæ a fel. rec. Benedicto XIV decessore Nostro, quæ incipit « Sacramentum Pœnitentiæ » neque demum easdem præsentes iis, qui a Nobis et Apostolica Sede vel aliquo Prælato seu Judice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra prædictum tempus satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere. Quod si intra præfinitum terminum, judicio Confessarii, satisfacere non potuerint, absolvi posse concedimus in foro conscientiæ ad effectum dumtaxat assequendi Indulgentias Jubilæi, injuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterunt. — Quapropter in virtute sanctæ obedientiæ præsentium tenore districte præcipimus, atque mandamus omnibus Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis et Officialibus, vel, ipsis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut quum præsentium Litterarum transumpta aut

vota commutandi

dispensandi super irregularitate indicata.

Excipiuntur alia quævis irregularitas

duo casus specialissime reservati

nominatim censurati.

Publicatio injungitur.

exempla etiam impressa acceperint, illa per suas ecclesias ac diœceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent, vel publicanda curent, populisque etiam verbi Dei prædicatione, quoad fieri possit, rite præparatis, ecclesiam seu ecclesias visitandas, ut supra, designent. — Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio vel specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari possint; nec non regula de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, et Congregationum sive Institutorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus et Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu alia quævis expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressos, ac formam in iis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter nominatim et expresse ad effectum præmissorum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut denique præsentes Nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut præsentium transumptis, vel exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, ubicumque locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Ecclesia(e) designanda(e).

Derogationes.

Transumpta et exempla impressa.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII martii MCMXIII, Pontificatus Nostri anno X.

De speciali mandato SS^{mi}

L. ✠ S.

R. Card. Merry del Val,
a Secretis Status.

MISCELLANEA

Circa renovatas facultates annales Ordinarii Brugensis.

En tenorem duplicis indulti nuperrime concessi Ordinario Brugensi, renovationem sollicitanti facultatum annalium, quas a Sede accipere solebat hucusque in ordine ad sanandas dispensationes Romanas nulliter elargitas (1):

S. CONGREGATIO DE SACRAMENTIS

OFFICIUM III.

De dispensationibus matrimonialibus.

A.

Facultas sanandi super errore nominum vel cognominum.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, vigore facultatum a SSmo D. N. Pio Papa X sibi tributarum, Ordinario Brugen. benigne indulget ut ipse ad quinquennium, a data præsentium computandum, sanare seu convalidare valeat literas dispensationum matrimonialium, ab eadem Sacra Congregatione super quovis canonico impedimento expeditas, quæ nullæ fuerint ob errorem nominum vel cognominum contrahentium.

Datum Romæ, ex ædibus ejusdem S. Congregationis, die 19 Februarii 1913.

L. ✠ S. P. Papi, *Subsecrius.*

(1) Cfr. *Liber Manualis*, ed. 2a, p. 208 s.; De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, n. 406.

B.

Facultas convalidandi ob noviter detectum impedimentum.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, vigore facultatum a SS^mo D. N. Pio Papa X sibi tributarum, Ordinario Brugen. indulget ut ipse ad quinquennium, a data præsentium computandum, convalidare valeat literas dispensationum, matrimonialium, ab eadem Sacra Congregatione super quovis canonico impedimento expeditas, quæ nullæ fuerint ob aliud impedimentum minime denunciatum et ante earum executionem detectum, quod tamen sit ejusdem speciei et gradus ob multiplicitatem linearum ac stipitum: seu etiam inferioris gradus infra recensiti, scilicet: consanguinitatis et affinitatis in tertio aut quarto gradu, æquali vel inæquali, dummodo primum non attingat; publicæ affinitatis ex illicita in linea collaterali, cognationis spiritualis et honestatis publicæ ex sponsalibus tantum rite solutis provenientis: servatis in reliquis illarum forma ac tenore.

Datum Romæ ex ædibus ejusdem S. Congregationis die 19 Februarii 1913.

L. ✠ S. P. Papi, *Subsecrius.*

Adnotationes.

I. *Indulto A* conceditur potestas sanandi seu convalidandi dispensationes matrimoniales a S. Congr. de Sacramentis expeditas, quas continget vitiari ob errorem *nominum vel cognominum* contrahentium: qui error non infrequenter obtinet circa cognomina nostratum.

Hac autem occasione notetur non ex omni errore nominis vel cognominis invalidari rescriptum: oportet ut sit error substantialis, talis scil. ex quo identitas personæ in dubium vocetur. Porro hujusmodi errorem substantialem inducere potest mutatio syllabæ, vel et unius dumtaxat litteræ, si nempe nomen inde coram communi æstimatione notabiliter deformatur. Ita v. gr. si loco De*l*aere scribatur De*b*aere, vel si loco De*d*ie, ponatur De*b*ie; contrà accidentalis censeretur error si

Van *de* Weghe transformaretur in Van *den* Weghe, Declerc*k*, in Declerc*q*, et ita porro.

Indulto B tribuitur facultas convalidandi dispensationes matrimoniales a laudata Congr. expeditas, quæ nullæ fuerint *ab omissam mentionem unius alteriusve impedimenti*, in supplica aut in rescripto non memorati, et ante dispensationis executionem detecti. Nimirum

1° Si omissum fuit impedimentum *ejusdem speciei et gradus* ac est impedimentum super quo dispensatur in rescripto: a. v. si, dispensatione obtenta super impedimento *simplici*, super consanguinitate scil., affinitate vel publica honestate simplici, ante executionem innotescit illud esse in eodem gradu *multiplex*.

2° Si omissum fuit aliud impedimentum *diversæ speciei vel gradus*, quod inter sequentia numeretur, quod nempe sit impedimentum « consanguinitatis vel affinitatis in tertio aut quarto gradu, æquali vel inæquali, primum non attingente, publicæ affinitatis illegitimæ, in linea collaterali, cognationis spiritualis et publicæ honestatis en sponsalibus solutis exorients » (1).

Circa quæ notare juvat:

1° Facultates spectant litteras dispensationis, tam in matrimoniis *contractis* quam *contrahendis*: generalia enim sunt verba concessionis, absque restrictione ulla.

2° Spectant sola rescripta *fori externi*, eaque *a sola S. Congregatione de Sacramentis* emanantia, uti in tenore inseritur.

3° Sub B, supponitur impedimentum in litteris non denuntiatum innotescere *ante rescripti executionem*. Quodsi detegatur, rescripto executioni jam mandato, ulterius non est locus rescripti sanationi, ac novus recursus esset instituendus ad novam dispensationem obtinen-

---

(1) Non attenditur igitur publica honestas en matrimonio rato; supponuntur etiam sponsalia, ex quibus publica honestas oritur *rite dissoluta*: secus namque simul adesset impedimentum impediens sponsalium, ad quod non extenditur facultas.

dam super impedimento nulliter dispensato, simul ac super impedimento noviter detecto.

II. Comparatione instituta cum indultis in hoc negotio hucusque impetrari solitis, sponte apparet *non modicam mutationem* esse inductam:

A. Quod spectat *durationem* seu tempus ad quod facultates conceduntur: dum hucusque singulo anno erant renovandæ, nunc valent ad *quinquennium;* ex *annalibus* factæ sunt *quinquennales.*

B. Quod spectat *objectum* concessionis seu facultatis *amplitudinem*:

1° Ex facultate olim sub n. I Annalium inscripta (*Liber Manualis*, ed. 2ª, p. 208), sola servatur pars quæ spectat rescripti sanationem in casu erroris circa nomen vel cognomen, omissa jam facultate litteras convalidandi quæ nullæ fuerint « ob falsò allegatam copulam... vel quæ nullæ fuerint ob incestum reticitum in precibus... ». Hæc cæteroquin altera potestas non est practica nisi respectu matrimoniorum quæ ante diem 25 Junii 1885 forte fuerint contracta.

2° Omittitur facultas quæ usque ad hæc tempora sub n. IV inserta legebatur, « convalidandi scil. litteras dispensationis... quæ nullæ fuerint ob non secuta scandala aliaque mala ex copula carnali inter oratores habita et in supplicatione tanquam causa finalis et quidem unica allegata... ».

3° Omittitur etiam facultas, « convalidandi litteras ab Apostolica Sede expeditas, si nullæ fuerint ex eo quod dispensatio concessa fuerit in gradibus affinitatis, dum petita fuerit in gradibus consanguinitatis et vice versa, dummodò dispensatio obtenta fuerit super impedimento quod primum gradum non attingat ». Erat inserta sub n. II.

4° Quod reliqua attinet:

Hucusque, vi facultatis sub n. III inscriptæ, poterat Ordinarius Brugensis « convalidare litteras dispensationis super quovis impedimento ab Apostolica Sede

expeditas, quando bona fide oratorum reticita fuerint impedimenta super quibus... vi aliarum facultatum legitime obtentarum dispensare possit ». Poterat igitur a, *pro foro externo* sanare dispensationis Romanæ rescripta, vitiata ob omissionem bona fide impedimenti consanguinitatis et affinitatis licitæ in 3^io^ et 4° gradu æquali vel mixto, non autem mixto cum 1° vel 2°; publicæ honestatis ex sponsalibus; cognationis spiritualis, ex compaternitate ortæ, ac criminis absque machinatione. Poterat b/ eadem rescripta sanare *pro foro interno*, si nulla fuerint ob omissum impedimentum *occulti* criminis aut occultæ affinitatis illicitæ, sive in matrimonio contracto, sive in contrahendo, posita urgenti necessitate (1).

In præsenti, quando litteræ Apostoliciæ vitiari reperiuntur ob omissam mentionem impedimenti, ex una parte competit Ordinario, circa illarum sanationem, amplior potestas, ex alia parte conceditur minor.

Nimirum *ex una parte* rescripta *pro foro externo* convalidare nunc valet, si impedimentum consanguinitatis, affinitatis aut publicæ honestatis, super quo ut simplici est dispensatum, multiplicari contingat, quantumcumque sit, etiam si esset impedimentum affinitatis in primo gradu collaterali quod duplicetur; item si novum detegatur impedimentum consanguinitatis aut licitæ affinitatis, non tantùm in 3^io^ vel 4° gradu, vel quarto mixto cum tertio, ut antea, sed etiam in 3^io^ vel 4° tangente secundum, solo excluso casu tacti gradus primi; item si detegatur publica affinitas illegitima in omni gradu lineæ collateralis, vel cognatio spiritualis etiam inter levantem et levatum, baptizantem et baptizatum, dum antea facultas restringebatur ad solam

(1) Vi facultatis, sub n. V insertæ, extendebatur sanandi potestas etiam ad casum quo affinitatis illicitæ impedimentum « innotuerit executori antequam omnia ad matrimonium sint parata, si propter magnam... ab Urbe distantiam periculum incontinentiæ vel alterius gravis mali meritò timeatur ».

compaternitatem. Ulterius jam non restringitur facultatis exercitium ad casum quo impedimentum noviter detectum fuerit reticitum *bona fide oratorum*.

Ex alia parte non jam extenditur præsens indultum ad casum noviter detecti impedimenti criminis publici: quod criminis impedimentum, sub nova disciplina Curiæ Reformatæ, recensetur inter impedimenta gradus majoris.

Quod autem amplius non memoretur sanandi facultas *pro foro interno*, suprà delineata, nihil mirum, cum S. Congr. de Sacramentis soli foro externo præponatur. Foret proinde facultas illa impetranda a S. Pœnitentiaria, cujus est prospicere necessitatibus fori interni. Cæterum notum est Episcopum posse, ex potestate ordinaria, in casu urgenti convalidare pro foro interno dispensationis Apostolicæ rescripta, quæ invalida fuerint reperta ob omissam mentionem impedimenti occulti (1).

A. De Smet.

(1) Cf. *De Sponsalibus et Matrimonio*, n. 406, coll. nn. 354 et 355.

E. S. Congr. de Sacramentis

(A. A. S., IV, p. 725).

In plenario Erum Patrum cœtu, habito in palatio apostolico Vaticano die 20 decembris 1912, sequentia dubia proposita fuerint:

I. An et quibus de causis Ordinarii permittere possint per modum actus, ut sacrosancta Missa extra locum sacrum privatis in domibus, celebretur.

II. An Ordinarii permittere possint, ut parvulis, præterquam quod instante mortis periculo vel urgente infirmitate, domi baptismatis sacramentum administretur.

III. An Ordinarii permittere possint, ut mala affectis valetudine, qui domo egredi nequeant et sacram Commu- ob devotionem petant, cum præsertim in aliqua parœcia plures petant, vel aliquis petat frequenter, S. Eucharistia privatim, seu non observatis Ritualis præscriptionibus, ab ecclesia domum deferatur.

Et Emi Patres, re mature perpensa, reposuerunt:

Ad I. Affirmative ex justis et rationabilibus causis, per modum actus, non tamen in cubiculo, sed in loco decenti, servatisque aliis de jure servandis et gratis omnino quocumque titulo.

Ad II. Affirmative ex justa et rationabili causa.

Ad III. Affirmative ex justa et rationabili causa, servato saltem ritu proposito a Benedicto XIV in Decreto *Inter omnigenas*, 2 febr. 1744, § 23 scilicet: « *Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pixidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur* ».

Quas resolutiones Smus D. N. Pius PP. X in audientia habita ab infrascripto Secretario die 22 decembris 1912, ratas habere et confirmare dignatus est

Datum Romæ e Secretaria S. C. de disciplina Sacramentorum, die 23 decembris 1912.

D. Card. Ferrata, *Præf.*

Adnotationes.

Ad I.

A. Circa quæstionem utrum et quousque, sub Jure Tridentino, Episcopo agnoscenda fuerit potestas *permittendi Missæ celebrationem in domo privata*, vel aliàs extra ecclesiam seu locum sacrum, non una est *inter Auctores* sententia.

Nimirum dum alii severe omninò interpretantur decretum Synodi Tridentinæ, Sess. XXII, *De observandis et evitandis in celebratione Missæ* (1), existimantes per illud omnem in hac re potestatem esse ademptam Episcopo, alii docent prohibitionem a Patribus Tridentinis factam, solam spectare permissionem ab Episcopo dandam *per modum habitus,* adempta scil. ipsi facultate erigendi oratorium domesticum, adeo ut fas sit Episcopo Missam celebrandam concedere *per modum actus,* et data causa proportionata. Pro hac autem causa proportionata, alii requirunt causam gravem et urgentem, alii, cum *S. Alphonso*, l. VI, n. 359, justam tantum et rationabilem causam postulant.

Quod autem spectat *mentem S. Sedis*, videtur disciplina Romana cuidam fluctuationi et evolutioni fuisse obnoxia. Nimirum

1° Usque ad medium sæculum elapsum, declarationes S. Sedis severiorem interpretationem urgebant, uti patet ex solutionibus datis a S. C. Concilii, die 23 Jan. 1847, in Causa *Monasterien.*, apud *Thesaurus resolutionum S. C C.*, 1855, p. 263, et apud PALLOTINI, *Collectio conclusionum et resolutionum S. C. C.*, t. XIV, p. 457, n. 35 (2), necnon die 27 Maii 1617, in responso ad

(1) « Neve patiantur (Episcopi) privatis in domibus, atque omninò extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria... sanctum hoc sacrificium... peragi ». Cf. Constit. Bened. XIV *Magno cum,* 2 Junii 1751, par. 11 (P. B., IX, p. 14 s.).

(2) « Non licere ulli Episcopo hujusmodi licentias quocumque sub obtutu concedere, ne pro actu quidem mere transeunte, (sed) hanc facultatem esse soli R. Pontifici reservatam ».

Episcopum Syracusanum, quæ altera solutio reperiri est in citato *Thesauro,* 1856, p. 521 (1); consonat etiam doctrina Bened. XIV, *Inter Omnigenas*, 2 Febr. 1744, par. 22 (*P. Bull.*, II, p. 181 s.), ubi docetur non permitti Missæ celebrationem in ædibus privatis extra summæ necessitatis casum.

2° Deinceps prævaluit benignior interpretatio, quatenus Episcopo agnoscatur jam facultas Missæ celebrationem permittere *per modum actus*, ex *gravi et urgenti causa:* in hunc sensum dubium solvente S. C. C., die 20 Decembris 1856 (2).

Cæterum termini decreti Tridentini, suprà invocati, non videntur adeo strictam interpretationem exigere, qualem eam urgebant anteriores S. Sedis declarationes, signanter si attendatur, sub antiquo Jure Decretalium, latiorem viguisse disciplinam (3): quod ulterius confirmatur collatione instituta cum redactione laudati decreti prævia, uti refertur apud THEINER, *Acta Genuina*, II, p. 122 (4).

Hucusque tamen Episcopi potestatis exercitium alligabatur ad existentiam causæ *gravis et urgentis*, adeo ut æquo benignior fuisse videatur solutio a S. Alphonso proposita.

Porro *causa magna et urgens* censetur adesse si ecclesia est diruta, vel nulla præsto est in loco; item si Missa est celebranda coram ingenti multitudine, puta

---

(1) Ad quæstionem: « An Ordinarii possint concedere licentias celebrandi in oratoriis privatis, quando causa aliqua necessaria subest, ut... cum ægrotant (nobiles) aut senio confecti ad ecclesiam accedere multifariam prohibentur », responsum est: « Non posse Episcopum *ex quavis causa* cuique concedere ut Sacrum fiat in privatis oratoriis ».

(2) Ad quæstionem: « An Episcopus possit, justa interveniente causa, facultatem concedere celebrandi in oratoriis privatis in casu », respondetur: « Negative, nisi tamen *magnæ et urgentes* adsint causæ, et per modum actus ».

(3) Cf. Decretum Gratiani, c. 11 et 12, *De Consecratione*, dist. I.

(4) Proposita regula de celebrando in ecclesia, exceptionaliter admittitur posse extra illam Sacrum fieri: « si Episcopus permittat, vel magna necessitas alibi celebrare compellat ».

coram exercitu ad prælium parata, quam ecclesia caperē non valet (1). Item « quando neque publice neque occulte deferri potest » s. Communio, licet in infirmi domo Missæ Sacrificium celebrare, « ne infirmus viatico privetur » (2).

B. Descriptam disciplinam hucusque vigentem *mitigandam* censuit S. Sedes, in præsenti decreto S. C. de Sacramentis. Declaratur nimirum et statuitur, S. Pontifice decretum ratum habente, ita exinceps esse concipiendam Episcopi potestatem, ut Missæ celebratio privatis in domibus permittere possit « *ex justis et rationabilibus causis, per modum actus* ».

Circa quod statutum hæc notare juvat:

a/ Dicitur: *per modum actus;* manet proinde, ut antea, extra Episcopi potestatem et S. Sedi reservata erectio oratorii domestici, permissione scil. permanenter et *per modum habitus* facta litandi in domo privata.

Per modum actus, i. e. transeunter et non definitive, non significat quod permissio sit coarctanda ad unam vel alteram celebrationem: potest extendi ad plures successivas vices, prouti id postulat causa invocata.

b/ *Justa et rationabilis* causa requiritur et sufficit. Unde ex una parte non est illa permissio danda ad arbitrium Episcopi; ex alia autem parte non est exigenda magna et urgens causa, qualem postulabat S. C. Concilii, die 20 Decembris 1856.

Hujusmodi justa causa potissimum erit, præter causas graviores suprà invocatas, infirmitas qua quis ab accessu ad ecclesiam impediatur (3). Et ita posset Episcopus permittere transeunter sacerdoti ægrotanti ut ipse domi celebret, ac etiam indulgere ut in gratiam personæ laicæ infirmantis Missa coram illa celebretur.

---

(1) Cf. MANY, *Prælectiones de Missa*, Parisiis, 1903, n. 4 ss.; GASPARRI, *Tractatus canonicus de SS. Eucharistia*, Parisiis, 1897, n. 273 ss.

(2) Decr. S. C. de P. F., 14 Dec. 1668, apud *Collectanea*², n. 172.

(3) CARD. GENNARI, *Il Monitore*, 1913, p. 486, proponit etiam causam matrimonii celebrandi apud prænobilem familiam.

Cæterum tota disciplinæ mitigatio potissimum inducta videtur (non secus ac mitigatio in disciplina, s. Communionis deferendæ ritum moderante, de qua mox sub II) in gratiam infirmorum, ad hoc ut facilior et frequentior copia ipsos procuretur non modò viaticum sumendi, sed et s. Communionem ex devotione suscipiendi.

c/ *Cautelæ* quædam sunt observandæ:

1/ Non potest Missa celebrari *in cubiculo*, seu in cella dormitoria, sed in alio loco decenti, puta contiguo ad cellam dormitoriam ægroti, ita ut Missæ Sacrificio assistere valeat.

2/ Servanda sunt *de jure servanda:* circa vasa sacra scil., vestes sacras et altare, necnon *circa jura parochialia*, quibus non est præjudicium afferendum (1). Hæc clausula de intactis servandis juribus parochialibus solet inseri in indultis oratorii domestici; importat autem « ut præcepto audiendi Missam diebus dominicis et festivis... nonnisi determinatæ personæ satisfacere possint; ut ibi nullæ aliæ functiones liturgicæ fieri possint nisi Missa lecta cum administratione S. Communionis » (2).

Ad II^{m}.

A. Circa *Baptismi collationem*, *regula est* ut *in ecclesia* vel oratorio publico, ubi habentur fontes baptismales, administretur Baptisma, juxta ritum in Rit. Romano descriptum.

---

(1) In indulto Apostolico Oratorii privati solet etiam excludi Missæ celebratio in Paschate, Pentecoste, Nativitate Domini et aliis festis solemnioribus (Cf. Ferraris, *Prompta Bibliotheca*, V° *Oratorium*, n. 49 s.). Hæc clausula hic non videtur attendenda, ideo præcise quod agatur de permissione transitoria quodque causa invocanda optime possit afficere hujusmodi diem solemniorem.

(2) *Ned. Kath. Stemmen*, 1913, p. 36 s., quo loco, per modum conclusionis, additur: « Itaque non licet cantare Missam, dare benedictionem SS. Sacramenti, benedicere et distribuere cineres, palmas, candelas; concionem habere; audire confessiones (excepta ægrotorum confessione); benedicere mulieri post partum, et alia hujusmodi ».

Duplex autem *exceptio* hucusque in jure admittebatur, ad tramites cap. unic., Clement., III, 15, et ipsius *Ritualis Rom.*, Tit. II, cap. 1, n. 29 (1). Nimirum potest Baptismus conferri *in ædibus privatis,* 1° *in casu necessitatis*, i. e. quando proles constituitur in imminenti periculo mortis, vel adeo debilitata videtur ut, attenta distantia et tempestate, sine periculo ad ecclesiam deferri nequeat: cui necessitatis casui æquiparari potest casus infantis, quem parentes omninò nolunt ad ecclesiam transferri (2).

2° *Pro filiis Regum et Principum*, ita scil. ut nomine principum non veniant quivis nobiles ac magnates, sed soli regiæ stirpis principes aut ita potentes qui regibus assimilentur (3).

B. Juxta præsens decretum, jam potest *Episcopus*, extra duos casus in jure admissos, Baptismi administrationem permittere in domo privata; sufficit autem ad hoc *justa ac rationabilis* causa, nec adeo postulatur gravis vel urgens ratio.

Porro sufficiens ratio aderit in magna distantia domus paternæ ab ecclesia, secluso etiam omni periculo pro prole; item in hoc quod Baptismi administratio domi facienda sollicitetur a prænobili viro (non regio aut regiæ stipis), præsertim si oratorium habet domesticum: ratio, inquam, sufficiens, non ut parochus propria auctoritate procedat; sed ut Episcopi licentia impetretur.

C. Quod attinet *modum ministrandi* Baptismum in domibus privatis:

1° *Si urget mortis periculum,* prætermissis cœremoniis ablutioni *prævviis*, proles tingatur aqua baptismali; ad-

---

(1) Cf. etiam Bened. XIV, *Instit. eccles.*, Inst. 98, n. 9, ubi citantur canones 19 et 31 Concilii Trullani, item Const. *Magno cum,* 2 Junii 1751, par. 19 (*P. Bull.*, IX, p. 19).

(2) Cf. decr. C. S. O., 28 Febr. 1675 (*Collectanea S. C. de P. F.*, n. 608) et S. C. de P. F., 21 Jan. 1789 ad 4 (*ibidem*, n. 611). In hoc tamen ultimo casu præstat prævie recurrere ad Episcopum.

(3) *Causa Castrimaren.*, 20 Jan. 1894, apud *N. R. th.*, XXVI, p. 249.

dantur autem, si supervixerit, cœremoniæ *subsequentes*, et reliquæ omissæ postea, si convaluerit, suppleantur in ecclesia (1).

2° *Extra urgens mortis periculum:*

a/ si præsto est, in domo privata, oratorium, ut in domibus regum et principum, *solemniter* administretur sacramentum integro ritu servato (2);

b/ ubi oratorum non datur:

Tunc, « si prævideatur quod parentes infantium neque decursu temporis infantes suos ad ecclesiam pro supplendis cœremoniis deferri permittant » (3), vel si ecclesia desit in loco (4), tunc *solemniter* ministretur Baptisma, cœremoniis adhibitis.

Aliàs, potius favendum videtur, si decreta attendantur et Instructiones S. Sedis, ministrationi *privatæ,* ea scil. lege ut postea cœremoniæ suppleantur in ecclesia: quam normam, licet minus liturgica videatur (5), innuunt decreta S. C. de P. F., 28 Nov. 1785 (6) necnon pluries invocata decreta S. C. de P. F., anni 1775 et 1789, ad 4^{m} (7), nec eam excludere videtur decretum S. C. R., 4 Febr. 1871, ad III dub. (8). Censemus tamen, attenta

---

(1) *Rit. Rom.*, Tit. II, cap. V, et cap. II, n. 28; decr. S. C. R., 20 Sept. 1820 (*Collectanea*, n. 619).

(2) *Rit. Rom.*, Tit. II, cap. II, n. 29.

(3) Decr. S. C. de P. F., 28 Febr. 1675, l. c. et 21 Jan. 1789, ad 4^{m}, l. c.

(4) Decr. S. C. de P. F., 21 Jan. 1789, ad 3^{m}, l. c., et decr. C. S. O. 28 Febr. 1663, apud *Collectanea,* n. 598.

(5) Rationes liturgicas olim (*Collat. Brug.*, II, p. 355 s.) invocavimus in favorem administrationis solemnis, quatenus cœremoniæ de se natæ sunt et institutæ ut sacramentum circumstent ipsique ornamento sint et decori. Eodem argumento nitens, opinatur Boudinhon, *Canon. Contemp.*, 1913, p. 97, solemniter esse conferendum Baptisma in casu; favet etiam Card. Gennari, l. c., p. 486 s.

(6) *Collectanea,* n. 610.

(7) Eo namque ipso quod citata decreta restringunt administrationem solemnem ad casum quo prævidetur infantes domi ablutos non esse ad ecclesiam adducendos pro cœremoniarum suppletione, non obscure innuitur normam esse ut privatim conferatur Baptisma: quod cæterum expressis verbis enuntiatur.

(8) *Decreta Authentica S. C. R.*, Romæ, 1900, III, n. 3234. Ibidem

præsentis decreti generalitate verborum et omnis restrictionis absentia, ab Episcopo permitti posse ut Baptismus, positis ponendis, solemniter celebretur in domo privata.

Ad III^m.

A. *Hucusque* in jure admissum erat ritualibus præscriptionibus pro delatione SS. Eucharistiæ, secluso speciali indulto, derogari posse :

1° in locis ubi, acatholicis vel infidelibus prævalentibus, timetur ne SS. Sacramentum ludibriis exponatur: quo casu servanda est regula ritualis a Benedicto XIV statuta, in Decreto *Inter omnigenas*, 2 Febr. 1744, par. 23 (1), quatenus « *Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus, in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat, et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur* ».

2° In casu quo omninò secretò et occultò deferenda est S. Communio propter periculum sigilli violandi: quotiescumque scil. sacerdos moribundum reperierit sacrilege viatico refectum, nec potest ad eum, citra graves suspiciones, iterum deferri S. Communio, ut divinæ legi viatici suscipiendi satisfaciat. In hisce utique angustiis, sacerdos potest et debet ab omni ritu abstinere ex cujus observatione quoquo modo innotescere posset S. Communionis iterata administratio, adeoque neglecto etiam consortio, quod Benedictus requirit, clerici vel fidelis.

Dictum est: « *secluso speciali indulto* », cujus indulti, si detur, tenori est inhærendum. Hujusmodi indultum

---

permittitur in casu Baptismum ministrari « in privatis domibus, servato ritu Ecclesiæ consueto »; agitur autem de casu ubi tanta distantia ab ecclesia separatur infans baptizandus (decem vel viginti milliaria geographica) ut reincidere videamur in hypothesim præcedentem, quatenus æquivalenter censeatur deficere ecclesia in loco in quo degit proles baptizanda.

(1) *P. Bull.*, II, p. 182. Cf. etiam *Rit. Rom.*, in appendice.

concessum fuit, die 18 Febr. 1875, in gratiam Hollandiæ, ubi indulgetur, ob locorum circumstantias, ut privatim, et absque etiam comitatu, ad infirmos deferatur SS. Eucharistia (1).

B. *Vi præsentis decreti*, ampliatur *prior derogatio*, quatenus exinceps possit Episcopus permittere ut, etiam in locis in quibus nullum est periculum timendum ab acatholicis vel infidelibus, SS. Eucharistia, ad normam Instructionis Benedictinæ, deferatur ad domum infirmi egredi non valentis, et S. Communionem ex devotione recipere exoptantis.

Circa quam novam disciplinam attende 1° accurate servandam esse *normam ritualem* a Benedicto XIV præscriptam, et modò suprà descriptam, circa modum delationis et comitatum; 2° requiri et sufficere causam *justam et rationabilem*, adeoque non postulari causam *gravem*.

Porro talis causa facile adesse potest in civitatibus, præsertim artificiis meritoriis addictis (villes industrielles), etiam ubi prævalent boni christiani ac religioni addictus est magistratus civilis: præterquam enim quod sæpe datur indifferentium copia, observatur vias et plateas, ob crescentem in dies negotiorum turbinem, multitudine occupari civium, rhedis et curribus privatis et publicis obrui, ita ut undique negotiorum sæcularium strepitus occurrat. Inde, uti appositè notant *Ephemerides Liturgicæ*, 1913, p. 81, natum est fieri ut « saltem negativa contemptio inveniretur erga Sacramentum, et non sufficiens reverentia, quam eliminare aut impedire nulla lex ecclesiastica potest ».

Posset etiam ut sufficiens haberi specialis conditio in qua infirmus versari contingit, quatenus, v. gr. ejus familiares ægre ferant SS. Eucharistiam frequentius vel et quotidiè ad ipsum deferri publicè et solemniter.

(1) Cf. *Ned. Kath. Stemmen*, 1913, p. 37. Apud nos, in nonnullis majoribus civitatibus, uti Bruxellis et Gandavi, usus existit, consuetudine inductus, pari modo deferendi SS. Eucharistiam, similiter absque comitatu.

Quinimo *Il Monitore,* tom. XXIV (1913), p. 487 s., inhæsitanter docet causam justam, quam exigit S. Congregatio, jam in ipso facto reponi quod plures in parœcia S. Communionem petant, vel quod una persona eam frequenter accipiendam sollicitet, adeo ut, juxta invocatam interpretationem, causa speciali opus non esset nisi in solo casu quo fidelis unus S. Communione semel domi refici postulet.

Quæ interpretatio, singulari licet *Cardinalis Gennari* auctoritate commendata, æquo benignior videtur, cum, attento tenore quæstionis et responsi, potius videatur S. Congregatio causæ justæ et rationabilis præsentiam requirere ultra et præter factum, quod in quæstione supponi videtur, frequentis petitionis.

Quidquid vero sit, etiamsi dicatur, ipso facto quod plures petant vel unus frequenter petat, causam adesse sufficientem : ulterius accedat oportet *permissio expressa et formalis Episcopi,* cujus prudenti judicio relinquitur, non modò de causæ sufficientia, sed et de concessionis opportunitate judicare.

Nescio autem utrum opportunum foret talem concessionem facere, citra peculiarium adjunctorum hypothesim, in gratiam fidelium frequenter licet petentium, præsertim in nostris ruralibus parœciis christianis, pacificis et morigeratis ; ægre potius et non sine offensione videret populus fidelis SS. Sacramentum quasi occultari et venerationis testimoniis subduci.

A. De Smet.

E. S. Congr. Concilii

De S. Communionis distributione, die Paschatis, in ecclesiis regularium.

(A. A. S., IV, p. 726).

Quum quæsitum a sacra Congregatione Concilii fuisset, an, post decretum de quotidiana SSmæ Eucharistiæ sumptione, cujus initium « Sacra Tridentina Synodus », servanda adhuc sit lex, qua prohibetur quominus die Paschatis in ecclesiis non parochialibus, præsertim regularibus, devotionis etiam causa, SSmæ Eucharistiæ Sacramentum fidelibus administretur; SSmus Dominus noster Pius divina providentia PP. X, audita relatione infrascripti Cardinalis Præfecti, in audientia diei 26 hujus mensis, responderi jussit: *Negative*, contrariis quibuscumque non obstantibus: idque in *Actis Apostolicæ Sedis* publicari mandavit.

Datum Romæ, e Secretaria S. Congregationis Concilii, die 28 novembris 1912.

L. ✠ S. C. Card. GENNARI, *Præfectus*.
O. Giorgi, *Secretarius*.

Adnotationes.

I. Vigebat *hucusque* disciplina ut *in ecclesiis regularium* S. Communionem distribui non liceret, ipsa solemni die Paschatis.

Nimirum quando a Paulo IV Fratribus minoribus privilegium fuit concessum (a Pio V, per communicationem, ad omnes regulares extensum), « ut Sacram Eucharistiam omnibus Christifidelibus in eorum ecclesiis distribuere possent » (1), expressis verbis facta fuit exceptio pro die Paschatis, qua die stricte pro-

(1) Constit. Bened. XIV *Magno cum*, 2 Junii 1751, par. 21 (*P. Bull.*, IX, p. 21).

hibitum manebat SS. Eucharistiam in eorum ecclesiis distribui, illis etiam « qui intra sanctiorem hebdomodam paschali præcepto in propria parochiali ecclesia satisfecissent » (1).

Nitebatur autem illa prohibitio, etsi restricta ad solam Resurrectionis festivitatem, in præcepto paschali (2), urgente S. Communionem in ecclesia parochiali suscipiendam: in signum scil. erat obsequii erga proprium parochum, in agnitionem jurium pastoralium, quatenus parocho, non regularibus, concredita sit cura animarum sæcularium (3).

II. *Deinceps* abrogata est descripta lex prohibitiva, adeo ut jam liceat SS^a^ Eucharistiæ Sacramentum ministrare in dictis ecclesiis.

Porro in hac legis abrogatione sanctionem reperire videntur laudatæ *Ephemerides,* l. c., doctrinæ, quam tenent, uti aiunt, plures Auctores, quatenus jam non sit attendenda pars præcepti paschalis, quæ spectat communionem in ecclesia parochiali, quæ doctrina tacite approbari censetur in catechismo a SS. D. N. Pio X nuper, pro provincia Romana, edito, siquidem « ex formula de præcepto communionis paschalis ablata est clausula, ut fieri debeat in uniuscujusque parœcia » (4).

---

(1) *Ibidem,* par. 22.

(2) Orto dubio utrum, ob paritatem rationis, prohibitio afficeret totum temporis paschalis spatium, a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, resolutum fuit « posse quidem regulares aliis paschalis temporis diebus (præter paschatis diem) fideles in eorum ecclesiis Sacra Eucharistia reficere; hac tamen conditione, ut communione refecti scirent non ideo se a præcepto illo exemptos esse, ut paschalem in propria parochiali ecclesia communionem recipere deberent ». *Ibidem,* par. 22. Cf. etiam Bened. XIV, *De Synodo diœcesana,* l. IX, c. 16, n. 3, ubi varia decreta in hunc sensum afferuntur.

Invaluit autem usus Romæ, uti notant *Ephemerides liturgicæ,* 1913, p. 83, ut etiam in Cœna Domini a S. Communione ministranda abstinerent regulares.

(3) *Ephemerides liturgicæ,* l. c.

(4) Ad hunc locum *Ephemeridum* provocat etiam *Liturgisch Tijdschrift,* 1913, p. 239.

Potius dicendum opinamur præsens decretum principaliter huc spectare ut liberior accessus pateat ad S. Synaxim, utque efficacius provideatur applicationi recentis Instructionis de frequenti et quotidiana SS. Eucharistiæ sumptione: quod innuit ipse tenor decreti.

Manet igitur in suo vigore integrum præceptum paschale, etiam quoad locum communionis suscipiendæ, nisi aliunde, pro hac parte, in desuetudidem devenerit invocatum præceptum: quod dicitur in quibusdam regionibus, notatim in provincia Romana, obtinere, non autem obtinet hucusque apud nos.

Ad summum ex hac nova disciplina erui poterit mentem esse Ecclesiæ, ut jam minus severè urgeat communionis paschalis susceptionem in parochia, utque in futurum facilius sinat pristinam suam legem sud hoc respectu desuetudine abrogari, ubi adhuc viget: unde etiam parochi possent sese benignius gerere in permittenda communione paschali extra ecclesiam parochialem, necnon in relinquendo in bona fide hujus puncti transgressores.

A. De Smet.

E. S. Rituum Congr.

I

DECRETUM seu DECLARATIO.

Circa rubricas de missis votivis et de requie (1).

In nova Rubrica Constitutioni Pianæ *Divino afflatu* adjecta Tit. X, num. 2 et 5, « prohibentur Missæ votivæ privatæ seu » lectæ pro defunctis, in feriis Quadragesimæ, Quatuor » Temporum, II Rogationum, in vigiliis, et in feria in qua

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 43.

» anticipanda vel reponenda est Missa Dominicæ: in Qua-
» dragesima vero permittuntur Missæ privatæ defunctorum
» tantum prima die cujuscumque hebdomadæ libera in
» kalendario ecclesiæ in qua Sacrum celebratur ».

Nunc vero ad dirimendas quæstiones nonnullas huic S. Congregationi propositas circa applicationem præfatæ Rubricæ quibusdam Missis votivis privilegiatis tum in Ecclesia universali, tum certis in locis per Indultum apostolicæ Sedis concessis, firmis manentibus legibus et privilegiis Missas solemnes seu in cantu respicientibus, quoad Missas privatas lectas sequentia decernuntur et declarantur:

I. Privilegium Missæ votivæ lectæ, de speciali gratia nonnullis Sanctuariis concessum, ita ut celebrari possit in duplicibus I. et II. classis, seu etiam II. classis tantum; et privilegium Missæ votivæ SS. Cordis Jesu in prima feria VI cujusque mensis, permanent in suo robore, etiam in feriis et vigiliis per dictam rubricam exclusis.

II. Privilegium Missæ votivæ lectæ aliquibus Sanctuariis aut aliis ecclesiis vel communitatibus regularibus quocumque modo et titulo concessum, ita ut celebrari queat tantummodo in duplicibus majoribus et minoribus, et exclusis feriis, vigiliis et Octavis privilegiatis, sic erit deinceps applicandum, ut dictæ Missæ votivæ lectæ prohibitæ sint in omnibus feriis in præfata rubrica enumeratis (1). Loco tamen hujusmodi Missæ votivæ, extra feriam IV Cinerum, hebdomadam majorem et vigilias Nativitatis et Pentecostes, adjungi poterit oratio ipsius Missæ votivæ, vel in Missa de die post orationem feriæ seu vigiliæ, vel in Missa de feria seu vigilia ante alias orationes. Quod si adsit specialis concursus populi, unica Missa lecta ex prædictis Missis votivis celebrari poterit, quoties Missa in cantu commode haberi nequeat.

III. Privilegium Missæ votivæ lectæ pro sponsis ita erit applicandum ut liceat, extra tempus clausum, hæc Missa dici etiam in prædictis feriis et vigiliis.

IV. Privilegium Missæ pro defunctis lectæ aliquibus locis vel Ordinibus concessum ita ut bis vel ter in hebdomada

---

(1) Ita basilicæ de Dadizeele concessum est privilegium apostolicum ut, exclusis feriis et vigiliis enumeratis, et festis duplicibus I et II classis celebrari liceat missa votiva lecta de B. M. Virgine.

celebrari possit etiamsi occurrat aliquod duplex majus vel minus, in posterum ita erit applicandum, ut intelligatur tantummodo concessum pro diebus in quibus non occurrat aliqua feria aut vigilia, ut supra. Quapropter in hujusmodi feriis vel vigiliis Missæ lectæ pro defunctis semper prohibitæ sunt, exceptis Missis in die obitus vel pro die obitus, in ecclesiis ubi celebratur funus alicujus defuncti cum Missa in cantu; item excepta unica Missa quæ pro defuncto paupere celebrari potest juxta decretum 9 maii 1899, n. 4024: item Missis quæ in sepulcretis celebrantur, ad normam decreti 19 maii 1896, num. 3903; item exceptis Missis lectis in prima die libera uniuscujusque hebdomadæ in Quadragesima juxta novas rubricas. — Ex indulgentia vero sanctæ Sedis habentur adhuc valida, donec expirent, Rescripta quinquennalia, aliquibus diœcesibus et provinciis religiosis exteris nuper concessa, celebrandi bis in hebdomada Missas lectas de Requie in die obitus seu depositionis, tertio, septimo, trigesimo et anniversario.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, die 8 februarii 1913.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secret.*

Adnotanda. I. Quoad missas votivas.

1° Auctoritative nunc constat, novis rubricis nihil esse detractum privilegiis quibus gaudent a/ missa votiva sive cantata sive lecta, quæ prima feria VI cujusque mensis (paucis diebus exceptis) celebrari potest in honorem *SS. Cordis Jesu;* b/ missa etiam lecta *pro sponso et sponsa.* Serventur ergo quæ notantur in Calendario Brugensi, p. 11, 3° (1), et 12, 4°. Ratio est quia hæ missæ etiamsi sine cantu celebrentur non sunt tamen stricto sensu privatæ sed privilegiis ditatæ.

2° Restringitur privilegium particularibus ecclesiis vel ordinibus concessum, eo modo quo diserte exprimitur in numero II hujus decreti. Ita in basilica in Dadizeele missa votiva de B. M. V. jam non poterit legi v. g. in Quatuor Temporibus mensis Septembris,

(1) Oblivione tamen omissa fuit nota de missa SS. Cordis quæ celebrari potest 4 Aprilis, prima feria VI hujus mensis.

sed his diebus licebit addere orationem ejusdem missæ votivæ. Sed notetur huic orationi alium esse locum assignatum in missa de die, alium in missa de feria vel vigilia. Ita v. g. die 17 Sept., fer. IV Quat. Temp., ordinandæ essent orationes: a/ in missa Impressionis Stigmatum S. Francisci: 1ª oratio propria festi, 2ª oratio feriæ, 3ª missæ votivæ B. M. V. (4ª imperata) — b/ in missa de feria: 1ª oratio feriæ, 2ª oratio missæ votivæ, 3ª oratio festi, (4ª imperata).

II. Quoad missas **de requie:**

1/ Intactum manet (1), privilegium quo gaudent in diœcesi Brugensi — sicut in pluribus aliis — ecclesiæ parochiales ut possint biduo in hebdomada celebrare *in cantu* missam *Requiem* diebus duplicibus (exceptis excipiendis).

2/ Quod privilegium attinet celebrandi iisdem diebus et conditionibus missam *lectam Requiem*, a concessa licentia jam excluduntur dies in quibus ex novis rubricis tit. X, n. 2, nunc prohibentur missæ « privatæ pro defunctis ».

3/ Sed quæritur quid in novis rubricis intelligendum sit per has « missas *privatas* pro defunctis ». Alii enim hæc verba intellexerunt in oppositione ad missas pro defunctis *privilegiatas* seu *solemnes* solemnitate intrinseca, sive cantatas sive lectas; et ita prohibentur omnes missæ quotidianæ lectæ aut cantatæ et insuper missæ lectæ in anniversario (2) aut in die tertio, septimo aut trigesimo ab obitu, aut etiam in die aut pro die obitus, iis exceptis quæ speciali modo permittuntur sive pro paupere sive concomitanter ad funus. Et præfatam rubricam novam ita nos cum pluribus aliis calendaristis et auctoribus intelleximus ob motiva quæ supervacaneum esset hic exponere.

Alii contrà interpretati sunt verba hæc de *solis missis lectis* non privilegiatis in oppositione ad missas cantatas quasvis. In hac sententia nihil mutatum est circa missas

---

(1) Ut notavimus in calendario liturgico, p. 15. nº 3.

(2) Cf. Decr. S. R. C., 19 Apr. 1912, ad VII, *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 408.

etiam quotidianas quæ *in cantu* celebrantur (Tit. X, n. 2). Ex præsenti decreto, quod verba tituli X, n. 2 et 5, interpretatur de « missis votivis privatis seu *lectis pro defunctis* » et quod moderatur sola privilegia celebrandi missas *lectas* votivas aut pro defunctis, videtur nobis concludendum, huic alteri sententiæ esse adhærendum (1). Quare nota in calendario liturgico p. 15, n. 4, de missis *quotidianis* videtur mutanda ita ut in feriis Quadragesimæ (excepta prima die libera in quavis hebdomada), Quatuor Temporum, II Rogationum, in vigiliis et in feria in qua anticipanda vel reponenda est missa Dominicæ, prohibeantur quidem missæ *lectæ* de Requie, non vero missæ *cantatæ* de Requie.

Non possumus tamen quin doleamus ex hac interpretatione multum infringi felicem effectum novarum rubricarum quoad missas proprias feriarum et vigiliarum. Nam in multis ecclesiis parochialibus omnes missæ sunt cantatæ et inter eas quamplurimæ sunt pro defunctis. In his ergo ecclesiis raro vel vix unquam celebrabitur missa de feria majori vel vigilia.

C. Callewaert.

II

INSTRUCTIO (2).

Seu declaratio super Kalendariis propriis reformandis.

Evulgata Instructione sacræ Rituum Congregationis die 23 julii vertentis anni 1912 (3), quum nonnulli R^mi^ locorum Ordinarii et Superiores generales Ordinum seu Congregationum religiosarum, expostulantes reformationem proprii Kalendarii, preces porrexerint haud omnino conformes memoratæ Instructioni, sacra Rituum Congregatio, ut labor expeditior evadat, opportunum judicavit ulteriorem edere instructionem, cui in posterum se conformare debeat quisque Kalendarii reformationem exoptat.

---

(1) Priori tamen sententiæ nondum valedicit *Revue ecclésiastique de Metz*, 1913, p. 132.

(2) *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 67.

(3) Ap. *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 616.

I. Supplex libellus ad S. Rituum Congregationem transmittatur, in quo, consentiente Capitulo ecclesiæ cathedralis seu Consilio Ordinis, postuletur ut, relicto Kalendario hucusque adhibito, servari possit Kalendarium Ecclesiæ universalis, additis tantummodo festis stricto sensu propriis, quæ cum diœcesi aut instituto religioso particularem habeant relationem.

II. Supplici libello addatur elenchus prædictorum festorum, quæ sunt stricto sensu propria.

III. In memorato elencho sequentia festa particularia præsertim inserantur :

Pro Diœcesibus : a Dedicatio ecclesiæ cathedralis, aut omnium ecclesiarum (si collective recolatur),

b/ Titulus ecclesiæ cathedralis,

c/ Patronus principalis diœceseos, provinciæ, nationis,

d/ Patronus principalis civitatis episcopalis,

e/ Patroni minus principales,

f/ Sancti qui in diœcesi orti sunt, vel vixerunt, aut obierunt,

g/ Sancti, de quibus habentur corpora, aut reliquiæ insignes,

h/ Cetera festa, quæ cum diœcesi specialem habent relationem.

Pro Ordinibus seu Congregationibus : a Dedicatio omnium ecclesiarum (si collective recolatur),

b/ Titulus principalis,

c/ Sancti fundatores,

d Sancti qui Ordinis, seu Congregationis, regulam professi sunt,

e Cetera festa, quæ cum instituto religioso specialem habent relationem.

IV. De unoquoque festo sequentia præsertim referantur :

a/ Dies, in qua nunc celebratur,

b/ Dies natalis, si constet,

c/ Ritus, quo gaudet,

d/ Relatio cum diœcesi aut Ordine seu Congregatione.

V. Mittatur ad hanc S. C. Proprium Officiorum diœceseos vel instituti religiosi, et Kalendarium perpetuum hucusque adhibitum, vel saltem, hujus loco, ultimus *Ordo divini Officii*, etc. typis cusus.

Ex Secretaria S. Rituum Congregationis, die 12 decembris 1912.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

S. Congr. de Religiosis

DECRETUM (1).

De monialium et Sororum confessionibus.

Cum de sacramentalibus Monialium et Sonorum confessionibus moderandis plures ad hunc diem, ex re et ex tempore, jussæ sint leges, eas, aliqua ex parte immutatas et apte dispositas, visum est in unum colligere Decretum, prout sequitur:

1. Unicuique religiosæ communitati tum Monialium tum Sororum, regulariter, unus dumtaxat detur Confessarius ordinarius: nisi ob magnum ipsarum numerum, vel aliam justam causam, alterum vel plures dari oporteat.

2. Confessarius ordinarius, regulariter, non ultra triennium in hoc munere permaneat. Episcopus tamen seu Ordinarius eum ad secundum, immo etiam ad tertium triennium confirmare poterit:

a/ si ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter providere nequeat; vel

b/ si major Religiosarum pars, earum quoque quæ in aliis negotiis jus non habent ferendi suffragium, in ejusdem Confessarii confirmationem, per secreta suffragia, convenerit; dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum erit.

3. Pluries in anno, unicuique religiosæ communitati detur Confessarius extraordinarius, ad quem omnes Religiosæ accedant oportet, saltem ut benedictionem accipiant.

4. Unicuique domui religiosæ aliquot ab Ordinario sacerdotes deputentur, quos Religiosæ in casibus particularibus, confessionis peragendæ causa, facile vocare queant.

5. Si qua Religiosa, ad animi sui quietem et majorem in via Dei progressum, aliquem specialem Confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, erit facile ab Ordinario concedendus; qui tamen invigilabit ne ex hac concessione abusus irrepant: quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva tamen conscientiæ libertate.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 62.

6. Si Religiosarum domus Ordinario loci subjecta sit, hic eligit sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios; si vero Superiori regulari, hic Confessarios Ordinario loci præsentet, cujus est iisdem audiendi confessiones potestatem concedere.

7. Ad munus Confessarii sive ordinarii, sive extraordinarii, sive specialis, deputari possunt sacerdotes, tum e Clero sæculari tum, de Superiorum licentia, e Clero regulari, dummodo tamen nullam habeant in easdem Religiosas in foro externo potestatem.

8. Hi Confessarii, qui annos quadraginta expleverint oportet, morum integritate et prudentia emineant; at Ordinarius, justa de causa et onerata ejus conscientia, ad hoc munus eligere poterit sacerdotes, qui nondum ea ætate sint, modo memoratis animi laudibus excellant.

9. Confessarius ordinarius non potest renuntiari extraordinarius, et, præter casus in articulo 2 recensitos, rursus eligi ut ordinarius, in eadem communitate, nisi post annum ab expleto munere. Extraordinarius immediate ut ordinarius eligi potest.

10. Confessarii omnes sive Monialium sive Sororum, caveant ne interno vel externo communitatis regimini sese immisceant.

11. Si qua Religiosa extraordinarium Confessarium expetat, nulli Antistitæ liceat, vel per se vel per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis vel factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id ægre ferre; quod si ita se gesserit, a proprio Ordinario moneatur; si iterum id ipsum peccaverit, ab eodem deponatur, audita tamen prius sacra Congregatione de Religiosis.

12. Omnes Religiosæ de sociarum confessionibus nullo modo inter se collaquantur, neve eas sorores carpere audeant, quæ apud alium, quam deputatum, confessionem peragant; secus ab Antistita vel ab Ordinario puniantur.

13. Confessarii speciales, ad monasterium, seu domum religiosam vocati, si intelligant Religiosas nulla justa causa vel necessitatis vel utilitatis spiritualis ad ipsos accedere, eas prudenter dimittant. Monentur præterea omnes Religiosæ, ut facultate sibi concessa specialem petendi Confessarium sic utantur, ut, rationibus humanis sepositis, tantummodo

spirituale bonum et majorem in religiosis virtutibus progressum intendant.

14. Si quando Moniales aut Sorores extra propriam domum, quavis de causa, versari contigerit, liceat iis in qualibet ecclesia vel oratorio, etiam semipublico, confessionem peragere apud quemvis Confessarium pro utroque sexu adprobatum. Antistita neque id prohibere, neque de ea re inquirere potest, ne indirecte quidem; Religiosæque nihil Antistitæ suæ referre tenentur.

15. Moniales omnes aut Religiosæ, cum graviter ægrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet Sacerdotem ad confessiones excipiendas adprobatum arcessere possunt, eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri.

16. Hoc Decretum servandum erit ab omnibus religiosis mulierum familiis, votorum cum solemnium, tum simplicium, ab Oblatis aliisque piis communitatibus, quæ nullis votis obstringuntur, etiamsi Instituta sint tantum diœcesana. Obligat etiam communitates, quæ in Prælati regularis jurisdictione sunt; qui nisi fidelem observantiam hujus Decreti curet, Episcopus seu Ordinarius illius loci id agat ipse tamquam Apostolicæ Sedis Delegatus.

17. Hoc Decretum Regulis et Constitutionibus uniuscujusque religiosæ familiæ addendum erit, et publice legendum lingua vulgari in Capitulo omnium Religiosarum, semel in anno.

Itaque prærogatis Emis Patribus Cardinalibus sacræ Congregationis de Religiosis in plenario cœtu ad Vaticanum habito die 31 mensis Januarii anno 1913, sanctissimus Dominus noster Pius PP. X, referente infra scripto Secretario, hoc Decretum in omnibus adprobare et confirmare dignatus est, et mandare ut in lucem edatur, et ab omnibus ad quos spectat, in posterum apprime servetur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis.

Datum Romæ, ex Secretaria sacræ Congregationis de Religiosis, die 3 mensis februarii anno 1913.

L. ✠ S. Fr. I. C. Card. Vives, *Præfectus.*
† Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius.*

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Maii.

—

I

Paucis expone sensum visionis quæ præcedit aperitionem septimi sigilli, et quæ describitur in cap. VII Apocalypseos.

II

Explica quomodo immunitas a concupiscentia, licet sit naturæ humanæ positive indebita, dici possit *integritas naturæ*.

III

Quinam, juxta disciplinam Benedictinam, sunt denuntiandi?

IV

Coram quonam et quomodo denuntiatio est facienda?

V

Quomodo procedet confessarius cum sacerdote pœnitente, quem in confessione reum reperit criminis sollicitationis?

VI

Exposez la première prière du Canon, *Te igitur*, et les cérémonies qui s'y rapportent.

Vergadering voor den **Proostenbond** en den bond van **bestuurders voor jonge lieden**, te Rousselaere in den Hert, Donderdag, 10en April.

* *

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques*, 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia*, in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis. Beyaert. Pretium : 8 fr.; pro clero Belgico : 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix : 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi*, Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

C. Callewaert. *La réforme du Bréviaire, son esprit, ses prescriptions nouvelles.* — Documents et commentaire. (Extrait revisé des *Collationes Brugenses*, 1912). — Bruges, Beyaert; Ad. Maertens-Matthys. — In-8, 64 p. Prix : 0,50 frs.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii.* Brugis, Beyaert. In-8, LXXXIV-376 pp. Fr. 6.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVIII, pag. 201).

—

II

De dono pietatis.

Secundum, ascendendo ad digniora dona et progrediendo in vita hierarchica, est donum pietatis; de quo, eumdem ordinem secuti ac supra de timore, quærimus, primo, in quo consistat.

Beatus Albertus Magnus, magister S. Thomæ, præclare docet sequentia:

« *Pietas* dicitur multis modis, et quandoque est in genere virtutis, et quandoque in genere doni; et dicitur illis modis per prius et posterius: unde necesse est ponere unum modum, quo dicitur per se, et alii modi erunt sumpti in comparatione ad illum. Potest ergo dici, quod pietas proprie est benevolentia in imaginem Dei, prout est imago Dei. Hoc autem accipitur multipliciter: aut enim inclinat affectum ex parte exemplaris a quo exit imago illa, et sic in exemplar magis fertur pietas, et hoc modo erit in genere virtutis latriæ; et secundum Augustinum dicitur hoc modo præcipue,

quod exemplar est ratio benevolentiæ in omnibus aliis modis quibus inclinatur affectus ad imaginem. Sed etiam inclinatur benevolentia in imaginem descendentem ab exemplari divino, et hoc tripliciter : scilicet ita quod inclinatur cum natura, et tunc est benevolentia in parentes, et est iterum virtus et species justitiæ naturalis; aut generaliter fertur in imaginem secundum quod est imago, et tunc proprie donum est, et est benevolentia imaginis Dei in naturali rationali, et docet benevolenter se habere ad illam; aut fertur in imaginem prout est conjuncta naturæ inferiori, a qua circumdatur imago miseria, et sic pietas efficitur circa opera misericordiæ, et differt a misericordia, quia misericordia habet rationem operum super miseriam alienam, pietas autem imaginem cum conjunctione ad miseriam quæ circumstat eam in natura miserabili (1) ».

Inde ulterius definit quis sit actus doni pietatis : « Dicit Gregorius quod scientia docet, et pietas exequitur : ergo erit ejus actus quem docet scientia ; sed... scientia habet tres actus, scilicet defendere Scripturam, et scire bene conversari in medio pravæ et perversæ nationis, et scire temporalia distribuere : ergo videtur quod illi per modum executionis sint pietatis.

Hoc ultimum videtur mihi concedendum ; sed tamen, sicut scientia habet actum unum principalem per quem est in omnibus habentibus dona, scilicet scire bene uti temporalibus ad conversandum bene in medio pravæ et perversæ nationis : ita pietas habet unum, qui est benevolenter et sine querela bonum optare et facere omnibus imagine Dei insignitis ».

Ibidemque addit qua ratione actus ille manet in patria, videlicet habet donum pietatis in patria actum « illum qui est gaudere in bonis imaginis Dei, in quantum est imago : ille enim per modum præmii relinquitur ex illo

---

(1) In III *Sent.*, *dist.* 35, art. XV.

qui est viæ, scilicet facere vel impendere, per affectum et opus, bonum insignito per imaginem (1) ».

Ex his deducit donum pietatis esse specie unum, quoniam « habet unum actum principalem et substantialem sibi, qui est impendere bonum insignito per imaginem Dei. Alii autem sunt non principales, secundum quod conjungitur aliis habitibus, cum quibus habet aliquam similitudinem (2) ».

Hi autem habitus, dono pietatis affines, sunt præcipue mititas seu mansuetudo, et misericordia. « Cum enim duo sunt de constitutione pietatis : scilicet, benevolentia per quam definitur ex parte affectus quem informat, et objectum quod est imago, præcipue immersa miseriis ex quibus est indigentia ut juvetur : ex parte affectus accedit ad mititatem vel mansuetudinem, cujus est benevole affici circa omnes et non provocare injuriis ; ex parte autem effectus sive operis conjungitur misericordiæ, cum tamen substantialiter disjuncta sit ab utraque (3) ». Seu, ut supra dixerat (4) : ex parte affectus, affinis est mansuetudini : « quia benevolus erga omnes nec exasperatur ab aliquo, nec ira nec rancor tentat eum ». Ex parte vero objecti seu materiæ, affinis est misericordiæ (5). « Et sic nihil prohibet quod, quoad diversa ad diversas beatitudines ordinetur ».

Cum B. Alberto M. omnino consentit S. Bonaventura, ita ut fere supervacaneum sit ejus verba referre. Pauca recitamus. Postquam asseruit pietatem qua donum non attendi prout ordinat ad Deum (quod est virtutis religionis seu latriæ, theosebeiæ), nec prout

---

(1) Ibid., art. XVI.
(2) Art. XVII.
(3) Art. XVIII.
(4) Art. XV, ad 2 obj. in fine art.
(5) Notat Cajetanus in 2. 2, q. 101, a. 1 : « Differunt autem in hoc, quantum ad propositum spectat, officia (virtutis) pietatis ab officiis misericordiæ, quod pietas id quod impendit, impendit sub ratione debiti ; misericordia autem sub ratione gratuitæ sublevationis ».

respicit parentes (quod est *virtutis* pietatis), ita pergit: « Secundum autem quod attenditur respectu cujuscumque proximi, sic pietas est nomen doni. Aliter tamen attenditur erga proximum pietas-donum et misericordia-virtus. Misericordia enim respicit conformitatem in natura et necessitatem in indigentia sive miseria; pietas vero attendit in proximo imaginem divinam. Unde dono pietatis est homo benevolus cuicumque homini qui habet in se imaginem Dei; ita quod benevolentia illa pro loco et tempore aliquando progreditur in compassionis affectum, aliquando in operis beneficium. Et sic patet quis sit actus et objectum pietatis doni: quia ipsius est facere hominem benevolum respectu cujuslibet proximi in quantum gerit imaginem Dei. Et quoniam ad hoc habet dirigi per donum scientiæ, quod quidem fundatur super principia fidei et dirigit in conversatione secundum exemplar Christi; hinc est, quod actus pietatis, etsi principaliter consistat erga proximum, nihilominus consistit respectu sacræ Scripturæ ut eam cum benevolentia audiat, et etiam respectu passionis Christi, ut eam cum benevolentia ad memoriam reducat. Unde usus doni pietatis attenditur in his tribus, in exequendo, secundum quod et usus doni scientiæ, quod est ejus directivum, in cognoscendo; principaliter tamen secundum quod donum est attenditur in benevolentia respectu proximi (1) ».

Unum adhuc ex S. Doctore notamus. Videlicet, cum dona Spiritus sancti ex textu Isaïæ, et uti agnoscunt omnes, bina et bina combinentur: nempe sapientia et intellectus, consilium et fortitudo, scientia et pietas, de qua ultima combinatione heic sermo est apud Albertum M., ut vidimus, et apud S. Bonaventuram similiter, addere vellemus ex alio loco Seraphici cur donum timoris alii non combinatur, non habens donum directivum sibi appropriatum. Ad hoc respondet S. Doctor: « Cum

(1) In III *Sent.*, *dist.* 35, q. VI.

sit infimum inter dona, satis habet dirigi per habitum fidei; non sic autem est de donis excellentioribus. Præterea, licet respectu oppositorum sit alia et alia affectio, una tamen potest esse oppositorum cognitio: ideo per habitus cognoscitivos, per quos diriguntur et regulantur alii habitus affectivi expedientes ab bonum, dirigi et regulari habet donum timoris, quod expedit ad fugiendum malum; et hac de causa non habet donum directivum distinctum a directivis aliorum donorum (1) ».

Dum S. Bonaventura plene consentit Alberto M., S. Thomas, hujus discipulus, quod mirum forte videbitur, a doctrina magistri sui nonnihil discedit.

His enim verbis donum pietatis describit: « Dona Spiritus sancti sunt quædam habituales animæ dispositiones, quibus est prompte mobilis a Spiritu sancto. Inter cætera autem movet nos Spiritus sanctus ad hoc quod affectum quemdam filialem habeamus ad Deum, secundum illud *Rom.* VIII: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater;* et quia ad pietatem proprie pertinet officium et cultum patri exhibere, consequens est quod pietas, secundum quam cultum et officium exhibemus Deo, ut patri, per instinctum Spiritus sancti, sit Spiritus sancti donum (2) ».

Non quidem confundit Doctor Angelicus donum pietatis cum virtute ejusdem nominis, cum hæc sit erga parentes carnales, illa erga Deum ut patrem (3). Neque confundit idem donum cum virtute religionis (quæ quidem excellentior est virtute pietatis, utpote non parentes carnales sed Deum respiciens), cum donum pietatis cultum Deo exhibeat, ut Patri, dum religionis virtus officium et cultum præstet Deo, ut Creatori et Domino. Et sic donum pietatis excellentius est virtute religionis (4).

---

(1) Ibid., *dist*, 34, p. 1, a. 2, q. II, ad 5, 6.
(2) 2. 2, q. 121, art. 1, corp.
(3) Ibid., ad 1m.
(4) Ibid., ad 2m.

Etiam admittit idem Angelicus donum pietatis officium exhibere, non solummodo Deo, ut patri, sed etiam omnibus hominibus in quantum pertinent ad Deum, quemadmodum virtus pietatis non solum patrem respicit, sed omnes qui ad patrem pertinent. Et propter hoc ad donum pietatis, ait, « pertinet honorare Sanctos, non contradicere Scripturæ... Etiam ex consequenti subvenit in miseria constitutis. Et quamvis iste actus non habeat locum in patria, præcipue post diem judicii, habebit tamen locum præcipuus actus ejus, qui est revereri Deum affectu filiali... Erit etiam mutua honoratio Sanctorum ad invicem. Nunc autem ante diem judicii miserentur Sancti etiam eorum qui in statu hujus miseriæ vivunt (1) ».

Ex his simul habes qua ratione, secundum S. Thomam, donum pietatis maneat in patria.

Igitur S. Thomas agnoscit quidem objectum doni pietatis etiam esse proximum, qua pertinentem ad Deum, seu qua imaginem Dei, et in hoc convenit cum Alberto M. et Bonaventura. Sed in hoc discrepat a suo magistro et a Doctore Seraphico, quod principale objectum doni pietatis ponat Deum, quod quidem illi omnino negant, et solum consequenter et ut objectum secundarium agnoscat proximum.

Quæ jam ex his duabus opinionibus est præferenda? Mirum sane ac dolendum Cajetanum nihil in suo commentario de hac difficultate loqui. Si nostram licet aperire mentem, videtur, quodsi S. Thomas per verba: « affectum quemdam filialem (2) », intelligat affectum amoris, hunc affectum, non ad donum aliquod, sed ad ipsam charitatem pertinere, cujus est Deum diligere, non tantum amore amicitiæ, sed, sub lege saltem nova, affectu vere filiali. Si vero affectum quemdam filialem intelligit de reverentia et cultu Deo, ut patri, exhiben-

(1) 2. 2, q. 121, a. 1, ad 3m.
(2) Ejusd. q. 121, a. 1 in corpore, modo supra a nobis recitato.

dis — et hæc esse videtur ejus mens — tunc dici potest hunc affectum esse actum non doni pietatis, sed esse actum illum præcellentem doni timoris Domini, de quo, agentes de hoc dono, locuti sumus sub septima functione.

Et hoc quidem ipse S. Thomas alio in loco videtur docere, ubi demonstrans quomodo virtus religionis distinguitur a dono timoris, ait: « Revereri Deum est actus doni timoris. Ad religionem autem pertinet facere aliqua propter divinam reverentiam: unde non sequitur quod religio sit idem quod donum timoris, sed quod ordinetur ad ipsum, sicut ad aliquid principalius. Sunt enim dona principaliora virtutibus moralibus (1) ». Imo, quod facere aliqua propter reverentiam Dei, seu reverentiam et cultum exhibere Deo, non solum ut Creatori et Domino, sed etiam ut patri, pertineat ad religionem, videtur admittere, dicens: « Ad religionem autem pertinet exhibere reverentiam uni Deo, secundum unam rationem, in quantum scilicet primum est principium creationis et gubernationis rerum; unde ipse dicit, *Malach.* I: Si ergo pater, ubi honor meus? Patris enim est et producere et gubernare; et ideo manifestum est quod religio est una virtus (2) ». Et tamen agens de pietatis dono, huic attribuit cultum Dei, ut patris, religioni addicens cultum ut Creatoris.

Atvero ad hæc merito reponitur: doni quidem timoris esse affectum reverentiæ in Deum, religionis vero esse, ut expresse notat S. Thomas, propter reverentiam Dei aliqua facere, et Dei quidem, ut Creatoris ac Domini, seu ut patris sensu generico, cum patris sit producere et gubernare. Sed Deus quoque pater est sensu magis speciali, quatenus in ordine præsenti nos adoptat in filios, et sic revereri et colere Deum, ut patrem, jam non virtutis religionis est, sed est pietatis, nec tamen virtutis pietatis, quæ respicit parentes carnales, sed doni pietatis.

---

(1) 2. 2, q. 81, art. 2, ad 1m.
(2) Ibid., art. 3 in corp.

Ita rem explicando perfecte intelligitur: « quod exhibere cultum Deo, ut Creatori, quod facit religio, est excellentius quam exhibere cultum patri carnali, quod facit pietas, quæ est virtus; sed exhibere cultum Deo, ut patri, est adhuc excellentius quam exhibere cultum Deo, ut creatori et domino. Unde religio est potior pietate virtute, sed pietas secundum quod est donum est potior religione (1) ». In eadem S. Thomæ sententia id quoque manifestum est, nempe donum pietatis esse dignius dono timoris, cum hoc fugiat offensam Patris cœlestis et revereatur generatim divinam Majestatem, illud vero positive inclinet ad patrem Deum eumque ut patrem revereatur.

Nihilominus, abstrahendo ab hoc quod Deus, ut pater, sit necne objectum primarium doni pietatis, seu considerando solum proximum ut objectum ejusdem doni, adeoque et in sententia Alberti M. et Bonaventuræ, rite explicatur distinctio doni pietatis tum a virtute religionis, ut manifestum est; tum a virtute pietatis: hæc enim respicit parentes carnales, atque omnes et omnia quæ ad ipsos pertinent: donum vero est et universalius, quatenus respicit omnes proximos, et nobilius, quatenus proximum respicit ut imaginem Dei, et ipsi qua tali benevolenter exhibet debitum honorem et cultum. Ubi adverte. imaginem heic intelligi non mere repræsentativam ita ut cultus ejus, ut v. g. in cruce Domini, hinc quidem sit mere relativus, inde vero sit ejusdem rationis, puta latriæ, ac ille qui datur repræsentato per imaginem; sed intelligi imaginem quæ sit ex natura sua, nempe rationali, imago Dei, adeoque et in se, ut talis naturâ imago, honore et cultu digna; ita quod cultus non est mere relativus, nec est ejusdem rationis cum illo qui tribuitur exemplari, Deo: scilicet Deus latreutico cultu honoratur, natura vero rationalis ut imago Dei cultu pietatis seu reverentiæ ac honoris

(1) 2. 2, q. 121, a. 1, ad 2m.

creaturæ proportionatorum, quamquam ut imago Dei, quæ est ratio seu motivum ultimum sic proximum pietate colendi.

In hac Seraphici opinione ægrius explicari posse quispiam putet donum pietatis esse dignius dono timoris, cum potius oppositum videatur verum, siquidem timor respicit Deum, dum donum pietatis, in hac sententia, respicit solum proximum.

Ad hoc respondemus: respicere Deum posse intelligi dupliciter: vel ut objectum circa quod immediate et directe versatur; ut faciunt inter virtutes, solæ theologicæ, nam et perfectissima inter morales, scilicet religio, pro objecto hoc sensu non ipsum Deum habet, sed cultum Deo reddendum. Vel ut objectum quod solummodo mediate et non directe ut proprium suum objectum respicit; ut est Deus respectu virtutis religionis. Atqui, etiamsi priore sensu donum timoris respicere dicas Deum, quatenus Deum reveretur, ex quo jam appareret idem donum esse excellentius cunctis virtutibus moralibus, advertendum tamen est donum timoris non ita Deum attingere quasi *tendat* in ipsum ut proprium ac immediatum objectum, quod solis virtutibus theologicis est proprium, sed ita revereri Majestatem Dei, ut *resiliat* ab Ipsa in propriam parvitatem, quemadmodum supra ex Bonaventura vidimus, et notat quoque Albertus M. ubi ait timorem respicere seu revereri Deum, non per actum tendentem sed « per resilitionem venerantem et honorantem Majestatem (1) ». Unde vides dici non posse donum timoris tendere in Deum ut objectum immediatum. Atvero donum pietatis positive tendit in imaginem Dei, in proximum, qua est imago Dei, et sic inferius quidem est virtutibus theologicis; superat vero virtutes morales, tum quatenus ex instinctu Spiritus sancti agit, tum quatenus non sola media in finem, Deum, sed et ipsam Dei imaginem respicit, nec tantum

(1) In III *Sent.*, dist. 34, a. 3, ad 1m.

regulat cultum Dei, ut religio, sed directe et immediate attingit imaginem Dei in natura rationali; ex quo intelligitur quoque nobilius esse dono timoris. Itaque sententia B. Alberti M. et S. Bonaventuræ omnia quoque salvat, et optime cohæret cum tota doctrina virtutum et donorum; nec quidquam serii illi objici potest.

Opinio S. Thomæ subtilis quidem est et sibi constans in consectariis, ut vidimus; eidem vero objici forte potest ipsam subtilem distinctionem, cui tota innititur, inter Deum ut Creatorem ac Dominum, et Deum ut Patrem, hac in materia usui non esse. Etenim, quod solum naturæ ordinem spectando, virtus naturalis religionis solum cultum Dei, ut Creatoris, respiciat manifestum quidem est; sed quod, in ordine præsenti, virtus supernaturalis, infusa religionis cultum Dei, ut Patris, non involvat, demonstratione indigeret, quæ apud S. Thomam desideratur. Atqui, hoc non demonstrato, merito contendes non esse cur in ordine ad cultum Dei, ut Patris, donum pietatis sufficiatur virtuti infusæ religionis, eo vel minus quod, ut ipse S. Doctor ait alio in loco (1) « religio per quamdam supereminentiam pietas dicitur et tamen pietas proprie dicta a religione distinguitur ».

Hæc de notione doni pietatis sufficiant, ut quisque sibi opinionem efformare possit. Addamus Rusbrochium nostrum Doctorem Seraphicum sequi: altera lucerna quæ figurat donum pietatis « est mutua fides et pietas quam singuli erga alios geremus (2) ». Alias: Deus « det etiam secundo loco nobis spiritum pietatis, ut in suo nomine vera cum virtute ac probitate mites, pii, humiles, benigni simus erga omnes nostri indigos (3) ». Rursum: « Spiritus pietatis ac liberalitatis, quo adepto, fit quispiam corde ac animo pius, mansuetus, liberalis (4) ».

---

(1) 2. 2, q. 102, art. 1, ad 1m.

(2) *Comment. in tab. fœderis*, c. 112 (ap. Surium).

(3) *De septem grabibus*, c. VII (Surius).

(4) *De ornat. spir. nupt.*, c. 65 (Surius).

Iterumque: « Secundum S. Spiritus donum animam virtutibus exornans, pietas est, quæ hominem reddit benignum, pium, obedientem, paratumque Deo et cunctis hominibus; considerantemque ac pie intuentem omnes in necessitate, miseria et inopia constitutos (1) ».

Explicata notione doni pietatis, jam varias functiones ejusdem considerabimus, præ oculis habita doctrina ex Doctore Seraphico supra enuntiata (2), necnon applicatione ejusdem jam facta ad donum timoris (3): etenim idem erit hic ordo procedendi, atque, attentis ibi expositis, brevius poterit tractatio de dono pietatis absolvi.

1ª *Functio* donorum est *expedire contra obliquitatem vitiorum*. Jamvero, donum pietatis expedire *contra invidiam*, id est, vitium invidiæ ejusque symptomata, ex ipsa istius doni, qua proximum respicit, notione supra explicata plane manifestum est.

2ª *Functio* est, qua *expediuntur vires naturales*. « *Concupiscibilis* autem, *ait Bonaventura* (4), indiget expediri *quantum ad affectionem respectu proximi,* et hoc fit *per pietatem;* et quantum ad affectum respectu Dei, et hoc fit per gustum sapientiæ ».

Heic attende ad duo: primo, concupiscibilem intellige non excluso appetitu superiore seu voluntate, sed concupiscibilem prout subjacet voluntati; imo et hanc etiam comprehende, quatenus in ea est etiam motus amoris concupiscentiæ: in appetitu enim superiori seu voluntate est amor, non solum benevolentiæ, sed et concupiscentiæ. Ne ergo affectus benevolentiæ erga Deum et erga proximum impediatur quovis modo, nempe concupiscendo bona falsa aut et vera indebito modo, sive per appetitum inferiorem concupiscibilem, sive

---

(1) *Regnum Deum amantium,* c. XV; quod lege totum cum duobus sequentibus.

(2) Hujus tomi XVIII, p. 124 et sqq.

(3) Ibid., p. 191 et sqq.

(4) Cit. eod. tomo, p. 125.

per amorem concupiscentiæ in voluntate, expeditur utraque facultas per donum pietatis.

Secundo, adverte in hac applicatione discrimen doctrinam inter S. Bonaventuræ et opinionem S. Thomæ, qui diceret donum pietatis expedire quantum ad affectum, tum respectu Dei, tum respectu proximi; dum Seraphicus dicit solummodo respectu proximi; respectu vero Dei, per *gustum sapientiæ,* de quo infra sermo fecimit.

Tertia functio donorum est *expedire ad officium virtutum.* Jamvero donum pietatis expedit *ad veram justitiam,* ut ait supra Seraphicus. Doctor quoque Angelicus et alii communiter docent donum pietatis correspondere virtuti justitiæ, quemadmodum virtutes religionis, pietatis, observantiæ, etc. sunt annexæ justitiæ. In re manifesta nihil plus addendum est.

4ª Functio expedit *in patiendo,* conformiter ad Christum. Atqui Christum ad patiendum « movit etiam nostra necessitas; ad quam cognoscendam necessaria est scientia; ad quam miserandam superadditur pietas (1) ».

Ubi nota scientiam, ut directivam, combinari cum pietate, quæ est executiva. Audivimus Bonaventuram supra (2) de notione pietatis, explicantem quomodo pietas secundario consistat quoque respectu passionis Christi, sicuti et scientia; hæc in cognoscendo, illa in exequendo. Videlicet, si volumus in patiendo conformari Christo, oportet ut dono scientiæ cognoscamus passionem Christi, nostram miseriam per idem donum cognoscentis, et dono pietatis cum benevolentia in memoriam reducamus eamdem passionem Salvatoris, nostram miseriam per idem donum miserantis.

5ª Functio expedit *in agendo,* id est, in vita activa interiore. Et donum quidem pietatis expedit *ad proficiendum in bono necessitatis,* rursum combinatum cum

(1) Sic *Bonav.*, eod. semper cit. loc. supra, hujus tomi p. 126.
(2) Pag. 268.

scientiæ dono, quod est dirigens, ipsum vero pietatis donum exequens; quemadmodum, ad proficiendum in bono supererogationis, ut infra dicetur, expedimur per consilium dirigens et fortitudinem exequentem.

Hic adverte non ita sumendum esse heic bonum necessitatis et supererogationis, ac si illud esset omne et solum quod sub stricto præcepto cadit, hoc vero omne quod libertati relinquitur; sed supererogatorium intelligitur objectum fortitudinis, nempe arduum et præcellens, quod *qua tale* non cadit sub præcepto, et in quo, utpote non communiter ac ordinarie occurrente, merito illuminat consilium; necessarium autem bonum est quod communiter in ordinariis adjunctis occurrit efficiendum et qua tale non subtrahitur præcepto, sive reipsa præceptum sit, sive non, et in quo proin non dirigimur per consilium, sed quod per scientiam cognoscimus.

6ª *Functio* pertinet ad expeditionem *in contemplando*, hoc est in vita hierarchica, purgationis, illuminationis et perfectionis seu unionis contemplativæ. Jamvero, donum pietatis pertinet ad primum stadium, et purgat quidem *a malitia*, ut ex ipsa sua notione facile patet.

7ª *Functio* est ad expeditionem *in actione et contemplatione*, seu in vita mixta perfecta. Et evidens quidem est donum pietatis ad hanc actionem ad extra, puta apostolicam, quæ vitam contemplativam sequitur et ex ea suam efficaciam haurit, spectare, non vero ad ipsam contemplationem, quæ ad intellectum pertinet, donis intellectus et sapientiæ instructum. Cum autem hæc vita activa in agendis et sustinendis versetur, donum pietatis, ut patet, datur *ad agendum*, rursumque combinatur cum scientiæ dono, utpote suo directivo.

Cum tota hac doctrina de dono pietatis rursum perfecte convenit doctrina B. Rusbrochii, qui interim exponit quod hoc donum est origo plurium virtutum, justitiæ annexarum atque proximum respicientium; quod ex eo manat quoque condolentia erga Christi

passionem ; quænam impediant perfectam hujus doni possessionem ; quod ei respondeat beatitudo secunda (1). Pauca recitamus.

« Ex ipsa pietate compassio sive condolentia proficiscitur, qua quis Christo patienti, itemque cunctis mortalibus compatitur. Ex condolentia porro omnes charitatis actiones emanant : siquidem charitati Deus septem misericordiæ opera commisit atque mandavit ; et charitas, fidelis ille servus est, quem constituit Dominus supra familiam suam, toto regno cunctisque opibus et thesauris suis illi traditis, ut cibo potuque recreet, et hospitio recipiat, etc....

Ex pietate etiam patientia procedit, quando patiens esse non potest, nisi qui mitis et pius est. Patientia autem in quibuscumque afflictionibus hominem exornat, munit ac tuetur, ut in rerum jactura, in probris ac ignominia, in adversa valetudine, et in cunctis demum, quæ illi possint tam a Deo, quam cunctis creaturis accidere, patiens sit, semperque pacem et veram animi tranquillitatem servet. De hujuscemodi Christus ait : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Pii namque hominis Deo in exercendis misericordiæ operibus, et in præstanda compassione servientis, totus est orbis terrarum : quandoquidem totus cum omnibus quæ habet, et quæ in terris sunt, si suæ subjacerent potestati, Deo et proximis suis eorum indigis, ad Dei honorem servire appetit. Idemque corpus suum possidet in patientia ac

(1) De adaptatione beatitudinum ad dona semel notemus etiam pro tota insequente tractatione, quod optime exponit S. Thomas, 2. 2, q. 121, a. 2, nempe in illa adaptatione « duplex convenientia potest attendi. Una quidem secundum rationem ordinis, quam videtur Augustinus secutus. Unde primam beatitudinem attribuit infimo dono, sc. timoris ; secundam autem... pietati, et sic de aliis. Alia convenientia potest attendi secundum propriam rationem doni, et beatitudinis. Et secundum hoc oporteret adaptare beatitudines donis secundum objecta et actus. Et ita pietati magis responderet quarta et quinta beatitudo quam secunda. Secunda tamen beatitudo habet aliquam convenientiam cum pietate : in quantum scil. per mansuetudinem tolluntur impedimenta actuum pietatis ».

mansuetudine: atque ea re beatus est, quando et seipsum et res omnes divinitus creatas, secundum Dei voluntatem, constitutionem ordinationemque possidet...

Et apte quidem pietas fonti sive fluvio illi terrestris paradisi comparatur, quippe quæ instar fluvii illius vim concupiscibilem quatuor rivis dimanare facit. Primus ex his rivis manat in cœlum, qui est condolentia erga Christi passionem, et Sanctos illius omnes, qui ejus causa perpessi sunt. Iste vis concupiscibilis rivus, jucundus et hilaris est, ac gratulabundus et laude plenus eo quod pœnæ et cruciatus eorum jam transierint, et æternis sint gaudiis perfruituri. Alter rivus in purgatorium decurrit, qui est commiseratio et compassio erga animas omnes in pœnis detentas, quo pro suis peccatis satisfaciant. Hic rivus intimis ac devotis ad Deum precibus abundat, quandoquidem amici nostri in necessitate sunt constituti. Tertius vitalis paradisi rivus, per totum terrarum orbem promanat, qui est condolentia et miseratio erga totius Christianitatis necessitudines ac utilitatem. Iste rivus affectuosa, ut sic dicam, internitate sive interno affectu plus largitur et agit, quam simul mortales omnes cunctis externis misericordiæ operibus præstare possent. Quartus rivus, qui est charitas ac liberalitas, externis actibus in omnes sui indigos profluit, idque præstando consilio, et re ipsa atque etiam corpore et bonis temporariis in omni eorum necessitate eis succurrendo. Hic rivus magnos sæpe labores tolerat. Isti ergo quatuor rivi sunt, qui variis modis pietatem exornant...

Quatuor quidem hominem impediunt, ut pietatem in summa perfectione non obtineat. Facile moveri, sensibus turbulentum esse, et foris ac intus perturbari atque exagitari, hominem non sinit esse mansuetum. Condolere amicis et cognatis potius, quam hominum communitati, sive communiter omnibus. Charitatem non pro comperta necessitate, sed pro favore impendere, hominis est in virtutibus fluctuantis ac vacillantis. Qui afflictio-

nes moleste ferunt, non possunt excellenti cum gratiarum actione lætari. Hæc videlicet nedum deficere a pietatis perfectione faciunt, sed ipsam interdum etiam depellunt pietatem (1) ».

Nota. Faciendo finem dicendi de dono pietatis menti nostræ occurrit animadversio quædam magni momenti, quæ quidem aptiorem sibi locum obtinuisset ubi de donis in genere agebatur, nunc tamen sine mora facienda esse nobis videtur.

Videlicet, alicui non satis ad rem reflectenti inutile atque vanum videri posset tam diligenter inquirere tamque copiose loqui de donis, cum vel ipsa eorum existentia incerta sit, siquidem nec Ecclesia de illa existentia quidquam definivit, neque Doctores catholici in ea asserenda unanimes sunt, imo non desunt inter eos, ut Duns Scotus ejusque sequaces (in III *Sent.*, dist. 34), qui eam negent, et præter habitus theologales non esse alios habitus infusos asserant.

Ad hoc dicimus cum Suarezio : virtutes quoque morales justis infundi « solum esse opinionem theologicam probabiliorem, non quidem in eo gradu, ut contraria temeritatis nota vel alia simili censeri possit, sed solum ut a pluribus et melioribus theologis probatam, et ratione melius fundatam, magisque piam, et modo etiam loquendi Sanctorum magis consentaneum (2). » Quod quidem et de donis Spiritus sancti valet, de quibus addit infra (3) idem Suarez : Probabilius est infundi justis simul cum gratia habitus donorum specie distinctorum ab habitibus virtutum infusarum ». Hæc quidem doctrina de donis Spiritus sancti videtur jam in Ecclesia prævaluisse, ita ut vix reperias sive theologos, sive catechismos, qui eam non doceant, nulla mentione facta oppositæ opinionis. Quod profecto satis superque

(1) *Regnum Deum amantium*, c. XV-XVII (Surius).
(2) *De Gratia*, lib. VI, c. IX, n. 16.
(3) *Ibid.*, c. X, n. 5.

ostendit nequaquam vanum ac inutile esse de donis penitius inquirere; quod tot tantique Patres, Doctores et Sancti fecerunt.

Atvero præterea, quidquid dicatur de habitibus donorum, an sint necne, actus ipsos præcellentes, quos donis adscribimus, subsistere certum est, adeoque nemo non videt summæ utilitatis esse ad vitam perfectam illos actus attentius considerare atque intimius scrutari, quo sæpius majorique cum fructu perfectionis eosdem exercere valeamus. Atqui, hæc consideratio actuum pars est in tractando de donis longe præcipua.

(Continuabitur).

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Martii propositas.

—

I

Q. *Dijudica valorem argumenti theologici quod in favorem authentiæ* commatis Joannei (I Jo. V, 7) *desumitur ex decreto Conc. Trid. circa* authentiam Vulgatæ: *etenim comma Joanneum in Vulgata occurrit.*

R. *Decretum* Concilii Tridentini, de quo agendum est, sic habet: « Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit et declarat ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat » (sessio IV).

Porro hæc *editio Vulgata,* olim a S. Hieronymo parata, non erat singularis aliquis codex, sed repræsentabatur per innumeros codices, tum manuscriptos tum impressos, quibus Ecclesia occidentalis per multa sæcula usa erat et tunc temporis utebatur. Innumeri isti codices, etsi quoad substantiam versionem hieronymianam exhibebant, minime tamen usque ad ultimum apicem conveniebant; permulta enim in iis irrepserant menda tum librariorum incuria, tum temere emendantium audacia. Patres tridentini hanc mendositatem apprime cognoscebant, et ideo eadem sessione quarta decreverunt « ut posthac hæc ipsa vetus et vulgata editio quam emendatissime imprimatur ».

« Hujus decreti fructus fuit *Vulgata Sixto-Clementina,* i. e. illud exemplar editionis vulgatæ, quod jussu Sixti V et Clementis VIII a mendis et a pravarum emendationum

erroribus purgatum a. 1592 prodiit, et ad cujus fidem omnes editiones posteriores redigi debuerunt et adhuc debent » (1): hæc ergo est editio qua omnes quotidie utimur.

Quæritur hisce prœnotatis, num ad authentiam Joanneam vel ad inspirationem commatis Joannei (2) concludere liceat ex dicto *decreto* Concilii circa *authentiam Vulgatæ*.

Respondetur: Negative. Quod ut appareat, exponamus primò sensum et vim laudati decreti, eaque deinde applicemus quæstioni præsenti. Sit igitur:

I. Expositio decreti Tridentini.

In quæstione satis impervia, et in varium sensum ab auctoribus agitata, hæc, salvo meliori dici posse videntur (3):

1°/ Decretum Conc. Trid., ut ex scopo et verbis ipsius apparet, de se non est *dogmaticum*, seu de se et directe nullum imponit *assensum* præstandum circa valorem ipsius Vulgatæ; sed est *disciplinare*, seu determinat *modum agendi* quem vir catholicus erga Vulgatam servare debet. Nimirum:

Vi istius decreti, oportet, in Ecclesia saltem latina, præ omnibus aliis versionibus latinis, adhibere versionem Vulgatam qua textum officialem, in omni usu publico magisterii ecclesiastici, in lectionibus, prædicationibus, disputationibus; nec licet, quovis prætextu, in hoc usu eam recusare vel aliam versionem latinam præeligere, vel textum Vulgatæ, etiam ubi certo a textu originali differt, privata auctoritate correctum denuo edere (4).

---

(1) Van Noort, *Tractatus de fontibus revelationis necnon de fide* (1906), n. 128.

(2) Quare et quonam sensu hæc duo: authentiam Joanneam et inspirationem divinam, hic in unum conjungamus, desume ex dictis *supra*, p. 204, *nota* (1).

(3) Cfr. Bainvel, *De Scriptura sacra*, (Paris, 1910), pp. 178 ss.

(4) Decretum non obstat quominus aliquis in usu suo, sive privato sive publico, ad meliorem intelligentiam Vulgatæ, vel ad examinandam ipsius conformitatem cum textu originali, simul adhibeat sive textum

2° Attamen decretum, utut de se disciplinare tantum, *innititur fundamento dogmatico* (1): non enim voluissent nec potuissent Patres Concilii textum illum Vulgatæ qua officialem imponere universæ Ecclesiæ occidentali, nisi certis conditionibus satisfecisset. Nimirum:

Decretum *supponit* tum a) Vulgatam esse versionem textus originalis *quoad substantiam saltem fidelem:* non enim potuisset a Concilio qua textus officialis S. Scripturæ imponi textus substantialiter ab ipso textu S. Scripturæ diversus; — tum b) in specie textum Vulgatæ esse *immunem ab omni errore dogmatico,* quatenus Vulgata non potest negare dogma a Deo revelatum, aut affirmare ut revelatam aliquam veritatem religiosam quæ revelata non est (2): iterum enim Concilium non potuisset qua textum officialem, in omni usu publico adhibendum, imponere textum in quo docerentur errores in re fidei vel morum. — Ista quidem decretum supponit; ex opposito vero:

Decretum *non supponit* a) Vulgatam esse *absolute et sub omni respectu conformem* cum textu originali (3): hujusmodi enim conformitas non requirebatur ad hoc ut Concilium potuerit hanc Vulgatam qua textum officialem et in rebus fidei et morum fide dignum Ecclesiæ imponere (4); — in specie b) quod sic dicta *loca dogmatica* spectat, decreto supponere sufficit *conformitatem aliquam substantialem*, quatenus nempe *genera-*

---

originalem, sive alias versiones latina vel alia lingua confectas. Item non obstat quominus aliquando, interventu supremæ auctoritatis Ecclesiæ, textus Vulgatæ denuo corrigatur, vel versioni ex integro novæ confectæ locum cedere debeat.

(1) Cfr. CHAUVIN, *Leçons d'Introduction générale aux divines Écritures,* (Paris, 1898), pp. 369 ss. Hic propugnatur decretum Trid. esse simul disciplinare et dogmaticum.

(2) Cfr. ILL. WAFFELAERT, *Monita de interpretatione et usu Scripturæ sacræ* (apud *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 232).

(3) *Ibid.*, p. 231.

(4) Cæteroquin ex actibus Concilii apparet Patres mendositatis Vulgatæ necnon multiplicitatis lectionum variantium fuisse conscios.

tim dogmata expressa in textu originali eodem loco exprimuntur in Vulgata. Unde, hoc ultimum magis determinando, cum decreto conciliari potest adeoque possibile est: α/ quod aliquis textus dogmaticus adsit in textu originali qui deficit in Vulgata; vel β/ ex adverso, quod textus dogmaticus legatur in Vulgata qui desit in textu originali (1); a fortiori γ/ possibile est quod in Vulgata occurrat textus dogmaticus qui a textu originali modaliter tantum differat, i. e. referat idem caput doctrinæ licet modo diverso.

II. **Applicatio.**

Hæc principia generalia *jam applicemus* quæstioni præsenti: ex iis apparebit non contradicere decreto Tridentino illos qui æstimant comma Joanneum non esse a Joanne conscriptum nec esse inspiratum, sed illius originem ad tempus recentius, puta ad s. III vel IV deducunt. Etenim:

1°/ Quod *vim disciplinarem decreti* spectat, sententia ista de origine commatis Joannei non impedit quominus auctores, ejusdem sententiæ patroni, pergant textum Vulgatæ qua textum officialem adhibere, in eoque ipsum comma retinere;

2°/ Quod vero spectat *decreti fundamentum dogmaticum,* sententia ipsorum iterum non impedit quominus teneant Vulgatam esse versionem quoad substantiam saltem cum textu originali conformem, nec obstat quominus teneant Vulgatam esse ab omni errore dogmatico immunem: assertum enim istud religiosum quod commate continetur, mysterium nempe SS. Trinitatis, et verum est et, ut constat tum Traditione, tum variis aliis locis S. Scripturæ, a Deo fuit revelatum; — ex

(1) Ex dictis tamen supra habes repugnare quod in Vulgata occurrat textus dogmaticus, docens aliquam veritatem religiosam quæ non fuisset revera a Deo revelata, et consignata aliis locis S. Scripturæ vel transmissa traditione orali: esset enim error in fide si Vulgata doceret ut ad Scripturam sacram adeoque ad fidem pertinens, aliquid a Deo non revelatum.

altera vero parte, verum quidem est in sententia illorum auctorum jam non stare *absolutam* conformitatem Vulgatæ cum textu originali, in eaque occurrere textum *dogmaticum* qui non adfuerit in textu originali: sed vidimus hæc decreto non repugnare.

Nota 1. In præcedentibus egimus de decreto Concilii Tridentini, quod *Vulgatam* quidem *in genere*, nullum vero textum *determinatum* Vulgatæ ut officialem imposuit: revera ut diximus tempore Concilii innumeri erant codices qui quoad substantiam quidem referebant Vulgatam ab Hieronymo paratam, sed nullus erat determinatus quo ista Vulgata omnino fideliter referebatur. — Postea quidem, elapso concilio, parata fuit editio Vulgatæ quæ dicitur Sixto-Clementina (v. supra), in qua comma Joanneum fuit admissum. — Hinc autem non oritur ulla difficultas nova: quoad hanc enim editionem Sixto-Clementinam non major authentia nec strictior conformitas cum textu originali admittenda est quam ea quæ a Concilio Tridentino de Vulgata in genere fuit imposita (1).

Nota 2. Immerito ex dictis concluderes celebrem textum Joannis, in hypothesi quod authenticus et inspiratus non esset, jam omni auctoritate destitui; minime. Equidem jam non posset in re fidei, adduci ut argumentum *scripturisticum*, sed semper adduci poterit ut argumentum traditionale et ecclesiasticum: ut *traditionale* quidem, quum hic textus tam clare enuntians mysterium SS. Trinitatis tot sæculorum decursu in tota Ecclesia occidentali, et etiam, recentius in aliis Ecclesiæ partibus, lectus et admissus fuerit, imo retentus in textu S. Scripturæ ipsius, adeoque consideratus ut conformis fidei Ecclesiæ; ut *ecclesiasticum* vero, eo quod occurrebat et postea servatus fuit in ea editione S. Scripturæ quam Ecclesia ut textum officialem imposuit sicque ut immunem ab omni errore dogmatico agnovit.

A. Vander Heeren.

---

(1) Cfr. supra, p. 21 et p. 282.

II

Q. *Solvatur hæc difficultas: Apostolus (Rom.* II, 14) *docet Gentes* naturaliter *ea quæ legis sunt facere; ergo non requiritur donum* supernaturale, seu gratia, *ad observandam legem naturalem.*

R. Negatur consequentia et consequens.

Etenim 1°/ improbabile est vocabulo *naturaliter* significari *absque gratia* vel absque dono interno supernaturali. Nam Apostolus in loco citato non agit de necessitate gratiæ, sed de observatione legis naturalis ab hominibus ethnicis, qui non cognoscunt legem mosaïcam. Opponit nempe Judæos et Paganos sub respectu cognitionis legis: Judæi, per legem mosaïcam, et proinde per *divinam revelationem* cognoscunt quæ ab ipsis observanda sunt; Pagani vero, qui revelationem divinam non cognoscunt, *naturaliter*, h. e. *duce naturali lumine rationis*, et percipiunt quæ facienda sunt et porro de facto legis præcepta observant, ideoque « ipsi sibi sunt lex » (1). Apostolus igitur nec affirmat, nec negat ethnicos *per gratiam*, ea quæ legis sunt, facere (2).

---

(1) Duplici argumento confirmat Apostolus ethnicos *naturaliter*, h. e. absque divina revelatione, legis præcepta observare: a/ ipsa nimirum eorum agendi ratione, quæ præceptis moralibus consonat et manifestat honestate ipsa illos rationem legis in animis gerere; b/ ipso conscientiæ testimonio quo ipsi judicant se bene vel male egisse. Cf. Van Steenkiste, *Commentarius in S. Pauli epistolas*, Brugis, 1899, t. I, p. 70; Cornely, *Commentarius in epistolam ad Romanos*, Parisiis 1896, p. 136; Prat, *La théologie de Saint Paul*, Paris, 1908, I P., p. 270, 277 s.

(2) Ideo non admittendam censemus explicationem quam proponit cl. Van Steenkiste, *o. c.*, l. c. « Naturaliter, natura duce, quamvis non sine gratia, si (ut innuit contextus) agatur de tali observantia quæ possit impedire hominis perditionem (cf. v. 12) i. e. quæ possit ipsum salvare ». Censemus non agi de legis observantia quæ possit hominem salvare. Quodsi quis censet ab Apostolo implicite affirmari legis observantiam quæ fit *naturaliter*, h. e. naturali ratione duce, tamen non nisi per internam gratiam fieri, tenebit consequenter in textu Apostoli non agi de observatione legis *absque gratia* et nobis objicientibus respondebit negando suppositum.

2°/ Etiamsi supponeretur vocabulo *naturaliter* significari *absque gratia*, nihil concludi ex hoc posset contra doctrinam de necessitate gratiæ ad observandam legem naturalem. Nam Apostolus non doceret, in hac hypothesi, hominem ethnicum, *absque gratia*, observare *totam* legem naturalem et per longum tempus, sed doceret ethnicos quosdam de facto observare saltem quædam præcepta legis naturalis, absque gratia. Quod confirmatur hac animadversione: « Il est donc oiseux de se demander si les Gentils, sans le secours de la grâce, ont observé peu ou beaucoup de préceptes de la loi naturelle. N'en eussent ils observé qu'un seul, avec ou sans le secours de la grâce, ils auraient montré qu'ils la connaissaient. Ce n'est pas une affaire de plus ou de moins et le rôle de la grâce n'est pas ici en question » (1).

Igitur ex assertione S. Pauli, de qua agitur, nulla inferri potest conclusio opposita doctrinæ catholicæ de necessitate gratiæ ad observandam legem naturalem (2).

Adnotatio. Circa textum *Rom.* II, 14, quædam interpretationes considerandæ sunt, quæ connectuntur cum variis quæstionibus de gratia.

S. Augustinus censet hoc loco designari nomine *gentes* homines ex paganismo jam conversos et factos christianos, et vocabulo *naturaliter* significari: secundum *naturam* jam sanatam seu reparatam *per gratiam* (3). Hæc explicatio, quæ cum contextu non quadrat, admitti non potest. « Qu'il [S. Paul] parle des païens et non des chrétiens venus de la gentilité cela ne souffre pas de doute et, sans les controverses pélagiennes, Saint Augustin n'aurait jamais imaginé le contraire » (4).

Baius eamdem ac S. Augustinus interpretationem

---

(1) Prat, *o. c.*, p. 271.

(2) De hac doctrina, cf. Van der Meersch, *De divina gratia*, Brugis, 1910, n. 60, 70.

(3) *De Spiritu et littera*, n. 47, 48. Eamdem interpretationem tradit S. Fulgentius, epist. XVII, c. 25, n. 48.

(4) Prat, *o. c.*, p. 271.

accipit sed ulterius hanc adhibet ad erroneam doctrinam confirmandam. Etenim sic ratiocinatur: si gentiles, secundum Apostolum, *naturaliter*, ea quæ legis sunt, faciunt, et si hæc mandatorum observatio, secundum Augustinum, non fit nisi per *gratiam sanantem naturam*, et restituentem conditionem primi hominis, oportet ut hæc primi hominis conditio, seu justitia, fuerit *naturalis*, nempe debita homini in sua prima conditione (1). Deinde Pelagii doctrinam esse dicit assertionem secundum quam affirmatur homines paganos posse, absque gratia Christi, quosdam actus vere honestos et laudabiles ponere. Quapropter damnata est hæc 22ª propositio Baii: « Cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli ad Romanos, II: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt,* intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus » (2).

J. Van der Meersch.

III

Q. *An et quonam sub onere potest sacerdos, qui complicem illicitè absolvendo excommunicationem contraxit, a communi confessario absolvi: a in articulo mortis; b in casu urgentiori.*

R. I. **In Articulo Mortis**: *quilibet confessarius*, quacumque facultate in reservata destitutus, potest dictum sacerdotem *validè* et *licitè* absolvere, idque *directè*, injunctis de jure injungendis, et hac speciatim salva clausula, ut nempe pœnitenti periclitanti onus imponatur *recurrendi*, si convaluerit, *ad S. Sedem, hujusque standi mandatis.*

---

(1) Baius, *De prima hominis justitia*, c. VI.

(2) Denzinger-Bannwart, *Enchiridion*, 1911, n. 1022. Hujus propositionis ulteriorem expositionem vide apud Le Bachelet, in Vacant, *Dictionnaire de théologie catholique*, t. II, art. *Baius*, col. 70 s.

Explicatur et vindicatur propositio.

1° Quod quivis confessarius valeat ac possit ab illa censura, quantumvis specialiter, imo specialissime, reservata S. Pontifici, absolvere periclitantes, id habemus ex capite 7, Sess. XIV, Concilii Tridentini. Ibi namque statuitur nullam esse reservationem in articulo mortis, i. e., juxta interpretationem, apud *Collationes Brug.*, t. VIII, p. 406 ss., propositam et vindicatam, censuras et peccata reservata tunc posse a quocumque sacerdote absolvi, perinde ac si non essent reservata.

2° Quod absolutio a censura (1) sic impertita sit *directa,* eruitur ex dictis, cum plena præsto esse supponatur facultas absolvendi ab illa.

3° Dicitur: quilibet *confessarius*, i. e. sacerdos approbatus et jurisdictione munitus.

Quod autem spectat sacerdotem *non approbatum,* posset et ipse, *saltem validè,* absolvere pœnitentem in mortis discrimine versantem, præsente licet sacerdote approbato (2).

4° *Periculum mortis* intelligitur non ipse mortis articulus, sed quicumque casus in quo *probabiliter* timetur pro vita (3), undecumque periculum immineat, sive ab intrinseco, puta ex infirmitate, sive ab extrinseco, puta ex navigatione valdè periculosa, ex prælio instante vel persecutione illata.

---

(1) Absolutio *a peccato* sponte sua est directa, cum in illud non cadat reservatio, adeoque non fuerit respectu illius sublata jurisdictio. Nimirum crimen absolutionis complicis non est ratione sui reservatum, sed ratione censuræ illi adnexæ, in quam directè cadit reservatio; quousque autem manet excommunicatio adnexa, non potest peccatum absolvi *licite,* bene autem *validè,* positis tamen ponendis, supposita nempe bona fide in pœnitente.

(2) Hanc thesim, in quantum tuet ir *valorem* absolutionis, propugnavimus apud *Collat. Brug.*, t. IV, p. 32 ss., invocata, præter alia documenta, declaratione C. S. O., 29 Julii 1891. Sunt Auctores qui, ulterius progredientes, tenent sacerdotem non approbatum (qui supponitur nec hæreticus nec excommunicatus) etiam *licitè* posse absolvere, præsente approbato.

(3) Non refert quod postea innotescat periculum a parte rei non adfuisse, modò rationabiliter et prudenter reputatum fuerit adesse.

Periclitantibus æquiparari possunt in hac re captivi quibus levis datur spes libertatis simul et confessarii copiæ (1); item, juxta nuperrimam declarationem S. Pœnitentiariæ, militiæ adscripti « in statu bellicæ convocationis, seu, ut aiunt, mobilisationis constituti » (2).

5° Descriptum onus imponendum esse constat ex tenore Constitutionis *Apostolicæ Sedis*, ubi, absoluto elencho excommunicationum *specialiter* reservatarum S. Sedi, additur eas quidem posse absque peculiari facultate absolvi in articulo mortis, sed ita tantùm ut « firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiæ, si convaluerint ».

Censura autem, de qua hîc, est specialiter, imo specialissime reservata S. Pontifici.

Circa quod onus, de cujus executione in sequenti responso dicetur, juvat notare: a/ illud esse executioni mandandum sub pœna reincidentiæ (3); b/ illud non esse injungendum casu quo communis confessarius periclitantem absolvit a censura *simpliciter* reservata S. Sedi (4); c/ illud non esse imponendum pro censuris speciali modo reservatis, si absolutio fuit impertita a sacerdote facultatem peculiarem a dictis reservatis habente.

Unde, si præsens est vel facilè advocari possit sacerdos opportuna facultate ditatus, præferendus est sacerdoti facultate illa carenti; licet enim uterque, uti vidimus, æque validè et licitè absolvere possit, ab altero, non vero a priore, dictum onus imponatur oportet (5).

---

(1) S. Alph., l. VI, n. 561; *R. th. fr.*, 1896, p. 95; *N. R. th.*, III, p. 603 ss.

(2) Responsum 18 Martii 1812, apud *N. R. th.*, 1912, p. 499 ss. et l'*Ami du clergé*, 1913, p. 145 s.

(3) Decretum C. S. O., 19 Aug. 1891, ad 1m, apud *Collectanea*², n. 1764.

(4) Omisso tenore Constitutionis *Apostolicæ Sedis*, id expresse declaravit C. S. O., 17 Junii 1891, ad 3m, apud *Collectanea*², n. 1756.

(5) Notum est autem facultatem a præsenti censura absolvendi nonnisi

C° Reliqua *de jure injungenda* huc potissimum redeunt, ut, donec recursus ad S. Sedem fuerit institutus et donec mandata fuerint accepta : a/ moneat sacerdos complex personam complicem, si denuò accesserit, de nullitate præteritarum confessionum, eamque ad alium confessarium remittat; b/ « ab audiendis in posterum cujuscumque personæ complicis confessionibus, quatenus citra grave scandalum id fieri possit, abstineat » (1).

II. **In Casu Urgentiori,** potest *quivis confessarius* præfatum sacerdotem *validè ac licitè* absolvere, idque *directè,* injunctis de jure injungendis, et hac eadem salva clausula, ut onus imponatur adeundi S. Sedem ejusque standi mandatis.

Explicatur et vindicatur propositio.

1° *Cuicumque* confessario, quantumvis facultate in reservata destituto, præsto esse descriptam potestatem, in casu urgentiori, decrevit C. S. O., in celebri decreto 23 Junii 1886, ad 2m (2), ubi concessio extenditur ad omnes censuras S. Sedi, etiam specialiter, vel et specialissime, reservatas.

2° *Casus urgentior* obtinet a/ quotiescumque « absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiæ » (3); b/ quando, seposito scandali vel infamiæ periculo, « durum valde est pro pœnitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis » (4).

---

rarissime, et per modum actus, concedi, cum nec ipsi Episcopi soleant illam facultatem accipere plenam. Ita potest quidem Ordinarius Brugensis ab illa censura absolvere, sed cum hac dumtaxat restrictione, ut onus imponat recurrendi Romam. Etiam in amplissimis facultatibus Jubilæi solet excipi facultas absolvendi a casu complicis, quemadmodum excipitur a facultatibus currentis jubilæi (suprà, p. 236); interdum tamen indulgetur, uti videre est, pro Jubilæo anni 1901, apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 271.

(1) *N. R. th.*, XXII, p. 415.

(2) *Collectanea*², n. 1658.

(3) *Ibidem.*

(4) Decretum C. S. O., 16 Junii 1897, l. c., n. 1971.

In dijudicanda præsentia unius alteriusve hypotheseos, oneratur conscientia confessarii, uti, pro prioris hypotheseos verificatione, expresse declarat C. S. O., in decreto anni 1886; quodsi in hoc erraverit confessarius, equidem pro valida haberi posse videtur absolutio (1).

Quod autem *durum sit* pro pœnitente in peccato remanere, id intellige non objective, quatenus a parte rei grave quid constituat permanentia in peccato mortali, cum sic semper obtineret conditio, sed *subjectivè:* quatenus nempe ipsum subjectivè gravet multum status peccati mortalis tamdiu duraturus. Nec requiritur quod præviè, in ipso accessu ad confessionem, illud gravamen experiretur pœnitens; satis est ut, ex monitione zelosi confessarii gravitatem peccati melius perspiciens, sui status tremorem conceperit. Censetur etiam obtinere casus urgentior, licet necessaria facultas impetrari possit post duos, vel etiam post unum diem (2).

3° Dicitur: quivis *confessarius*, ad exclusionem sacerdotis non approbati, qui, extra periculum mortis, nihil valet.

4° Absolutio est *directa*, quemadmodum expresse declaravit C. S. O., die 19 Aug. 1891, ad 3m (3).

5° Onus de quo sub I, ad 5m, etiam hic est injungendum, juxta tenorem laudati decreti anni 1886, ad 2m (4); imo imponendum est, secus ac in articulo mortis, tam pro censuris S. Sedi simpliciter reservatis, quam pro censuris specialiter reservatis; nulla enim in tenore

---

(1) ADLOFF, apud *Strassb. Diözesanblatt*, 1911, p 316; NOLDIN, *De Sacramentis*, 1908, n. 381.

(2) S. ALPH., l. VI, n. 487; ADLOFF, l. c.; GENICOT-SALSMANS, *Instit. Theol. Mor.*, ed. 1912, II, n. 574.

(3) *Collectanea*², n. 1764. Ad quæstionem: « An absolutio data, in casibus urgentioribus, a censuris etiam speciali modo S. Pont. reservatis.... sit directa vel tantùm indirecta »; respondetur: « Affirmative, ad 1m, negative ad 2m partem ».

(4) Decernitur incurrenda a sic absoluto pœna reincidentiæ, « nisi saltem infra mensem... recurrat ad S. Sedem ».

occurrit facta distinctio, eamque formaliter excludit declaratio C. S. O., 7 Junii 1891, ad 2m (1).

Pariter instituendus est ille recursus sub pœna reincidentiæ, et non est imponendus nisi a sacerdote qui absque facultate absolverit.

Nota. Natum est fieri ut sacerdos, de quo quæritur, insuper contraxerit *irregularitatem,* ex violatione censuræ cui innodatus existit, quatenus ordinem illicitè exercuerit (De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. comp.*, ed. 7a, II, nº 1508; *Collat. Brug.*, t. VI, p. 324 ss). Potest autem communis confessarius super illa dispensare in casu urgentiori, ad tramites decreti 1886, idque, ut videtur, absque onere recurrendi (2).

IV

Q. *An, quomodo et quandonam illud onus recurrendi ad S. Sedem est executioni mandandum, si sacerdos, in articulo mortis absolutus, convaluerit, partes describendo confessarii in hoc negotio?*

R. Supponimus pœnitentem in periculo mortis absolutum fuisse per sacerdotem non habentem facultatem a censura adnexa casui complicis; secus enim, uti suprà vidimus, non esset onus recurrendi imponendum. Proponemus autem disciplinam Ecclesiæ, eamque præsenti casui concreto applicabimus.

I. **Disciplina Ecclesiæ.**

A. Onus recurrendi ad S. Sedem pro absoluto a censuris S. Pontifici reservatis vario modo executioni dari potest:

Vel 1º potest per epistolam recurri ad ipsam S. Se-

---

(1) *Collectanea*2 , nº 1756.

(2) Decr. C. S. O., 28 Martii 1886, quod publicandum decrevit eadem S. C., die 6 Sept. 1909, apud *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 605 s., collatis *Ned. Kath. Stemmen,* 1910, p. 167-178. Attende dispensandi facultatem limitari ad casum urgentiorem, uti determinatur in decreto anni 1886, eamque non extendi ad casum urgentiorem, ad mentem decreti 16 Junii 1897.

dem, nempe ad *S. Pœnitentiariam,* pro impetrando: sive a/ *rescripto ratihabitionis*, quatenus scil., salvis clausulis et cautelis variis exequendis, confirmetur et rata habeatur absolutio, quasi provisorie impertita in articulo mortis; quæ ratihabitio concedi potest vel *in forma commissoria*, mandato scil. dato confessario electo vel eligendo ut, nomine S. Pontificis, ratam habeat absolutionem elargitam et instructiones cautelasque exequendas injungat, vel *in forma gratiosa*, juxta quam S. Sedes gratiam ratihabitionis directe applicet pœnitenti, absque intermedio confessarii; sive b/ *rescripto absolutionis,* quatenus nova eaque definitiva absolutio detur a Pontifice, sive in forma commissoria, sive in forma gratiosa (1).

Vel 2° simili ratione recurri potest ad *Ordinarium*, si plenam habet et communicabilem facultatem absolvendi a censura cui obnoxius erat pœnitens; ab eoque impetretur rescriptum ratihabitionis vel absolutionis, in forma commissoria vel gratiosa.

Vel 3^io^ adeundus est *alius confessarius*, opportuna facultate instructus, a quo nova obtineatur absolutio in foro sacramentali.

Vel 4° redeundum est ad *eumdem confessarium* qui provisorie absolvit, ut ab eo, interea facultate munito, novam absolutionem consequatur pœnitens.

Doctrina hæc continetur in decretis C. S. O., 19 Aug. 1891, ad 2^m^ (2), et 19 Dec. 1900, ad 1^m^ et 2^m^ (3).

Notetur autem *quartum* modum reincidere in primum vel secundum, siquidem, ut confessarius, qui sine fa-

---

(1) Cum agatur de *censura,* nihil impedit quod S. Pontifex, seu Cardinalis Pœnitentarius directe absolvat pœnitentem absentem, absque intermedio confessarii.

(2) *Collectanea*[2], n. 1764.

(3) *Ibidem,* n. 2098. Hoc decretum, quo statuitur sufficere recursum ad Episcopum vel Vicarum Generalem, facultate instructum, spectat quidem casum absolutionis a communi confessario concessam *in casu urgentiori;* meritò autem, ob analogiam, extenditur ad casum quo pœnitens absolutus fuit in articulo mortis.

cultate absolvit provisorie, possit definitivam absolutionem impertire, impetranda est ipsi absolvendi facultas, adeoque instituendus est recursus ad S. Sedem, vel ad Ordinarium, pro rescripto absolutionis in forma commissoria.

Idem valet de *tertio* modo recurrendi, seu de adeundo alio confessario, quotiescumque præsto non est qui opportuna facultate sit munitus. Cæterùm a praxi magis alienum est pœnitentem ad alium confessarium, quem facultatem habere supponas, dirigere, cum id plerumque ægre ferat; nec ad hoc sunt cogendi pœnitentes, cum Ecclesia, uti mox dicetur, ab omni recurrendi onere dispenset, potius quam quod reluctantes ad alium confessarium remittantur.

Seposito igitur casu quo præsto sit alius *confessarius*, debita facultate gaudens, ad quem non timeat pœnitens accedere, huc redit proposita disciplina, in hac re, ut adhibeatur *primus* vel *secundus* recurrendi modus: ut nempe per epistolam recurratur ad *Card. M. Pœnitentiarum*, vel ad *Ordinarium,* si plenam habeat absolvendi potestatem, ab eoque impetretur rescriptum ratihabitionis vel absolutionis, sive in forma commissoria sive in forma gratiosa, pro opportunitate, juxta statim dicenda.

Hic recursus regulariter est instituendus *per medium confessarium,* qui supplicam mittat nomine pœnitentis (1); potest autem, pro variis adjunctis, exerceri *ab ipso pœnitente* (2).

Nimirum a/ si pœnitens ad eumdem confessarium redire potest, vel alium confessarium adire non timet:

---

(1) In decreto anni 1886, dicitur recurrendum esse « per medium confessarium ».

(2) S. Pœnitentiaria, die 28 Maii 1888, rescripsit: « Pœnitentem non teneri per eumdem confessarium qui eum absolvit recurrere, sed posse id præstare... etiam per seipsum directe, quando intercedit rationabilis causa ». N. R. th., XXII, p. 411. Cf. decr. C. S. O., 7 Nov. 1888 ad 5m et 19 Aug. 1891, ad 2m; apud *Collectanea*², n. 1695 et 1764.

confessarius operam suam præstet, et postulet, nomine pœnitentis, adhibito pseudo-nomine, rescriptum ad se dirigendum; quod rescriptum erit *in forma commissoria*, inscriptum confessario ab oratore electo vel eligendo, ita ut ab ipso eodem confessario executioni mandari possit, vel ab alio quem pœnitens adere eligat; continebit autem mandatum ratihabitionis vel absolutionis, cum clausulis et instructionibus.

b/ Si pœnitens ad eumdem confessarium regredi non valet, puta propter magnam distantiam (1), et simul ægre accederet ad alium confessarium: scribat *ipse pœnitens*, impetrando a Card. Pœnitentiario vel ab Ordinario rescriptum *in forma gratiosa* ad se transmittendum (2).

Quodsi « neque confessarius neque pœnitens epistolam ad S. Pœnitentiariam mittere possunt et durum sit pœnitenti adire alium confessarium, in hoc casu licet confessario pœnitentem absolvere... absque onere mittendi epistolam » (3). Imo si, supposita impossibilitate adeundi eumdem confessarium ac reluctantia pœnitentis pro adeundo alio confessario, uti in hypothesi de qua sub b/, solus pœnitens est scribendi incapax (4), etiam tunc cadit onus recurrendi, quin necesse sit quod

---

(1) Non attenditur sola impossibilitas physica, sed et moralis, i. e. quæ grave incommodum supponat.

(2) Cf. decr. C S. O., 7 Nov. 1888, ad 5m, l. c.; item resp. S. Pœnitentiariæ (*Rev. th. fr.*, 1899, p. 454): « Quatenus in casu exposito impossibilitatis adeundi eumdem vel alium confessarium, confessarius scribens jam absolverit sacramentaliter sacerdotem pœnitentem, eumdem moneat posse liberè per seipsum, sub mentito nomine, recurrere ad hanc S. Pœnitentiariam, *quæ providebit per rescriptum in forma gratiosa* ».

(3) Decr. C. S. O., 9 Nov. 1898, *Collectanea*2 , n. 2023.

(4) Hæc scribendi incapacitas vix aderit pro sacerdote, facilius autem adesset pro pœnitente qui non sit sacerdos vel aliunde excultus laicus, eo vel magis quod non tantùm sit attendenda redactio supplicæ ejusque transmissio, sed rescripti intelligentia, cum clausulis et variis instructionibus. Cf. *Th. Pr. Quartalschr.*, 1900, p. 372 s. Notandum tamen recurri posse, sub disciplina Curiæ Reformatæ, non tantum latino aut italico idiomate, sed et gallico, germanico, anglico, hispanico et lusitanico.

« scribendi impedimentum adstringere debeat confessarium simul et pœnitentem » (1).

Equidem posset, in hac hypothesi, confessarius sese substituere pœnitenti, ut pro ipso epistolam mittat ad S. Sedem, impetrato rescripto in forma gratiosa, pœnitenti absenti transmittendo; ast id non exigit Ecclesiæ disciplina, quemadmodum expressis verbis inseritur in decreto anni 1900, modò relato.

Et sanè non deesset in hujusmodi processu grave incommodum. Confessario namque, ut absenti pœnitenti communicare posset rescriptum in forma gratiosa, indicandum esset nomen pœnitentis, vel declarandus esset locus ad quem rescriptum foret dirigendum, unde jam innotescere posset persona pœnitentis, præsertim confratris sacerdotis. Contrà, si ipse pœnitens, supplicam mittat, puta Romam, vix infamiæ periculum est timendum pro ipso, etiamsi nomen indicet pro directione (adres), cum prorsus ignoretur Romæ, idque magis, si solum domicilium indicet, petendo ut mittatur responsum « poste restante », vel si supplicam mittat clausam mediante Curia Episcopali, et hac mediante clausum rescriptum accipiendum curet: sufficit tunc directionem indicare cancellario episcopali, cui negotium in clausa supplica expositum manet occultatum.

B. Onus descriptum exequendum est *infra mensem*. Quæ temporis determinatio inducta est a S. Sede pro casu absolutionis datæ in urgenti necessitate (decr. anni 1886), ab Auctoribus autem passim extenditur ex analogia ad casum quo pœnitens provisoriè est absolutus in mortis articulo.

---

(1) Decr. C. S. O., 5 Sept. 1900, *Collectanea*², n. 2095. Cf. decr. C. S. O., 7 Junii 1899 (*ibidem.*, n. 2052), ubi declaratur onus recurrendi non cessare in casu proposito, Titii scil. sacerdotis eumdem confessarium adire ægre valentis et ad alium accedere multùm timentis: non sufficit nempe impossibilitas illa adeundi eumdem vel alium confessarium; ulterius requiritur scribendi incapacitas in pœnitente, quæ abesse præsumitur in casu cum agatur de sacerdote.

Porro *mensis* computandus est inde a convalescentia: sufficit autem quod ante finem mensis supplica fuerit transmissa, quin opus sit ut rescriptum sit acceptum et executioni mandatum.

C. Recursus est instituendus *sub pœna reincidentiæ in easdem censuras.*

Nimirum absolutio, a communi confessario concessa, est quasi provisoria, uti diximus, cujus efficacia suspenditur donec ratihabitione vel nova absolutione illa confirmetur et absoluta evadat; neglecto onere absolutioni adnexo, omni effectu privatur absolutio, post mensem elapsum, ac pœnitens censuræ vel censuris existit obnoxius perinde ac si non fuerit absolutus.

Non est locus reincidentiæ si confessarius, onere recurrendi in se suscepto, deinceps recursum negligat; nec etiam casu quo, recursu instituto et mandatis injunctis, hisce postea sese non conformet pœnitens. Contrà reincidentiæ locus est quando, recursu a confessario peracto et rescripto obtento in forma commissoria, confessario sese prætentare detrectet pœnitens: recursus enim non est perfectus nisi post rescripti commissorii executionem (1).

Quodsi pœnitens in censuram reinciderit, tractandus est pro censura auferenda perinde ac non fuisset ab ipso provisoriè absolutus.

II. **Applicatio.**

Quod spectat nostrum casum pœnitentis obnoxii censuræ specialissimè reservatæ S. Pontifici, ob datam absolutionem complicis, in memoriam revocentur suprà notata in responso ad 3m Quæstionem: 1° seclusa amplissima facultate jubilari, ad tramites jubilæi anni 1901, nullum esse sacerdotem qui gaudeat facultate absolvendi ab illa censura; ipsos Episcopos et Ordinarios, in specie Ordinarium Brugensem, hanc facultatem passim

(1) Adloff, l. c., p. 318 s.

non accipere nisi huic restrictioni obnoxiam, ut nempe ab ipso « sic absoluti... infra mensem a recepta absolutione, per medium confessarii, suppresso nomine, ad S. Pœnitentiariam recurrere... teneantur, sub reincidentia in easdem censuras »; quinimo 3°, uti monet PERATHONER, apud *Th. Pr. Quartalschr.*, 1913, p. 277, facultatem ab illa censura absolvendi non comprehendi in facultatibus ordinariis ipsius Cardinalis M. Pœnitentiarii, qui ab ea absolvere vel absolvendi mandatum concedere nequit inconsulto Pontifice.

Quibus notatis et attenta disciplina modò exposita, non manet, in casu, nisi recursus *ad S. Sedem*, i. e. ad S. Pœnitentiariam; non esset efficax recursus ad Ordinarium, utpote a quo novus recursus ad S. Sedem foret imponendus.

Nimirum *in priori hypothesi*, quando pœnitens redire valet ad eumdem confessarium vel ad alium confessarium accedere non timet: *confessarius* supplicem libellum offeret coram S. Sede, ab eaque impetrabit rescriptum ratihabitionis vel novæ absolutionis *in forma commissoria* (1). *In altera hypothesi,* quando pœnitens ad confessarium regredi non valet et simul accessum ad alium confessarium admodum reformidat, *ipse pœnitens* scribat ad S. Pœnitentiariam, petendo rescriptum *in forma gratiosa,* vel sollicitet confessarium ut vices suppleat in conficienda et transmittenda supplica.

Circa quem duplicem recursum sequentia attendantur, tum pro confectione supplicæ, tum pro rescripti accipiendi executione:

A. **Pro redactione Supplicæ:**

1° *In primo casu*, confessarius, nomine Titii pœnitentis, supplicem libellum conscribat latino, si potest, idiomate, alloquendo Card. M. Pœnitentiarium. Indicet

(1) Posset etiam ipse pœnitens in hoc casu recurrere, pro obtinendo rescripto in forma commissoria, quod exequendum deinceps tradat a se eligendo confessario; sed non est via ordinaria nec consulenda.

quot personas complices et quoties absolverit Titius; utrum et quoties ab eodem delicto et adnexa censura fuerit absolutus (1); utrum et quoties, ex violatione censuræ, irregularitatem incurrerit, nisi prævie jam fuerit in illa dispensatum a confessario. Addat Titium a se confessario fuisse in articulo mortis absolutum, nunc autem convaluisse et criminis admissi sincere pœnitere; eumque suppliciter petere ut absolutio data ratihabeatur vel nova absolutione confirmetur, utque, si opus sit, super irregularitate dispensetur; tandem indicet confessarius directionem suam, ad quam rescriptum transmittatur, vel postulet ut documentum ad Curiam episcopalem mittatur, si hac medfante supplicam mittendam censuerit (2).

2° *In altero casu,* sacerdos pœnitens supplicam conficiat mentito nomine et iisdem insertis inserendis; exponat autem se in articulo mortis absolutum, nunc convaluisse, non autem posse ad confessarium redire et ab adeundo alio confessario multum reformidare;

---

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposita fuerunt; nimirum:

I. In solemni benedictione cum sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quando episcopus assistit cappa indutus, et

(1) *Acta Apost. Sed.*, 1913, p. 124.
(2) *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 65.

ponit incensum in thuribulo, debetne etiam ipse thurificare SSmum Sacramentum?

II. Si prædicta benedictio solemnis detur post vesperas pontificales, presbyter assistens throno, debetne genuflectere a dextris episcopi in infimo gradu altaris, eique ministrare incensum ac demum porrigere ostensorium pro benedictione impertienda?

III. Si aliquando contingat, ut episcopus Missam pontificalem celebret coram augustissimo Sacramento exposito, debetne ipse canere *Gloria* et *Credo* et legere Epistolam atque Evangelium in throno, more solito, absque mitra?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicæ suffragio, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative juxta decretum n. 3035 *Briocen.*, 21 julii 1855, ad 1.

Ad II. Presbyter assistens accedit ad episcopum tantum pro ministrando incenso et thuribulo ad incensationem; mox locum cedat diacono assistenti qui deinde ostensorium episcopo est porrecturus.

Ad III. Affirmative in casu: sed juxta morem et consuetudinem ecclesiarum cathedralium et congruenter menti Cæremonialis Episcoporum, lib. I, cap. 12, num. 8 et 9, episcopus se abstinet a celebranda Missa pontificali coram sanctissimo Sacramento publice exposito (1).

Atque ita rescripsit et declaravit Die 8 februarii 1913.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charistien., *Secret.*

---

(1) Hoc responso videtur S. Congregatio significare minus probandam esse praxim qua frequenter, infra missam maxime solemnem, fiat expositio SS. Sacramenti quasi ad majorem missæ solemnitatem. An melius obtinebitur æstimatio fidelium erga inæstimabile sacrificium missæ, dividendo eorum piam attentionem inter ipsum sacrificium et SS. Sacramentum, quam indies magis inculcando valorem infinitum et præcelsam dignitatem ipsius sacrificii ejusque mirabiles ritus et cœremonias explicando?

II

LAURETANA (1).

De missis votivis B. Mariæ Virginis ex privilegio recitandis.

Quum in sancta capella almæ Domus B. Mariæ Virginis et in altari Ss^mæ^ Annunciationis, Basilicæ Lauretanæ, ex apostolico privilegio celebrari queant Missæ votivæ ipsius Deiparæ Virginis, juxta temporis qualitatem, singulis per annum diebus, exceptis quibusdam in apposito elencho adnotatis, a sacrorum Rituum Congregatione nuper expostulatum fuit:

I. Utrum infra octavas festorum atque in ipsis festis B. Mariæ Virginis, etsi de eis sola commemoratio vel nulla commemoratio in Officiis classicis fiat, præfatæ Missæ, jam concessæ, debeant esse votivæ an potius festivæ, de festis vel octavis, et quidem cum *Gloria* et *Credo?*

II. An in vigiliis, saltem commemoratis, festorum ejusdem beatæ Mariæ Virginis, enunciatæ Missæ debeant esse de vigilia, sine *Gloria* et *Credo*, cum orationibus juxta rubricas et decreta?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicæ suffragio, propositis quæstionibus ita rescribendum censuit:

Ad I. Negative ad primam partem et affirmative ad secundam, juxta alia decreta ac decretum generale n. 3922 *De Missis votivis* 30 junii 1896, ad V. n. 1 et 2.

Ad II. Affirmative (2).

Atque ita rescripsit, die 17 maii 1912.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charistien., *Secr.*

---

(1) *Acta Apost. Sed.*, 1913, p. 124.

(2) Hæc responsa cohærentia cum tota disciplina hanc materiam regente valent extra Lauretanam ecclesiam, v. g. in basilica B. M. V. in Dadizeele vel in Oostacker.

Documents de Jurisprudence administrative

Circulaire ministérielle du 1 avril 1913.

Objets d'art. — Défense d'aliéner. — Sanctions. — Surveillance.

Nous signalons à l'attention de MM. les curés la circulaire adressée par Monsieur le Ministre de la Justice, en date du 1 avril dernier, aux Gouverneurs des Provinces, et dont voici le texte :

A diverses reprises mon département a appelé l'attention des fabriques d'église sur la disposition de l'article 5 de l'arrêté royal du 16 août 1824 défendant de détacher, d'emporter ou d'aliéner sans le consentement du Gouvernement, des objets d'art ou monuments historiques placés dans les églises, de quelque nature qu'ils soient ou d'en disposer, à moins qu'ils ne soient la propriété de particuliers ou de sociétés particulières.

La circulaire du 27 mars 1896 (1) notamment, insistant sur l'intérêt qui s'attache à ce que les édifices du Culte ne soient pas dépouillés des richesses qu'ils renferment, fait remarquer que non seulement les fabriciens et les ministres du Culte qui se permettent de disposer des objets dont l'article 5 de l'arrêté royal du 16 août 1824 a pour but d'assurer la conservation, peuvent être poursuivis judiciairement par application de la loi du 6 mars 1818, mais qu'en outre une action en dommages intérêts doit leur être intentée par les administrations que la chose concerne.

D'autre part, par circulaires en date des 14 mars 1899 et 5 octobre 1910, mes honorables prédécesseurs vous ont fait parvenir, pour être portées à la connaissance des administrations fabriciennes et communales, des copies de décisions judiciaires (2) prononçant des condamnations à charge de ministres du Culte qui avaient contrevenu à la disposition précitée de l'arrêté royal du 16 août 1824.

---

(1) *Collat. Brug.* 1897, t. II, p. 350.
(2) *Ibid.*, 1911, t. XVI, p. 57 ss.

Cependant, de nouveaux abus sont toujours à craindre. Dans cet ordre d'idées, la Commission royale des Monuments et des Sites m'a signalé une circulaire envoyée aux curés et desservants du royaume par un antiquaire qui offre, moyennant une commission à payer par le vendeur et par l'acheteur, son entremise pour la vente et l'achat d'objets mobiliers de toutes espèces appartenant aux églises. Cette circulaire pourrait être considérée comme ayant notamment pour but d'inciter les ministres du Culte à céder des objets ayant une valeur artistique ou archéologique, en échange d'objets de même nature qui en seraient dépourvus.

J'estime qu'il importe de mettre à nouveau les administrations fabriciennes et les ministres du Culte en garde contre les sollicitations pouvant avoir pour objet de les amener à se défaire d'objets d'art ou d'antiquités placés dans les églises et de leur rappeler les conséquences que peuvent entraîner, pour les auteurs d'actes irréguliers de ce genre, les aliénations faites en violation de l'article 5 de l'arrêté royal du 16 août 1824.

Il serait utile à cet effet, lorsque vous attirerez l'attention des administrations fabriciennes sur les considérations qui précèdent, de leur adresser une nouvelle copie de la circulaire du 25 mars 1896 prérappelée.

Vous voudrez bien, de votre côté, veiller à ce que, dans la mesure du possible, une étroite surveillance soit exercée en vue de prévenir les abus de l'espèce et stimuler, dans ce but, la vigilance notamment des commissaires d'arrondissements et des architectes provinciaux, ainsi que des autorités communales, à la connaissance desquelles il conviendra de porter ces instructions par la voie du Mémorial administratif.

Je crois à peine nécessaire, Monsieur le Gouverneur, de vous recommander de ne pas manquer de me signaler d'urgence toutes les infractions à l'article 5 de l'arrêté royal du 16 août 1824, sur la trace desquelles vous pourriez être mis, pour que je puisse aviser immédiatement aux mesures à prendre (1).

Le Ministre de la Justice
CARTON DE WIART.

---

(1) Voir sur cette matière les articles parus dans les *Collationes*, l. c., p. 59 ss., 137 ss.; 287 ss.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

Tissier J. *La vérité aux gens du monde.* In-XII, XV-364 p. Paris, Téqui, 1913. F. 3,50.

Nous signalons volontiers le présent ouvrage à l'attention de nos conférenciers et prédicateurs. Les sujets traités relèvent de la théologie morale et sont avant tout pratiques: « sorte de petite somme aux gentils, tout à fait de nature à disposer les âmes droites à des études et à des vertus plus sérieures » p. XIII (1). L'auditoire visé est un auditoire très complexe, croyant, indifférent ou sceptique, d'une pratique au moins incertaine... « On dit que c'est l'auditoire ordinaire de toutes les messes de onze heures ». Le souci du beau langage et des précautions oratoires destinés à se ménager la sympathie des auditeurs n'empêche nullement l'orateur d'exposer franchement dans leur plein jour la gravité des devoirs à accomplir tant dans la vie privée que dans la vie publique, la multiplicité des périls à éviter, la lâcheté de tant de compromis ou la honte des défaites: en un mot la vie honnête, la vie chrétienne telle qu'elle devrait être de droit et telle qu'elle est de fait. Un mot résume l'impression que nous a laissée la lecture de ce recueil: l'abbé Tissier est une âme d'apôtre et parle un langage apostolique. Nos orateurs sacrés qui s'adressent à un auditoire analogue au sien, s'inspireront utilement de son œuvre.

Moeder Mary Loyola. *Welkom.* Vóór en na de H. Communie. Uit het engelsch vertaald door Pater AUGUST, Capucijn. Brugge, Houdmont, 1912. F. 1,50.

Een boekjen dat weerdig zijnen naam draagt en dat bij allen die het gebruiken zal welkom heeten. Ja, zoo dikwijls staat Jesus in zijn genadebezoeken aan de deur onzer ziel en klopt vruchteloos om er binnen gelaten te worden. Wij zijn niet tehuis om Hem te verwelkomen, niet ingekeerd, maar verstrooid door alledaagsche gepeinzen en kleingeestige bekommernissen, uitgestort over vele zaken die onzen geest en ons hert verdeelen, vergetend het *unum necessarium*. En zoo komt onze Goddelijke

(1) Voici la liste des sujets traités: Où allons nous? L'angoissant problème. Le fait religieux. La route de la foi. Les démentis aux convictions. Le grand obstacle. Le divin pardon. Les impérieuses conséquences. Les perpétuels délais. Les vertus naturelles. Le surhomme. La droiture. La charité. La paix. L'autorité. Le respect. La médiocrité. L'élite. Le sérieux. L'indiscrétion. Les responsabilités. La parole de Dieu. La tâche religieuse. Le devoir catholique. La neutralité. L'éducation domestique. La vocation. La maison chrétienne. Les ennemis de la famille. Les hommes libres.

Gast en gaat heen; wij groeten Hem in 't voorbijgaan, lijk men eenen vreemdeling bejegent, doch geen meerdere innigheid met Hem, geen nauwere vriendschap blijft ons bij na zijn bezoek. Dit werkje van Moeder Loyola leert ons in ons binnenste te treden om er tot het bewustzijn te komen van onze nietigheid, onzen nood en ons lijden en tevens van ons geloof, ons betrouwen en onze liefde tot God, en in dit bewustzijn het gepaste welkom aan den Goddelijken bezoeker toe te sturen. Pater August heeft welgedaan dit werkje in onze taal over te zetten: 't zal zeker bijdragen om de dagelijksche Communie met meer vrucht en ook met meer smaak te leeren gebruiken: want 't is ernstig, getrokken uit Christus' woorden en daden in 't Evangelie verhaald, en het is vroom en levendig, geput uit een diep geloof, eene teedere liefde en tevens eene grondige kennis van het menschelijk hert.

Th. Pègues, O. P. *Commentaire français littéral de la Somme théologique de Saint Thomas d'Aquin* T. VI. La béatitude et les actes humains. In-8, VIII-655. p. Toulouse, Privat; Paris, Téqui, 1911, F. 8.

Après avoir mené à bonne fin son commentaire en cinq tomes sur la *Prima pars* de la Somme théologique, le savant dominicain aborde dans le présent volume avec la *Prima secundæ* la morale générale ou fondamentale de Saint Thomas (1). Nous en trouvons ici les deux premières parties: le traité de la béatitude ou de la fin dernière (qu. 1 à 5) et le traité de l'acte humain proprement dit, considéré en lui-même (qu. 6 à 21).

D'abord de la fin dernière de l'homme.

« Saint Thomas... commence sa morale en considérant de préférence la fin de l'agent, c'est-à-dire, notre tendance vers la fin dernière, dans son traité *de fine ultimo et beatitudine;* et avec raison, car ce n'est pas tant l'étude dogmatique et métaphysique de la fin à laquelle Dieu nous destine, que plutôt l'étude psychologique de notre tendance vers cette fin, qui est propre à la morale » (2). Le Saint Docteur traite la question de la fin dernière de la création considérée du point de vue de Dieu dans la *Prima,* qu. 44, a 4. Nous croyons que le P. P. eût bien fait de rappeler ici cette doctrine (3), ne fût-ce que pour préciser la distinction entre la gloire

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XII, 1907, p. 517 ss ; t. XV, 1910, p. 123 ss. Rappelons une fois de plus la division de la théologie introduite par le génie de Saint Thomas dans sa *Somme:* elle est inspirée par la notion même de la théologie dont « l'intention première doit être de livrer la connaissance de Dieu, non pas seulement selon qu'Il est en Lui-même, mais aussi en tant qu'Il est le principe de toutes choses et leur fin, plus spécialement de la créature raisonnable ». C'est pourquoi le Saint Docteur traite « premièrement *de Dieu,* (c'est la *Prima pars*); secondement *du mouvement de la créature raisonnable vers Dieu,* (c'est la *Secunda pars*, comprenant la morale générale, la *Prima secundæ*, et la morale spéciale, la *Seconda secondæ*); troisièmentent *du Christ qui, en tant qu'homme est pour nous le chemin qui nous permet de tendre vers Dieu,* (c'est la *Tertia pars.*) v. I, qu. 2. proœmium; PÈGUES, t. I, p. 73.

(2) MGR WAFFELAERT, *Exposé sommaire des principes généraux de la science sociale.* Bruges, Beyaert, 1894, p. 25, n° 33.

(3) Coll. I, qu. 47, art. 3, ad 3, d'après le ms. du Mont-Cassin, S. c. Gent, l. III, c. 22 etc.

objective et la gloire *formelle*, pour rappeler la thèse de morale fondamentale que la fin ultime de l'univers est la gloire *formelle* de Dieu et pour montrer ainsi comment l'homme non seulement retourne lui-même à Dieu mais ramène à la fois dans sa louange toute la création visible à son premier principe (1).

Or, « la fin dernière de l'homme est la béatitude, » — c'est, en effet, cela que tous les hommes recherchent dans leur vie, et c'est pour cela uniquement qu'ils agissent. S. Thomas parlera donc d'abord de la fin dernière en général (q. 1); puis de la béatitude: où elle se trouve (q. 2), ce qu'elle est (q. 3-4), comment nous pouvons l'acquérir (q. 5).

La conclusion de cette première partie qui s'impose à l'esprit de l'autorité de la révélation n'est d'ailleurs que la confirmation de ce que notre pure raison nous fait désirer d'un désir naturel, mais d'un désir inefficace ou conditionnel. « Tout être humain, quel qu'il soit et en quelque condition qu'il se trouve,... doit orienter et ordonner sa vie, en fin de compte, vers ce but suprême et dernier; la vue de Dieu dans son ciel de gloire ». p. 207. Cette fin, l'homme doit la mériter par les actes qu'il accomplit sur la terre: quels doivent donc être ces actes par lesquels l'homme méritera la possession de son bonheur futur, quels sont au contraire les actes qui s'opposent à l'obtention de cette fin? Telle est la question qui occupera tout le reste de la *Prima-secundæ*, (actes humains considérés en général), et la *Secunda-secundæ*, (actes humains étudiés en particulier).

Le présent commentaire s'étend jusqu'à la q. 21 incl. et traite des actes qui sont propres à l'homme, de leur constitution (q. 6-17), et de leur distinction en actes bons ou mauvais (q. 18-21). Or ce qui constitue l'acte proprement humain c'est son caractère volontaire. « A ce sujet, nous avons à considérer trois choses: 1° du volontaire et de l'involontaire, en général (q. 6-7); 2° des actes... produit par la volonté elle-même, comme étant immédiatement ses propres actes (q. 8-16); 3° des actes... commandés par la volonté... (q. 17).

Quant à la distinction de l'acte humain en acte bon ou en acte mauvais le Saint Docteur étudie trois choses: 1° « de la bonté et de la malice des actes humains en général (q. 18); 2° de la bonté et de la malice des actes *intérieurs* (q. 19 ; 3° de la bonté et de la malice des actes *extérieurs* (q. 20) ». Dans la q. 21 enfin, il considère ce qui suit à la bonté ou à la malice des actes humains, la raison de rectitude ou de péché, de louable, ou de coupable, de mérite ou de démérite.

Nous croyons inutile de rappeler ici toutes les qualités du commentaire du P. P.; superflu de répéter à propos de ce nouveau volume tous les éloges décernés ici-même aux tomes précédents. Cette fois encore le savant dominicain ne s'est pas contenté d'interpréter fidèlement la pensée du Maître; son œuvre est originale parce qu'elle est pleine d'actualité. Toutes les théories des philosophes moralistes de notre temps sont passées en revue: la morale de Kant, pp. 19, 53, 205; les morales utilita-

(1) Nous reconnaissons cependant n'avoir pas rencontré cette thèse formulée explicitement dans la Somme.

riste, sensualiste, naturaliste, évolutionniste, positiviste, p. 53; la théorie qui veut substituer désormais la psychologie à la métaphysique et à la théologie pp. 82, 120; la morale de la solidarité p. 85: la principale erreur théorique et pratique de nos jours, qui est la neutralisation de tout dans l'ordre scientifique et dans l'ordre moral p. 87. L'auteur esquisse brièvement et critique justement à la lumière de la doctrine de S. Thomas les principes qui sont à la base de ces conceptions prétendûment modernes.

Le problème de la conscience morale est étudié dans la question 19, en particulier à l'article 6, où sont examinés les divers systèmes qui se proposent de résoudre le doute de la conscience. Principe général adopté par tous les auteurs: l'homme ne peut absolument pas se porter à l'acte, tant que la moralité en est douteuse, en d'autres termes on ne peut jamis agir avec une conscience *practice dubia,* même si on a des raisons probables et plus probables de croire son action licite. Donc ni la *conscientia probabilis* ni la *conscientia probabilior* comme telles ne sont une règle légitime d'opération; seule la *conscientia practice certa* constitue cette norme. Comment passer de celle-là à celle-ci? La probabilité ou la simple probabiliorité de la licéité de l'action ne peuvent d'elles-mêmes engendrer la certitude pratique de la licéité. Il faudra donc, à moins de tomber dans l'erreur du tutiorisme, avoir recours à un principe indirect. Or le P. P. rejette le principe « qu'une loi douteuse n'oblige pas », et il réfute l'interprétation donnée au texte de S. Thomas, *de Veritate,* q. 17, art. 3: « nul n'est lié par quelque précepte que ce soit, si n'intervient dans son esprit la science de ce précepte, » qui sert de base à ce principe. Il y oppose un texte de II Sent., dist. 9, qu. 1 art. 2 « qui condamne, à tout jamais, du point de vue de la raison, toute forme de probabilisme, pour ne laisser place qu'au vrai probabiliorisme » p. 578. Voici comment lui-même propose de résoudre le doute envisagé. « N'y aurait-il pas lieu de se demander... s'il ne serait pas à souhaiter qu'on revienne à l'antique simplicité de la morale catholique?... Pour Saint Thomas une seule chose est nécessaire en pareil cas: *se faire une conviction qu'on a le droit d'agir.....* Il faut que cette conviction soit motivée par une raison bonne .. *Et la raison sera bonne, toutes les fois qu'elle procèdera d'une raison sage ou prudente, et d'une volonté droite...* p. 580.... C'est à une question de conviction, faite de prudence et de sincérité ou de bonne foi que doit se ramener toute la question de ce qu'on a appelé la conscience probable. . *celle qui est formée de bonnes raisons, excluant, pratiquement, tout doute ou toute hésitation sur la licéité de l'acte à accomplir...* Cette conscience n'est engendrée que par l'opinion plus probable (1), ou ce qui, pratiquement ou implicitement, est jugé tel,

(1) Si le P. P. entend par « opinion plus probable » une vraisemblance telle en faveur de liberté qu'elle exclut la probabilité de l'obligation, nous sommes d'accord avec lui pour affirmer qu'elle engendre directement la « certitudo probabilis » règle légitime de notre activité morale Mais si cette probabiliorité de la liberté laisse subsister la probabilité de l'obligation, nous ne voyons plus comment elle permet de conclure à la licéité certaine, à moins d'avoir recours à un principe indirect, tel que « *in defectu certitudinis verisimilius est sequendum* ». Or cela, nous l'avons cherché en vain dans l'exposé du P. P. Quant à nous, nous croyons que le principe indirect à invoquer est le suivant: « une obligation ne

par la raison de celui qui agit, pleinement et légitimement convaincu de la licéité de son acte » p. 582. Cette conscience probable, ne se ramène--t-elle pas à ce que Mgr Waffelaert (1) appelle « principium synteresis reflexum: quod omnibus spectatis prudenter credo licitum, id mihi licet »? Or, disons nous, « quod vere probabiliter licitum est, [prudenter credo licitum, siquidem] indirecte certo demonstratur licitum ». Et ainsi nous concluons au pur probabilisme. Nous ne voyons d'ailleurs aucun inconvénient à dire en un certain sens avec le P. P. que cette conscience probable ou cette conviction qu'on a le droit d'agir n'est engendrée que par l'opinion plus probable: en effet, comme le dit encore Mgr Waffelaert (2): « apparentia verisimilitudinis consequens ad assensum quem intellectus uni contradictionis parti præbuit, semper major est quam apparentia partis oppositæ (3). Atque hoc sensu verum est, intellectum numquam assensum præbere nisi parti quæ omni apparentia inspecta tam antecedente quam consequente dictum assensum, apparet probabilior ».

Terminons en félicitant le P. P. de l'œuvre éminente qu'il exécute si vite et si bien: le retour à la doctrine de S. Thomas dans la théologie morale non moins que dans la dogmatique, est un gage certain de progrès scientifique; et le présent Commentaire n'aura pas peu contribué à ce retour (4).

A. LEGRAND.

Rouët de Journel, S. J. *Enchiridion patristicum*. Friburgi Br., Herder, 1911. Fr 12,50.

Hujus operis finem ac indolem ipse Auctor dilucide exponit his verbis: « Cum ab annis amplius quinquaginta omnibus theologiæ studiosis usui sit cl. H. DENZINGER, *Enchiridion symbolorum et definitionum*, operæ pretium fore visum est si, quod ille de Ecclesiæ documentis tam feliciter esset exsecutus, de SS. Patrum operibus tentaretur... Quemadmodum autem

---

s'impose à notre liberté que lorsque nous en avons une connaissance moralement certaine, une *certitudo probabilis*. Mais par là même l'opinion purement probable en faveur de la liberté engendre indirectement la certitude pratique de la licéité d'une action.

(1) *De dubio solvendo*, p. 80, n. 99, 5°.

(2) *Ibid.*, p. 136 ss. n. 168 ss.

(3) Même si *antecedenter ad assensum* « apparentia... pro parte opposita... erat verisimilior », *ibid.*

(4) Le P. P. n'a pas jugé opportun d'ajouter une table d'errata. C'est à tort. Les fautes typographiques formeraient déjà une longue théorie: p. 15, l. 7; p. 20, l. 23; p. 44, l. 6; p. 55, l. 14 et 16; p. 60, l. 3; p. 177, l. 7; p. 188, l. 10; p. 212, l. 30; p. 216, l. 9; p. 217, l. 30; etc. Signalons certaines corrections plus importantes: p. 23. l. 4 et 5, p. 157, l. 10 et 12, deux cas de dittographie; p. 181, l. 4, lire « deuxième » au lieu de « troisième »; p. 208, l 12, « spéciale, au lieu de « générale »; p. 238 le 13-14. « L'incontinent... agit contrairement à ce qu'il veut maintenant ». S. Thomas écrit: « Incontinens concupiscentiæ agit contra id quod prius proponebat, non autem contra id quod nunc vult »; p. 572, l. 36-37, la proposition attribuée à Alexandre III est la 27e des propositions condamnées par Alexandre VII le 24 septembre 1664, Denzinger-Bannwart, n. 1127.

Enchiridion symbolorum integram Conciliorum et Pontificum doctrinam et historiam non suppeditat, ita nos multo etiam minus totam SS. Patrum theologiam exponendam suscepimus; ita ut nihil a nostro proposito magis alienum fieri posset quam si quis, hoc libello contentus, ipsorum Patrum opera adire neglegeret, quorum immediato tantum commercio plenus ac genuinus catholicæ traditionis sensus haurire potest.

» At neminem fugit sacræ theologiæ lectorem vel auditorem quam arduum sit traditionis quod vocant argumentum brevi scholarum spatio complecti... Hoc igitur commodi ab isto libello exspectatur ut præstantiora patristicæ traditionis documenta discipulis præsertim, dum scholas audiunt vel relegunt, in promptu sint tamquam in summulam quamdam collecta; quæ, licet apertum prorsus dogmatum historiæ campum relinquat nec minutas singulorum scriptorum referat opiniones, tamen propter accuratum locorum delectum eorumque chronologicam dispositionem facili conspectu illustriores quosque catenæ traditionis, ut aiunt, anulos exhibeat ».

Magna porro cura inquisivit A. textus et retulit secundum meliores editiones, quæ semper indicantur; textibus græcis adnectitur versio latina; textuum Syriacorum sola versio latina traditur. Incipit *Enchiridion* a textibus ex *doctrina duodecim Apostolorum* (90-100); terminatur vero cum scriptis S. Joannis Damasceni († circ. 754). Quatuor in fine operis ponuntur indices: *index chronologicus* scriptorum et operum; *index theologicus*, præsertim ad usum scholarum compositus, ita ut quæstiones non tam modo historico exhibeat quam eo ordine et forma quibus in schólis tractari solent; *index locorum scriptnræ; index alphabeticus* scriptorum, operum, rerum.

Theologiæ igitur discipuli, qui nequeunt per semetipsos integra Patrum opera legere, invenient in laudato libero præcipuos textus quibus argumentum ex traditione conficitur pro singulis dogmatibus; etiam concionatores sententias Patrum in re dogmatica præclariores poterunt ibi facile haurire. Illi vero studiosi qui incumbunt patrologiæ studio et proinde ipsa Patrum scripta, et quidem integra, perlegere debent, ut detegant veram illorum sententiam, commodum ex prælaudato opere accipere poterunt, præsertim initio prædicti studii, quia manuducentur in generali quodam habendo conspectu de doctrina Patrum et indicata invenient præcipua asserta, necnon opera quæ præ aliis sunt consideranda.

Mutuo sese complent tria opera illa: DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion symbolorum ac definitionum* (1); KIRCH, *Enchiridion fontium historiæ ecclesiasticæ antiquæ* (2); tandem opus quod commendamus.

J. VAN DER MEERSCH.

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 296.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 239.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Junii.

—

I

Paucis expone argumentum generale visionis septem tubarum quæ describitur in Apocalypsi, c. VIII, 2-XI.

II

Utrum Adam in statu innocentiæ indiguerit gratia actuali interna excitante?

III

Quid requiritur, tam ex parte delicti quam ex parte delinquentis, ut incurratur casus reservatus falsæ denuntiationis confessarii?

IV

Quandonam, quomodo et quibusnam sub cautelis absolvere potest communis confessarius a dicto casu S. Pontifici reservato?

V

Faites connaître l'attitude des Papes du XVe siècle à l'égard des manifestations de la théorie conciliaire.

VI

Exposez le sens et les cérémonies du *Memento* des vivants, dans le canon de la Messe.

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques*, 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia*, in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium : 8 fr.; pro clero Belgico : 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix : 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi*, Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

C. Callewaert. *La réforme du Bréviaire, son esprit, ses prescriptions nouvelles.* — Documents et commentaire. (Extrait revisé des *Collationes Brugenses*, 1912). — Bruges, Beyaert; Ad. Maertens-Matthys. — In-8, 64 p. Prix : 0,50 frs.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii.* Brugis, Beyaert. In-8, LXXXIV-376 pp. Fr. 6.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Acta Congregationis Prosynodalis

habitæ die 6a Maii 1913, in Palatio Episcopali Brugis

Recitato hymno *Veni Creator*, Illmus ac Revmus Dnus venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

Reverendi admodum ac dilectissimi Domini,

Universæ theologiæ, cum dogmaticæ tum moralis, ad instar coronidis est theologia mystica, utpote quæ nos docet veritatem revelatam omnemque scientiam sacram practice applicare ad finem totius vitæ præsentis consequendum, nimirum perfectionem christianam.

Ideo sæpius ac fervide, qua verbis qua scriptis, adhortati sumus dilectum Clerum, ut sedulo in studium theologiæ quoque mysticæ incumbant; et commonuimus expresse ut ne sibi præprimis, sed nec animabus inter sibi commissas electis — quæ numero longe majori sunt quam autumari solet — satis esse velint quod quamdam morum honestatem virtutemque christianam, communem necessariamque omnibus, prosequantur et colant; ne proinde in ipso limine vitæ perfectæ hæreant atque sistant, id est, in ascesi proprie dicta, quæ tota in impugnandis vitiis et dirigendis affectibus seu passionibus animi versatur, et adeo nonnisi pars, eaque quasi negativa, perfectionis ac justitiæ christianæ dici potest. Sed et hoc vehementer cupimus ut altius ascendant aliosque provehant, videlicet magis positive proficiant ipsi animasque conducant ad vitam interiorem, quo tandem perveniant aliosque secum simul attollant ad vitam perfectam contemplativæ unionis cum Deo. Hic solus terminus esse debet,

ad quem aspirare deceat sacerdotem præprimis, sed et omnem denique hominem justum Deoque bene placentem.

Hæc omnia attenta mente considerantes quidam e vobis, Rev^di adm. ac dilectissimi cooperatores, votum prompsere ut uno prospectu brevique compendio proponamus aliquando integrum vitæ perfectæ curriculum. Cui quidem voto, quo nihil gratius esse nobis potuit, libentissime annuendum censuimus, et hanc nostri conventus opportunitatem nacti, id nunc præstare conabimur, sperantes atque in Domino confidentes fore ut tum dilectissimo Clero sive sæculari sive regulari, tum sanctimonialibus totique populo christiano uberrimi fructus sanctitatis proveniant, Deoque optimo maximo laus, amor et gloria accrescant. Neque enimvero, si vel unam animam efficaciter attingere nos contingeret, operam nos perdidisse crederemus, siquidem eximius ille contemplator, S. Joannes a Cruce, haud dubitat asserere: actum puri amoris animæ contemplativæ vel minimum majoris pretii esse apud Deum, plusque prodesse Ecclesiæ ipsique illi animæ, quam reliqua opera simul omnia.

*
* *

Itaque, vita spiritualis seu hierarchica, ut loquuntur Mystici, varios gradus habet, quos solent ad tres generales reducere.

Primum vocant *viam purgativam,* quæ adeo *initialis* est ac *præparatoria*, et *quasi negativa,* utpote removens perfectionis obstacula atque impedimenta progressus. Non quidem de removendo peccati statu agitur, siquidem ponitur justus, gratia ac charitate cæterisque virtutibus et donis infusis a Deo donatus, qui ad ulteriora se extendat, ad majorem justitiam et charitatem contendat, ut tandem ad charitatis perfectionem intimamque cum Deo contemplativam unionem pertingat. Unde hic primus gradus quoque *incipientium* dicitur, nempe justorum, charitatem quidem, atvero incipientem seu initialem adeptorum.

Hoc primum stadium vitæ hierarchicæ pertinet ad vitam activam — ad intra intellige, non ad extra seu apostolicam (1)

---

(1) Vita activa duplici sensu dicitur: alia est ascetica, præparatoria ad

— et *ascesi* proprie dicta continetur, seu exercitio virtutum moralium, quæ removent omnia prohibentia profectum ad vitam perfectiorem. Hæc enim impedimenta haud alia sunt quam inordinati affectus seu passiones, necnon vitia seu radices et sequelæ, symptomata ac reliquiæ peccatorum, ipso licet jam expulso peccato. Atqui, hæc omnia impugnantur, ut patet, exercitio virtutum moralium, quæ ad quatuor cardinales reducuntur; et perfecte quidem expelluntur eadem impedimenta exercitio trium consiliorum evangelicorum, sive re et facto, sive spiritu ac veritate æquivalenter tantum consilia observentur; quæ pariter observatio non aliud importat quam virtutum moralium exercitium perfectum.

Re quidem vera, opponuntur tria consilia evangelica triplici concupiscentiæ, quæ omnium vitiorum origo est: paupertas nempe opponitur concupiscentiæ oculorum seu divitiarum, castitas concupiscentiæ carnis, obedientia ejusque comes ac radix, humilitas, superbiæ vitæ. Et quemadmodum omnia vitia ex triplici concupiscentia oriuntur, ut satis manifestum est, sic virtutum moralium, istis vitiis oppositarum, exercitium, si perfectum sit, cum exercitio consiliorum coïncidit.

Qui enim paupertatem evangelicam sectatur, facile justitiam omnesque virtutes quæ sunt *ad alterum*, justitiæ quovis modo annexæ, observabit, omnem injuriam in bonis vel minimis, id est, mere externis, vitans, adeoque minori vel nullo negotio in majoribus proximi bonis, honoris ac famæ, corporis ac membrorum injurias abhorrens. Eoque facilius omnia justitiæ præcepta servabit pauper ille, quod simul perfectæ obedientiæ, hujusque radicis, scilicet summissi animi, consilium sectatur, quæ rursum obedientia virtus est annexa justitiæ; quibus qui insignitus est virtutibus longe recedit ab omni injuria, contentione, ira, rancore, invidia, aliisque similibus vitiis.

---

interiorem, affectivam; alia est, quæ comitatur seu subsequitur ipsam quoque vitam contemplativam, atque cum ea vitam mixtam, perfectam componit, et merito apostolica vocatur, cum apostoli simul contemplativam, et hanc activam vitam ad extra seu erga proximum perfecte exercuerint.

Ad fortitudinem quoque omnesque virtutes ad eam spectantes in actum deducendas seu ad ardua ac fortia agenda atque patienda nemo disponitur aptius, quam qui liber est et vacuus a creaturis omnibus per spiritum paupertatis, imo et a seipso vacuus et liber per summissionem animi et propriæ voluntatis abnegationem.

Porro perfecte temperans facile erit in omnibus, qui vehementiori delectationum concupiscentiæ resistere novit per castitatem.

Prudentiæ denique loco erit sectatori consiliorum ipsa obedientia humilis et cæca, quæ nunquam non ducit secura ad optatum finem.

Ex his manifestum est, in consiliis evangelicis sequendis non quidem esse ipsam perfectionem vitæ christianæ, sed iter arripi brevius ac tutius ad vitam perfectam, primumque viæ stadium percurri, remotis quam efficacissime perfectionis impedimentis.

Porro, consilia evangelica vel libere observari possunt, utpote consilia, non præcepta; vel, adjectis votis et libera sese obligandi voluntate, jam ut præcepta ligantia. Et hoc perfectius est, cum perfectio voti accedat, et præcludatur animi inconstantia, totumque se dedat homo ad perfectionem prosequendam. Rursum servari possunt eadem consilia, vel re et facto, ut in iis contingit qui votis se ligant; vel æquivalenter tantum, in veritate tamen et spiritu, ut fieri assolet ab iis, qui ad perfectam vitam sese præparare student, conditione vero vitæ suæ ab observatione reali consiliorum arcentur.

Hisce attentis, liquet consilia evangelica, quemadmodum non sunt de necessitate præcepti, nisi iis qui libere sese votis ad ea adstringunt, ita nec esse de necessitate medii ad perfectionem attingendam, saltem re et facto exercita, cum non sint ipsa perfectio, sed tantummodo primus gressus præparatorius ad perfectionem, removendo, integre quidem, ejus obstacula et impedimenta: et cum aliunde, hæc ipsa impedimenta sufficienter removeri possint exercitio virtutum moralium. Attamen, qui ad perfectionem aspirat sine votis consiliorum, vel in ea conditione vitæ quæ votis istis non congruit, ita perfecte virtutibus moralibus exercendis vacabit, ut consilia æquivalenter exsequatur, nempe spiritu pau-

pertatis, castitatis cultu pro conditione vitæ quam perfectissimo atque mente supra carnales delectationes ad Deum sublevata, spiritu demum obedientiæ per abnegationem propriæ voluntatis.

Nos autem sacerdotes, Dilectissimi Domini, sine ullo labore hoc primum viæ perfectionis spatium, si voluerimus, percurremus, ut duobus abhinc annis in oratione ad vos habita ostendimus: nam consilia evangelica alia re et facto servanda habemus, ut est castitas perfecta, et, intra certos limites, obedientia; alia æquivalenter exsequendi continuo nobis opportunæ offeruntur occasiones, nempe plene abnegandi propriam voluntatem, et spiritum paupertatis colendi, quemadmodum ibidem exposuimus.

*
* *

Secundus gradus in via perfectionis dicitur via *illuminativa* seu *proficientium,* utpote jam *positivus* ascensus ad divinum lumen, aliquando in tertio gradu contemplandum, et progressus in divina charitate, in ordine ad unionem intimam cum Deo tandem attingendam, quæ est perfectorum.

Igitur, in hoc gradu, remotis jam impedimentis perfectionis, ascendimus ad vitam magis internam, et commercium amoris perfectioris cum Deo. Quod non ita intelligas, ut cessare debeat aut possit omnis exercitatio ascetica, et impugnatio passionum inordinatarum atque vitiorum. Quamdiu enim in hoc mortali corpore vivemus, oportebit, etiamsi vel ad tertium gradum unionis contemplativæ ascenderimus, nobismetipsis invigilare, neque ex integro viam purgativam relinquere licebit. Adeoque tres illæ viæ, purgativa, illuminativa et unitiva nequaquam sunt ita ab invicem separatæ ac divisæ ut, dum posteriorem aggredi licet, prior ut omnino confecta plane deseratur; contra, posteriorem legitime aggressi, priorem quodammodo parallelam percurrere, plus tamen minusve pro diverso progressu, pergimus.

Sed hoc intendimus ut ne perpetuo hæreamus in eodem gradu, maxime in primo mere præparatorio ad vitam perfectam, atvero progrediamur et ascendamus altius.

Itaque, hic secundus gradus, ut ad rem reflectenti facile patet, præprimis in exercitio virtutum theologalium et donorum Spiritus sancti consistit.

Etenim virtutes theologicæ eæ sunt, quæ intellectum et voluntatem nostram cum Deo uniunt, in ordine ad vitam atque actionem supernaturalem et divinam, habentque pro objecto proprio ipsum Deum, ad quem in hoc secundo gradu jam positive ascendimus, quo et perfectius eum cognoscamus, et perfectiori charitate diligamus.

Dona autem Spiritus sancti, quæ minora sunt virtutibus theologicis, a quibus dependent et regulantur, potiora vero reliquis virtutibus infusis, sunt habitus nos perficientes ut prompte sequamur instinctum Spiritus sancti, sine quo instinctu nulla sanctitas nec perfectio operum. Igitur dona nos expeditos reddunt ut facilius actus, etiam præcellentes, quarumcumque virtutum efficere valeamus. Unde liquet dona Spiritus sancti, quamvis, sicut et virtutes theologicæ, etiam in primo purgationis gradu usui sint, tamen maxime in secundo proficientium in divino amore, sicut et virtutes theologales, prodesse vimque suam exerere, specialique titulo ad secundum et tertium gradum in via perfectionis pertinere atque in secundo perfectius, in tertio perfectum habere exercitium.

Hic secundus gradus pertinet magis ad vitam internam et affectivam, quam ad activam illam præcedentis gradus; estque vita vividæ fidei, ita ut, adjuvantibus donis scientiæ, consilii et intellectus, in omni opere ducamur motivo supernaturali, et Deum ejusque perfectiones et opera tum ratione fide illuminata ex creaturis, tum ex doctrina superne revelata melius cognoscamus, quo magis ad eum diligendum incitemur. Est vita spei divinæ, qua, contemptis rebus fluxis hujus mundi, aspiramus ad perenne summumque bonum, Deum, in omnibus ducti fiducia immota in ejus Providentia, fretique ejus auxilio omnipotenti. Est vita charitatis, qua continuo in divino amore progredi satagentes omnia opera nostra ex perfectissimo istius amoris motivo exsequamur.

Ad hoc stadium pertinet præprimis et proprie consideratio atque meditatio vitæ ac passionis Christi, necnon jam inchoatum exercitium contemplationis ejusdem Verbi incarnati, ejusque sacræ humanitatis. Ipse enim dixit: *Ego sum via, veritas et vita.* Et iterum: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Jamvero, via illuminativa ea est, quæ propius ducit ad divinam contemplationem atque unionem intimam cum Deo.

Hæc omnia fusius prosequi per tempus non licet, pauca tamen quæ attigimus manuducent, ut putamus, ad hujus rei **plenam intelligentiam.**

*
* *

Tertius gradus, quem brevius adhuc absolvere oportebit, est *via unitiva* quam vocant, id est unionis contemplativæ cum Deo, ita ut intellectus sit Deo unitus per actum suum perfectissimum, scilicet contemplationis; voluntas autem per charitatem perfectam, quantum in hac vita perfecta esse contingit charitas. Ideo hic gradus quoque *perfectorum* dicitur.

Abstrahimus heic a donis gratis datis, quibus aliquando, potissimum in hoc perfectorum gradu, dilectos suos mirabiliter gratificat Deus; et de sola contemplatione, supernaturali quidem, ast magis activa ex parte nostra agimus, quam videlicet gratia divina et dono præcipue sapientiæ adjuti, propria tamen activitate exercemus, dum illam suidictus dictam supernaturalem et dono gratis dato infusam quodammodo patimur, etsi intellectus, utpote facultas vitalis, **numquam mere passive sese habere potest.**

Heic autem sistimur ante abyssum, inexhaustumque thesaurum rerum divinarum, quem, inviti licet, fere præterire cogimur. Pauca tantum et quasi summis labris delibamus. Itaque, brevitatis causa, hanc contemplationem Dei, unius et trini, consideremus ut exercitium quoddam perfectum divinæ præsentiæ, ut aiunt; in quo jam nullus est discursus rationis nec meditatio, sed simplex intuitus, isque sapidus seu cum gustu et quiete summa in Deo. Ut enim loquuntur Mystici, sapientia illa divinitus infusa per donum Spiritus sancti magis a sapore dicitur quam a sapere, et ut alii dicunt, **est sapida scientia.**

Hanc contemplationem seu divinam præsentiam exercere possumus, vel ascendendo, vel descendendo.

Ascendendo a creaturis, tamquam a speculo divinarum perfectionum, et a veritatibus de Deo revelatis, usque dum, eliminatis omnibus imaginibus, omnique cognitione distinctarum perfectionum, perveniamus ad illam summam rem, quæ Deus est, quæque seipsa suapte perfectione, simul summa activitas est in processione personarum æterna per intellectum et voluntatem, simulque summa quies et beati-

tudo in unitate suæ essentiæ; quo attento, admonemur summam activitatem nostram esse debere, intellectus quidem in intuitu illius summæ divinitatis, voluntatis vero in amore Dei numquam satiato; summam nostram quietem et beatitudinem in ipso solo Deo. Huc perventi, « supra omnem cognitionem et scientiam, *ut loquitur B. Rusbrochius*, infinitum sive abyssale quoddam nescire in nobis sentimus ac deprehendimus... Supra omnes appellationes vel nomina omnia, quæ tum Deo tum creaturis tribuimus, emorimur atque transcendimus sive excedimus in æternum quiddam omnis nominis expers et innominabile, in eodem ipso nos amittentes... ultra quævis virtutum exercitia intra nos perenne quoddam otium conspicimus ac experimur... et supra cunctos spiritus beatos, infinitam ac immensam beatitudinem... (1) ».

Descendendo in nosmetipsos pariter Deum contemplandum reperiemus: non enim longe est ab unoquoque nostrum, siquidem justus templum est Dei, et Spiritus sanctus, perque eum divina Trinitas habitat in illo.

Faciamus ergo solitudinem et silentium circa nos, et descendamus in animam nostram. Transeundo partem sensitivam et eliminando e sensibus omnem imaginem creataque omnia, introeamus ad intellectum, nihil in eo servantes nisi Dei cogitatum, reliquis omnibus illi subordinatis vel et expulsis; ad voluntatem, eliminato omni affectu præter divinum amorem, aut certe reliquis affectibus omnibus eidem amori subordinatis. Penetremus altius, pertranseundo omnia pretiosa dona a Deo infusa, ad centrum usque animæ et sanctuarium intimum, in quo habitat Auctor ipse omnium donorum, Spiritus sanctus, cum Patre et Filio, ineffabilis Trinitas et indefectibilis Unitas. Ecce rursus invenimur coram summo Deo, qui simul infinita activitas est simulque suprema quies et beatitudo, ut supra; atque sentimus Deum merito esse debere objectum omnis cogitationis nostræ, omnis desiderii atque spei, omnis amoris nostri, in eo solo esse locum requiei et omnem beatitudinem nostram.

Hujusmodi contemplationi correspondere intimum cum Deo charitatis commercium atque unionem ineffabilem nemo

---

(1) *De septem grad. amoris*, c. 14.

non intelligit, sed hanc explanare non licet, quin nimis protrahatur hæc jam longior oratio. Cæterum, hanc unionem sentire magis juvat et minus ægre contingit, quam eamdem verbis enarrare; hanc beatam unionem perfectæ charitatis ut nos omnes, Rev. ac dilectissimi Domini, aliquando experiri concedat Deus, ex toto corde optamus atque precamur, eo vel magis quod hæc suprema unio charitativa cum Deo fundamentum est atque radix omnis vitæ nostræ apostolicæ, cui sola efficaciam tribuere et fœcunditatem omnimodam effundere valet.

Quum Rev^mus^ D^nus^ dicendi finem fecisset, auditis Ampl. et RR. adm. DD. votis, a Rev^ma^ sua Dominatione promulgatæ sunt ordinationes sequentes:

I.

Quoties requiritur a parocho testimonium baptismi suscepti, non sufficit ut ipse testetur N. esse baptizatum tali die, mense, et anno, sed oportet ut ad verbum exscriptum transmittat ipsum *actum* baptismi, prouti in registro baptizatorum jacet, non omisso nomine subscripto baptizantis; hunc vero actum transsumptum parochus cum originali concordare testificetur.

II.

Rescripto S. Congregationis Concilii d. d. 2 Aprilis 1913 denuo Nobis ad triennium prorogata est facultas justa de causa et servatis servandis missarum perpetuarum onera reducendi. Qua facultate Apostolica utentes prorogamus reductiones temporaneas a Nobis aut Decessoribus nostris concessas, declarantes istam prorogationem valituram *usquedum rationum momenta allegata perdurabunt;* sed ad tramites concessionis pontificiæ, oportet ut de missarum sic reductarum adimplemento quotannis singuli indultarii nos edoceant.

III.

Sciant RR. DD. Parochi diebus dominicis quibus post summum sacrum instituitur processio SS^mi^ Sacramenti, ideo non posse omitti concionem aut instructionem post Evange-

lium; excipienda tamen est dominica infra octavam SSmi, propter majorem processionis durationem.

IV.

Majoris uniformitatis gratia in laudibus vespertinis celebrandis, statuimus ut deinceps in omnibus festis 1æ et 2æ classis omittantur preces *a Nobis imperatæ,* sub quibus comprehenduntur *Litaniæ lauretanæ,* ideoque harum loco in præfatis festis cantandum est *Ave Maria.*

Volumus insuper ut mense Martio Litaniis lauretanis substituantur *Litaniæ S. Joseph,* a Summo Pontifice Pio X decreto S. C. R. diei 18 Martii 1909 pro cultu etiam publico adprobatæ et tercentum dierum indulgentia ditatæ (Cfr. Collationes Brugenses T. XIV, p. 298) quas lingua vulgari edi curavimus.

V.

In posterum post missam in honorem SSmi Cordis Jesu celebratam in prima feria VI mensis unice recitetur *Actus consecrationis SSmo Cordi,* omisso *Actu reparationis,* quem in laudibus vespertinis litaniis in honorem ejusdem divini Cordis addere oportebit.

VI.

Memores sint sacerdotes directioni scholarum dominicalium præpositi præcipuas muneris sui partes esse ut doctrinam christianam alumnos doceant: quapropter numquam catechismi explicationem omittere licet.

VII.

Prohibemus ne sacerdotes aut sorores religiosæ membra sodalitatum quarumvis aut alumnos alumnasve scholarum ad stationes balnearias tempore æstivo *(durant la saison)* turmatim ducant. Quod si fiat alio anni tempore, tempestive præmoneatur parochus loci quem adire intendunt, atque illius consilium exquiratur circa cauponam ad quam refectionis causa divertere liceat.

VIII.

Volentes ponere limitem expensis nimiis a parochis primum nominatis aut ad aliam parochiam promotis, occasione suæ inaugurationis fieri solitis, statuimus ut parochus, nisi sit simul Decanus, ad suam installationem alios non invitet, præter sequentes:

1/ laicos ratione muneris sui invitari consuetos et parentes ad tertium gradum civilem (degré d'oncle et neveu);

2/ Sacerdotes parochiam suam inhabitantes vel ex ea oriundos, necnon cognatos;

3/ Parochum ac vicepastores parochiæ e qua recedit;

4/ Parochos ejusdem civitatis necnon illos quorum parochia suæ est contermina.

Brugis, 20 Maii 1913.

† G.-J., Episc. Brugen.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas.

—

I

Q. *Generali modo determina sensum visionis libri cum septem sigillis quæ describitur in Apocalypsi, cc. IV-VIII, 1.*

R. Expleta visione septem epistolarum quas scribere jubetur ad septem ecclesias Asiæ minoris earumque episcopos (1), jam incipiunt, cum c. IV, variæ visiones de futuris Ecclesiæ fatis. — Prima visio est libri cum septem sigillis, descripta cc. IV-VIII, 1, quæ in re difficili et in magna sententiarum varietate sic videtur interpretanda (2).

Introducitur visio in c. IV: Joannes videt Deum Patrem in majestate sua: videt nim. cœlum apertum (v. 1), illudque ingressus, videt ipsum Deum Patrem throno insidentem (vv. 2-3), et circa ipsum 24 seniores (vv. 4-5) et 4 animalia (angeli): omnes Deo laudem decantant (vv. 6-10).

Nunc autem videt Joannes super (græce: [illegible]) dexteram, seu dexteræ manui Dei impositum, librum ali-

---

(1) De his vide *Collat. Brug.*, t. VI, pp. 349 ss.; XII, 451 ss., et *supra*, pp. 65 ss., 129 ss.

(2) Cfr. CALMES, *Epitres catholiques, Apocalypse* (Paris, 1905); SWETE, *The Apocalypse of St John* (London, 1906); BEELEN, *Het nieuw Testament* (Brugge, 1892), t. III; CEULEMANS, *Commentarius in epistolas catholicas et in Apocalypsim* (Mechliniæ, 1904); *Les dictionnaires de la Bible, — de théologie catholique, — apologétique de la foi catholique*: v° *Apocalypse*, — variaque opera ibi citata. — Cfr. VIGOUROUX-BACUEZ-BRASSAC, *Manuel biblique* (ed. 13, Paris, 1911), t. IV.

quem, scriptum intus, et foris (in t. græco: retro) signatum sigillis septem (1).

Iste liber — quem magis obvie intelligimus verum *librum*, non *volumen* (2) — *scriptus* est *intus:* ad hoc cognoscendum non indigebat Joannes ulla revelatione, sed obvie concludere poterat librum, tam sedulo signatum et quem Deus manu tenet, sane scripta continere; unde, ut videtur, illud notat ut innotescat quantum sint abscondita quæ in libro conscripta sunt: nihil apparet, omnia sunt scripta intus (3), et ipse liber retro (vel foris) *septem sigillis signatus* est, sane ideo ne aperiatur et legatur.

Quidnam autem in libro scriptum erat? — Sententia communis sic respondet: In sequentibus, dum successive aperiuntur sigilla, singula vice varii eventus describuntur contingere (vide infra): hi eventus in libro conscripti erant, et dum sigilla successive aperiuntur, apparent. — Ast huic sententiæ omnino obstare videtur quod liber septem sigillis signatus, obvio sensu intelli-

---

(1) Triplex hic occurrit lectio varians: textus ordinarius legit: ἐσωθεν καὶ ὀπισθεν *(intus et retro)*; — duæ lectiones rariores: εμπροσθεν καὶ ὄπισθεν *(ante et retro)*, et εσωθεν καὶ εξωθεν *(intus et foris)*. — Omnino præferenda videtur lectio prima, tum propter auctoritatem codicum, tum propter rationem intrinsecam sequentem: facile intelligimus quomodo amanuenses posteriores, legentes textum illum: *intus et retro*, eum mutaverint: hæc duo enim: *intus* — et — *retro* non bene sibi respondent, et ideo alii mutaverint: intus et *foris*, alii: *ante* et retro; ex opposito vero difficile intelligitur quomodo amanuensis legens unum ex hisce duobus textibus: intus et foris, vel: ante et retro, eos mutaverit in textum difficilem: intus et retro. — Hic autem textus sic videtur legendus, neglecta punctuatione Vulgatæ: librum scriptum intus, et retro (vel foris) signatum sigillis septem. — Cfr. notam sequentem.

(2) In seqq. enim continuo agitur, non de *revolvendo*, sed de *aperiendo* libro. — Hinc quoque confirmatur sensum non esse quem communiter admittunt et quem sequitur Vulgata, quasi liber esset *scriptus foris*. Etenim librum foris scriptum non ita obvie intelligimus; præterea si liber esset scriptus foris, hæc saltem foris scripta legi possent, quin oporteret solvi signacula: jamvero in seqq. continuo supponitur nil legi posse quousque sigilla solvantur.

(3) Sic vere *excluditur* hypothesis librum esse *foris scriptum*.

gitur manere clausus nihilque de scriptis apparere, donec *omnia* sigilla sint soluta (1). Ut videtur proinde, omnes isti eventus, qui describuntur ad aperitionem sex priorum sigillorum, significant ea omnia quæ præcedere et præparare debent aperitionem ultimi sigilli proindeque ipsius libri, VIII, 1. Hæc autem ipsius libri aperitio nil aliud significare videtur quam ipsum judicium ultimum quod in fine temporum veniet Christus exercere in mundum, dum puniet impios et bonos remunerabitur, et definitive regnum suum ingredietur. Quod ex jam dicendis apparebit.

C. V, v. 2, videt Joannes Angelum rogantem quisnam aperturus sit librum, et nemo dignus reperitur; quare multum dolet Joannes; sed ecce, unus de Senioribus ipsum consolatur: « Ecce Christus vicit, et victoria sua meruit librum aperire » (vv. 2-5). — Et revera apparet Agnus, tamquam occisus, Christus np. gerens adhuc luctæ suæ, passionis suæ vestigia, cicatrices vulnerum (v. 6). Ipse accipit (2) librum de manu Patris (v. 7), dum Seniores et Animalia ipsi laudem decantant: « Dignus es, Domine, aperire librum, quoniam occisus es », seu per passionem et mortem tuam meruisti ut aliquando venias judicare tibique submittere totum mundum: « redemisti enim, sanguine tuo, homines ex mundo universo » (vv. 8-10); — et sequitur canticum myriadum myriadum et millium millium angelorum (vv. 11-12), omniumque creaturarum (vv. 13-14).

In capp. VI-VIII, 1, successive *aperiuntur* a Christo *septem sigilla;* ad singula sex priora describuntur varii

---

(1) Nimis contortæ videntur et in textu Joannis nullum fundamentum habent, variæ explicationes inventæ ab auctoribus: liber, sic aiunt, constiterit septem membranis seu voluminibus, quæ singula suum sigillum habebant; — vel: liber fuerit septem fasciculis distinctus, qui singuli singulis sigillis erant obsignati, — etc.

(2) Lectio Vulgatæ; cum *aperuisset* librum, certe mendosa est, quum discrepet a textu græco, et contradicat omnibus sequentibus in quibus supponitur liber adhuc clausus et aperiendus. — Vulgata ipsa olim habuerit: cum *accepisset*.

eventus in mundo contingentes: qui omnes paralleli sunt cum iis quæ Christus, in sermone suo apocalyptico apud Synopticos relato, describit tamquam præparatoria ad secundum suum adventum ultimumque judicium. Nimirum:

Ad *primi* sigilli aperitionem, apparet equus albus cui insidet eques arcu armatus exiens ad victoriam: *Evangelium triumphaliter percurrit mundum.* — Cfr. Matt. XXIV, 14: « Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio ».

Ad *secundi* sigilli aperitionem, apparet equus rufus, cui insidet eques spargens bellum et discordiam inter homines: *Cruenta bella erunt in mundo.* — Cfr. Matth. XXIV, 16 s.; Marc. XIII, 7 s.: « Audituri estis prælia, et opiniones præliorum...; consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum..... Et scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem ».

Ad *tertii* sigilli aperitionem, apparet equus niger, cui insidet eques stateram manu tenens, dum proclamatur penuria rerum necessariarum: *Fames erit in terra.* — Cfr. Matth. et Marc. ll. citt.: « Et erunt... fames ».

Ad *quarti* sigilli aperitionem, apparet equus pallidus, cui insidet mors et quem sequitur infernus, i. e. receptaculum animarum separatarum: *Mortalitas ingens.* — Cfr. ll. citt.: « Et erunt pestilentiæ ».

Ad *quinti* sigilli aperitionem, videt Joannes animas martyrum propter fidem occisorum: hæc persecutio nondum punita est, sed prius complendus est numerus martyrum: *Persecutiones cruentæ contra Christianos.* — Cfr. Matt. XXIV, 9: « Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos, et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum ».

Ad *sexti* sigilli aperitionem fiunt terræmotus, sol fit niger, luna fit sicut sanguis, stellæ cadunt super terram...., et homines terrore percussi se abscondunt et dicunt montibus et petris ut cadant super eos, ut sic

fugiant ab ira agni: *Perturbationes naturæ creatæ.* — Cfr. Matth. XXIV, 7, 29 s.: « Et erunt terræmotus per loca... Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo et virtutes cœlorum commovebuntur... et tunc plangent omnes tribus terræ: et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate ». — Et Lc. XXI, 25: « Et erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura (terror) Gentium præ confusione sonitus maris, et fluctuum: arescentibus hominibus præ timore, et expectatione, quæ supervenient universo orbi ». Et Lc. XXIII, 30: « Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, et collibus: Operite nos ».

Septimum sigillum manet aperiendum, seu instat ipsa consummatio, dies qua Christus omnes inimicos suos sibi submittet, instat ultimum judicium; et revera, occasione sexti sigilli, ultimo vers. capitis VI nuntiatur: « Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum » (i. e. Dei Patris et Agni seu Christi).

Et tamen non statim solvitur septimum sigillum, sed ponitur in c. VII *duplex visio intermedia*, seu interrumpitur narratio duplici interludio: hisce ostenditur quid fiet de Ecclesia durantibus his omnibus eventibus in præcedentibus descriptis, quæ finem mundi præcedent (1).

Tandem in c. VIII, v. 1 *solvitur septimum sigillum:* « Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, quasi media hora ». — In immediate sequentibus (VIII, 2-XI) describitur visio *septem Angelorum cum septem tubis:* juxta nonnullos hæc tota visio septem tubarum pertineret ad septimum sigillum; sed, ut videtur, immerito: etenim post omnia ista præparatoria, descripta occasione sex priorum sigillorum, hæc septimi sigilli aperitio est aperitio ipsius libri, est

(1) De hac utraque visione dicetur in I. resp. fasciculi *Collat. Brug.* proximi.

adventus illius « magnæ diei iræ Agni » quæ c. VI, v. 17 imminere dicebatur: est ipsum judicium ultimum a Christo exercendum.

Visio septem tubarum non videtur chronologice *sequi* ad visionem septem sigillorum, sed utraque visio, parallelo modo composita (1), idem significat: ea omnia quæ secundum Christi adventum præcedent: sicut aperitio septimi sigilli seu ipsius libri jam non est aliquid præparatorium ad ipsum judicium, ita quoque cantus ultimæ tubæ; quare utroque casu jam nulli describuntur eventus, sed ad aperitionem septimi sigilli tantummodo notatur quod « factum est silentium in cœlo, quasi media hora »: quod, in oppositione ad omnes istos eventus violentos et terrificos supra descriptos, bene intelligitur de Christo referente definitivam victoriam et ingrediente requiem regni sui æterni; — ad cantum autem septimæ tubæ explicitius, in variis canticis cælestibus, celebratur victoria Christi, judicium ab ipso exercitum, punitio malorum, bonorum præmiatio, regnum ipsius nunc tandem definitivo modo constitutum.

Sit ergo brevis *conclusio* dictorum:

Visio libri cum septem sigillis symbolice repræsentat judicium ultimum aliquando a Christo exercendum, eaque quæ illud præcedent et præparabunt:

Christus est qui passione et morte sua meruit ut aliquando librum aperiat seu judicium exerceat (cap. IV-V);

Sicut aperitio sigillorum præcedit aperitionem libri, ita omnes eventus, qui describuntur dum Christus sex priora sigilla aperit, judicium ultimum præcedent (cap. VI);

Ab istis omnibus calamitatibus et ab ultima et universali calamitate quæ instat impiis, salvabuntur multi tum ex Ecclesia Judæo-Christiana, tum ex Ethnico-Christianis (cap. VII);

(1) De hac visione septem tubarum dicetur latius in fasc. *Collat. Brug.*, mense Augusti edendo.

Tandem Christus ultimum sigillum ipsumque librum aperit: judicium exercet, omnes hostes suos devincit et cum electis suis regnum suum æternum ingreditur (cap. VIII, v. 1) (1).

A. VANDER HEEREN.

II

Q. *Explica sensum canonis 19 statuti a Concilio Arausicano II* (an. 529): « Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret; unde cum sine Dei gratia salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit » (2).

R. I. Hæc assertio ad litteram desumpta est ex S. Augustini epistola 186ª (aliàs 106), scripta simul cum Alypio, alio episcopo, circa medium anni 417, ad Paulinum, episcopum Nolanum, ut hunc plenius institueret circa Pelagii hæresim.

Inter Pelagium et Augustinum quæstio præcipua est *de necessitate gratiæ proprie dictæ*, qua nempe vera justitia coram Deo obtinetur. Pelagius nempe admittit necessariam esse gratiam, sed hoc nomine intelligit

---

(1) Forte, arguendo ex eo quod liber iste *septem* sigillis signatus erat, quemadmodum apud Romanos testamenta scripta signari solebant (Inst. l. 2, tit. 10, § 3), proponi posset sententia hæc ab ea quam dedimus modaliter tantum discrepans; nimirum: Liber esset testamentum quo conscripta et consignata sunt ea omnia bona quæ aliquando, in judicio ultimo, a Christo dabuntur electis; quæ bona Christus sanguine suo meruit. — Liber iste aperietur, seu testamentum istud exsecutione mandabitur a Christo: Christus exercebit ultimum judicium et suis sequacibus largietur requiem cœlestem ipsis a Deo promissam (cfr. Ep. ad Hebr., c. IX). — Huic tamen interpretationi objici posset eam non satis fundari in textu quum numerus iste *septem* sigillorum non videatur habere sensum istum specialem et determinatum *testamenti:* idem enim numerus septennarius per totam Apocalypsim continuo recurrit quin ullum sensum specialem habere videatur.

(2) DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion*, Friburgi Br., 1911, n. 192.

auxilium vel concursum generalem Dei, qui omnibus est communis hominibus (1). Augustinus vero propugnat necessitatem gratiæ proprie dictæ, quam generice sumptam (h. e. prout comprehendentem et habitualem et actualem gratiam) sic describit: « Gratia Dei per Jesum Christum Dominum Nostrum (quod fides vera et catholica tenet semper Ecclesia) pusillos cum magnis a morte primi hominis ad vitam secundi hominis transfert; non solum peccata delendo, verum etiam ad non peccandum recteque vivendum eos, qui jam uti possunt voluntatis arbitrio, sic adjuvando ut nisi adjuvet, nihil pietatis atque justitiæ, sive in opere, sive etiam in ipsa voluntate habere possimus. Deus quippe operatur in nobis et velle et operari pro bona voluntate » (2). Gratia igitur est id quo (et sine quo non) homo fit *justus,* accipiens peccatorum remissionem, et fit *capax vitandi* ulterius peccata, necnon opera salutaria *efficiendi*. Inde sequitur hominem, qui justus est, non posse custodire justitiam absque auxilio gratiæ (3), illudque requiri non ut homo *facilius* valeat implere quæ divinitus jubentur, sed ut *simpliciter valeat* hæc adimplere (4). Imo, ne ultra quod debitum est, defendatur natura et liberum arbitrium, adjungit Augustinus hanc sententiam: « Natura enim humana etiamsi in illa integritate in qua condita est permaneret, nullo modo seipsam Creatore suo non adjuvante servaret. Cum igitur sine Dei gratia salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia potest reparare, quam perdidit? » (5).

---

(1) « Dicit [Pelagius] se non debere existimari sine gratia Dei defendere liberum arbitrium, cum possibilitatem volendi atque operandi, sine qua nihil boni velle atque agere valeremus, a Creatore nobis insitam diceret: ut videlicet hæc intelligatur doctore ipso gratia Dei, quæ paganis atque christianis, impiis et piis, fidelibus atque infidelibus communis est ». S. Augustinus, *Epistola 186,* n. 1, cf. *ib.*, n. 32.

(2) *O. c.*, n. 3.

(3) *O. c.*, n. 5.

(4) *O. c.*, n. 34-36.

(5) *O. c.*, n. 37.

II. Ulterius nunc inquirendum est quid intelligatur 1 *integritate* naturæ, 2/ *necessitate prædictæ gratiæ*, 3/ *gratia*.

1. *Integritas naturæ* est ille perfectionis status in quo humana natura, in primo homine Adam, fuit condita a Deo, in quo statu erat immunis præsertim a concupiscentia, a morbis miseriisque corporalibus et a necessitate moriendi.

Hic status naturæ integræ ac sanæ fuit mutatus peccato, indeque humana natura facta est vitiata, depravata. Hæc humanæ naturæ depravatio consistit præsertim *in concupiscentia*, quæ et quatenus pugnat contra rationem et voluntatem, deinde in morbis miseriisque et mortalitate (1).

Jamvero ex illa naturæ depravatione inducta est homini magna difficultas ad vitandum peccatum; porro hæc difficultas tanta est ut homo non amplius valeat observare mandata Dei nisi « adjutorio medicinæ Salvatoris nostri » (2). Homo scilicet, in præsenti conditione naturæ, est *in statu servitutis peccati*, a qua servitute non liberatur nisi per Dei gratiam (3). Inde

---

(1) « Quando peccavit Adam non obediens Deo, tunc ejus corpus, quamvis esset animale ac mortale [h. e. vi suæ naturæ], *gratiam perdidit, qua ejus animæ omni ex parte obediebat*. Tunc ille exstitit bestialis motus pudendus hominibus, quem in sua erubuit nuditate. Tunc etiam morbo quodam ex repentina et pestifera corruptione concepto factum in illis est, ut illa in qua creati sunt stabilitate ætatis amissa, per mutabilitates ætatum irent in mortem ». S. Augustinus, *De peccatorum meritis et remissione*, L. I, cap. XVI, n. 21. Eamdem doctrinam de integritate naturæ humanæ ante Adæ peccatum, et de depravatione ejusdem naturæ propter illud peccatum, sæpe inculcat S. Augustinus in suis scriptis contra Pelagianos V. gr. *De natura et gratia*, c. III, XIX s.; *Opus imperfectum contra Julianum*, L. I, n. XXV et passim.

(2) S. Augustinus, *De natura et gratia*, cap. XLVIII, n. 56. Cf. cap. LXVI, n. 79.

(3) Cf. S. Augustinus, *Enchiridion*, cap. XXX; *Opus imperfectum contra Julianum*, L. I, n. XCIV ss.; L. II, n. CV; L. III, n. CVI, n. CX ss.; L. VI, n. XV. Exortæ sunt variæ quæstiones circa mentem Augustini, quas exponere hic non est locus. Notemus tamen a S. Augustino non doceri hominem, in præsenti statu naturæ lapsæ, *nullum* opus honestum

habetur hæc gratiæ necessitas, quam *moralem* vocant theologi (1), secundum quam homo nequit, in præsenti statu, vitare, per longum tempus, omne mortale peccatum, absque gratia (2).

2. Sed in S. Augustini assertione, quam explicandam assumpsimus, de *alia* necessitate gratiæ vel auxilii sermo est. Dicit nempe: « Natura humana, *etiamsi in illa integritate*, in qua est condita, *permaneret*, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret ». Ergo non agitur de illa auxilii necessitate, quæ consequitur ad amissam naturæ integritatem seu ad exortam concupiscentiam, difficultatemque mandata observandi sequentem ex concupiscentia. Si hæc non existeret, tamen requireretur Dei adjutorium ut homo permaneret in illo statu: requireretur nempe adjutorium ut homo vitaret omne peccatum et perseveraret in rectitudine in qua fuit conditus. Hæc porro necessitas, quam affirmat S. Augustinus, fundatur in hoc quod homo, etiam in statu integritatis primitivæ, est per se ipse peccati committendi capax, non vero capax perseverandi in justitia accepto, absque Dei gratia.

Idem docet S. Doctor in alio scripto quod postea dedit, nempe in libro cujus titulus « *Enchiridion de fide, spe et charitate* », composito anno 421. In hoc opere exponit quomodo libero arbitrio gratia sit *necessaria aliter* in statu naturæ *integræ*, aliter in statu naturæ *lapsæ*. Circa primum statum dicit:

« Quia, etsi peccatum in solo libero abitrio erat constitutum, non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur. Sicut enim mori est in hominis

---

posse facere absque *gratia Christi* h. e. dono *supernaturali*. Cf FAURE, *Enchiridion S. Augustini*, Neapoli, 1847, p. 68 s.; PORTALIÉ, ap. VACANT, *Dictionnaire de théologie catholique*, t. I, art. *Augustin*, c. 2386 ss.

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 575 ss.

(2) Cf. VAN DER MEERSCH, *De gratia divina*, Brugis, 1910, n. 70 ss.

potestate cum velit, nemo est enim qui non se ipsum, ut nihil aliud dicam, vel non vescendo possit occidere; ad vitam vero tenendam voluntas non satis est, si adjutoria sive alimentorum sive quorumcumque tutaminum desint: sic homo in paradiso ad se occidendum relinquendo justitiam idoneus erat per voluntatem: ut autem ab eo teneretur vita justitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat adjuvaret ». Cap. CVI.

Ergo, in statu naturæ integræ, homo, quatenus libero arbitrio fruens, et *ex hoc solo*, poterat *peccare*, sed ex hoc solo non valebat *perseverare in justitia :* requirebatur Dei auxilium, influens in voluntate.

Idem antea docuerat S. Augustinus, in opere *De natura et gratia*, (conscripto an. 415), cap. XLVIII, n. 56: « Si de integra et sana hominis natura loqueretur [Pelagius], quam modo non habemus... nec sic recte diceret, quod non peccare nostrum tantummodo sit, quamvis peccare nostrum esset: nam et tunc esset adjutorium Dei, et tamquam lumen sanis oculis quo adjuti videant, se præberet volentibus ».

Ex dictis sequitur doceri a S. Augustino *absolutam* necessitatem gratiæ ut homo, etiamsi non subjectus esset concupiscentiæ cui nunc subjicitur, perseveret in justitia et custodiat salutem: hæc necessitas adest omni homini nempe *naturæ humanæ* etiam in statu integritatis conditæ.

3. Quodnam est Dei adjutorium cujus necessitatem affirmat Augustinus?

Est gratia *interna* et proprie dicta, nempe *supernaturalis*.

Etenim de illa gratia propugnanda agitur, uti initio responsionis ostendimus ipsis Augustini verbis.

Præterea adjutorium Dei ad hoc dicitur necessarium ut homo perseveret *in vera justitia* coram Deo, ut salutem veram custodiat: hæc porro justitia, hæc salus, quam primus homo accepit a Deo et quam, sine Dei gratia nequit custodire, est eadem quam homo potest

iterum accipere (1). Ideo ratiocinatur Augustinus hoc modo: si natura humana non poterat permanere in statu justitiæ, absque influxu gratiæ Dei, quando erat in statu primitivæ integritatis, multo minus potest reparare seu recuperare justitiam, quam perdidit, absque influxu gratiæ Dei. Igitur humana natura, qua talis, seu liberum arbitrium, qua tale, etiam in statu integritatis (h. e. in statu in quo non est concupiscentia) nequit in accepta a Deo justitia perseverare, absque influxu gratiæ Dei. Quod agatur de influxu *interno* constat ulterius ex hoc quod S. Augustinus docet: « non justitiæ retinendæ *sufficiebat* liberum arbitrium nisi *participatione immutabilis bono* divinum adjutorium præberetur » (2); confirmatur ex comparatione quam adhibet S. Augustinus: sicut lux oculo necessaria est ad videndum, ita gratia libero arbitrio necessaria est ad recte vivendum (3).

Igitur gratia cujus necessitas ad perseverandum, etiam in statu integritatis, asseritur a S. Augustino, est gratia *interna, supernaturalis.*

Si ulterius nunc quæratur cujus rationis sit *necessitas*, de qua est sermo, respondemus agi de *absoluta* necessitate gratiæ ad salutariter agendum, licet hoc non explicite doceat S. Augustinus.

Etenim, ex suprà dictis constat non agi de necessitate gratiæ ad tollendam *moralem* impotentiam, qua *nunc*

---

(1) « Recipimus justitiam ex qua per peccatum lapsus est homo » *De Genesi ad litteram,* L. VI, c. 24, n. 35.

(2) *Enchiridion,* cap. CVI.

(3) *De natura et gratia,* n. 29, 56. Ex his et similibus assertis, quidam theologi inferunt a S. Augustino doceri requiri gratiam *actualem* ad singulos actus salutaris in homine justificato. Hæc illatio non est recta: nam potest dari influxus doni habitualis vel virtutis infusæ in *actus* salutares. Quæstionis de necessitate gratiæ actualis ad singulos actus in justo solutio dependet a sententia quæ tenetur de *essentia* gratiæ actualis, prout hæc præcise ab habituali distinguitur. De hac re non apparet qualis fuerit mens S. Augustini.

laborat homo ad observanda omnia Dei præcepta (1). Sed non possumus ulterius declarare, ut videtur, mentem S. Augustini: nempe utrum hic intelligat *vel* necessitatem continuatæ a Deo *conservationis* gratiæ in anima inusæ, *vel* necessitatem *continui* seu habitualis influxus quem ipsa gratia infusa in anima exercet, et quo positive ordinat et inclinat animam, quasi pondus, ad finem ultimum supernaturalem, *vel* necessitatem motionis divinæ ad actus supernaturales aut gratiæ internæ excitantis (2), *vel* necessitatem complexus adjunctorum aut auxiliorum (sive internorum, sive externorum) qui requireretur ut homo, etiam in statu integritatis, indigeret ut *de facto* perseveraret et qui speciali protectioni Dei esset tribuendum (3): hoc ultimum forsitan præcipue intenditur a S. Augustino, quatenus, secundum doctrinam expositam in *De correptione et gratia*, n. 26 ss., specialiter affirmaret necessitatem auxilii *quo* de facto homo, in statu naturæ integræ, fuisset perseveraturus.

J. VAN DER MEERSCH.

---

1. Quod confirmatur doctrina S. Augustini exposita in opere *De correptione et gratia* (an. 426 vel 427) ubi docetur Adamum absque ulla difficultate vel pugna potuisse vitare peccatum (*o. c.*, n. 28, 35) indiguisse tamen [illegible] *non potuisse perseverare*, illudque adjutorium deseruisse [illegible] liberum arbitrium [illegible] n. 31 s. Cf. *Opus imperfectum contra Julianum*, L. III, c. 110.

2. [illegible] *Institutiones de gratia Dei et homine*, c. 2, admittit quidem Adamum, in statu integritatis, indiguisse motione divina qua omnis creatura indigeat ut operandum [illegible] autem indiguisse gratia interna [illegible]. Hanc sententiam negat P. Lemmens, *De gratia actuali*, Gal. [illegible] 1885, p. 243 ss.

(3) S. AUGUSTINUS, *De correptione et gratia*, n. 26, 31-38, distinguit adjutorium [illegible] potest homo perseverare, et adjutorium *quo* de facto perseverat homo. Primum habuit Adam, non vero secundum: nam per liberum arbitrium [illegible]. Inde homines, qui nunc de facto perseverant, habent gratiam *praestantiorem* gratia quam habuit Adam: et quidem duobus gradibus, *primo* quia hæc gratia continet *actualem perseverantiam*; *secundo* quia facit hominem vincere tot et tantas tentationes et difficultates, quibus in præsenti statu, gravissima redditur justitiæ conservatio.

III

Q. *Quid ex parte actus requiritur ad constituendum* crimen sollicitationis, *de quo Benedictus XIV in Constitutione* Sacramentum Pœnitentiæ?

R. Crimen sollicitationis est in hoc quod *sacerdos pœnitentem, vel 1° « ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam... tentaverit »; vel 2° cum eo « illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerit »* (1).

Exponitur propositio.

A. Sollicitatio afficere debet *pœnitentem* (2), sed non refert utrum fœmina sit vel masculus, cujuscumque ætatis, sexus vel conditionis (3).

B. Sollicitatio postulatur *in materia luxuriæ*, contra sextum decalogi præceptum (4), uti constat ex tenore

---

(1) Sunt ipsa verba Constitutionis *Sacramentum Pœnitentiæ.*

(2) In Constit. laudata inseritur: « qui aliquam *pœnitentem*. . ». Item in Constit. Gregorii XV, si par. 4 dicitur: qui *personas*..., in par. 1ª, legitur: sollicitando *pœnitentes* .. Notetur autem inde non requiri quod persona sollicitata habitualiter sit sollicitantis sacerdotis pœnitens vel reipsa sit sacramentaliter confessa; requiritur et sufficit ut relatio et connexio quæ debet adesse (juxta dicenda in responso sequenti) inter sacramenti Pœnitentiæ administrationem et sollicitationem, obtineat et verificetur respectu ipsius personæ sollicitatæ. Unde, uti advertitur apud Bucceroni, o. c., n. 17, in fine, « si vocatus ut domi confessionem Magdalenæ audiat, confessarius accedens, ea occasione sibi oblata, sollicitet Martham, non comprehenditur in hac Constitutione, quia non sollicitavit occasione vel prætextu confessionis Marthæ sollicitatæ ».

(3) Additur in eadem Constitutione (necnon in Constit. Gregorii XV): « *quæcumque* persona illa sit ». Item Instr. C. S. O. anni 1867, ad 1m. Postquam Pius IV, anno 1561, urgendum statuerat, in Hispania, contra confessarios *mulieres* sollicitantes, Paulus V, 19 Nov. anni 1612, disciplinam quam extenderat ad Lusitaniam, jam applicabat pœnitentibus sexus masculini, declarans masculos jam implicite comprehensos fuisse sub amplitudine Const. Pii IV. Ita Cozza, *Dubia selecta*, 1750, n. 11.

(4) Non caderet ergo sub præsenti disciplina casus sacerdotis, qui pœnitentem in confessione provocaret seu invitaret ad homicidium committendum vel ad aliud qualecumque peccatum, extra genus luxuriæ. Gravissime quidem peccaret hujusmodi confessarius et ex jure naturæ

Constitutionum, necnon ex declaratione C. S. O., diei 11 Febr. 1661, ad 11m (1).

Debet etiam sollicitatio fieri ad *grave* peccatum; sed hæc conditio obtinet eo ipso quod sollicitatio supponitur fieri in re venerea, in qua non datur parvitas materiæ (2).

Unde *requiritur* et *sufficit* quæcumque sollicitatio ad venerem (3).

C. Siquidem ad sollicitationem sufficiunt sermones et tractatus inhonesti, ita est concipienda disciplina Benedictina ut attingat non solam sollicitationem formalem et explicitam, sed etiam sollicitationem materialem, objectivam et implicitam. Nimirum

1° Comprehenditur præprimis *formalis et explicita* provocatio ad peccandum, quatenus scil. confessarius studiosè et de industria ad turpia excitet seu invitet pœnitentem (4), quomodocumque incitatio fiat, sive

---

posset exsurgere pro pœnitente obligatio denuntiandi, sed non applicarentur in casu speciales dispositiones Benedictinæ a lege positiva inductæ.

(1) Ad quæsitum: « an confessarius qui sollicitat pœnitentem ad actus illicitos extra actus venereos, sit denuntiandus », respondetur: « Censuerunt (Qualificatores) opinionem negativam esse probabilem ».

In eumdem sensum intelligendum est decretum C. S. O., 10 Martii 1677 (apud Fel. Potestas, *Examen ecclesiasticum*, tom. II, pars 2a, n. 226), quo urgetur denuntiatio facienda illorum qui « contra decreta et Constitutiones apostolicas abusi sunt sacramento Pœnitentiæ... habendo cum illis (pœnitentibus) sermones de rebus illicitis et non convenientibus fini ob quem est institutum ».

(2) Decr. C. S. O. 1661, ad 3um. Ad quæstionem: « an confessarius sollicitando propter parvitatem materiæ sit denuntiandus », respondetur: « cum in rebus venereis non detur parvitas materiæ, et si daretur, in re præsenti non dari, censuerunt esse denuntiandum et opinionem contrariam non esse probabilem ».

(3) Non satis est proinde quod confessarius pœnitentem inducere conetur ad actum mere sensualem, puta ad pressionem manus, seclusa omni libidine. Cfr. suprà, p. 220; Berardi, *De Sollicitatione*, Faventiæ, 1897, ed. 2a, n. 45 ss.

(4) « Sollicitare... est adhibere studium et diligentiam ad aliquid faciendum vel obtinendum; sollicitare igitur ad turpia est adhibere studium et diligentiam ad obtinendum a pœnitente aliquid turpe...

verbis, sive scriptis, sive signis, sive nutibus (1) aut actibus; sufficit vel capitis nutus aut oculorum, modò, attentis adjunctis et circumstantiis, ratione habita maximè aliunde notæ sacerdotis erga pœnitentem dispositionis et mutuæ ad invicem antea habitæ relationis, innotescat in illis contineri invitationem ad turpia (2).

2° Comprehenditur quoque *sollicitatio implicita*, in hoc nempe consistens quod confessarius, quin pœnitentem studiosè et consultò ad peccandum incitet vel ad turpia inducere intendat, ita se habeat cum illo pœnitente ut ejus modus agendi vel loquendi natura et sponte sua sit ad turpia alliciens et inducens.

Ita si sacerdos, non animo pœnitentem ad peccatum inducendi aut commotionem veneream excitandi, sed animo propriæ libidini indulgendi, inhoneste tangat pœnitentem, vel libidinose osculetur, vel coram oculis pœnitentis, seipsum turpiter tangat vel nuda corporis exhibeat. Item si confessarius de re turpi loquatur et

---

studiosè conari labefactare pœnitentis pudicitiam ». ROTA, *Enchiridion Confessarii et Judicis ecclesiastici*, Augusti Taurinorum, 1884, n. 250.

(1) « Licentiosus hujusmodi oculi nutus, et similia signa amatoria vel libidinosa, quibus amantes vel lascivi uti solent ad alliciendam aliquam personam vel ad sui amorem vel ad actus turpes ». *Ibidem*, n. 252.

(2) Ita apud Auctores, variæ proponuntur locutiones, vel et actiones, plus minusve ambiguæ, de quarum indole provocativa dijudicandum est ex consideratis et perpensis adjunctis. Talis est casus sacerdotis mulierem pœnitentem laudantis de venustate, vel munuscula ei præbentis. Si laus illa sit seria et nullam provocandi intentionem redoleat, quantumvis forte imprudentiam sapiat, non tamen importat sollicitationis crimen, puta si confessarius mulierem moneat contra seductionis pericula, quæ, ratione pulchritudinis, majora exsurgent. Idem valet de doni traditione. Cf. decr. 1661, ad 12m et 16m; S. ALPH., l. VI, n. 703; PENNACHI, *Commentaria in Constit. Apost. Sedis*, Romœ, 1883, II, p. 168 s. Ulterius cf varia specimina locutionum quæ proponuntur apud S. ALPH., l. VI, n. 704; BERARDI, o. c., n. 57-70 et 79-91; ROTA, o. c., nn. 314-332, collato n. 305, ubi denuntiandum dicit confessarium qui pœnitentem docuit in fornicatione non esse peccatum grave, siquidem hujusmodi sacerdos, nisi in ipso crassam supponas ignorantiam, præsumitur velle pœnitentem ad fornicationem incitare; cf. etiam apud *N. R. th.*, XXXII, p. 519 ss., similem casum de confessario malitiam gravem denegante pollutioni

tractet cum pœnitente (1), vel circa turpia scriptum legendum præbeat.

Hic tamen notanda intercedit *distinctio* facienda inter sollicitationem implicitam quæ fiat sermone seu scripto, et illam quæ agatur tactibus et amplexibus, ut suprà: sermonibus scil. seu scriptis non semper inducitur sollicitatio denuntianda; oportet, juxta ipsum tenorem Constitutionis Benedictinæ (2), ut facta fuerit *ausu temerario* (3).

Nimirum ad hoc ut inducatur sollicitatio denuntianda, supponitur adesse, non quidem intentio pœnitentem studiose ad turpia provocandi, de qua sub 1°, sed animus libidinosus et lascivus, quatenus scil. confessarius in hisce sermonibus sibi complaceat et delectetur; qui animus, si semper præsumitur in tactibus inhonestis et amplexibus, censeri potest abfuisse in sermonibus quos miscuerit sacerdos cum pœnitente, vel in scriptis quæ legenda præbuerit.

Et sanè sponte fit ut confessarius, in directione danda circa sextum Decalogi præceptum, negotia tangenda habeat non parum salebrosa; nec culpandus est, sed potius laudandus sacerdos qui, castis utique verbis, pœnitentem etiam in hisce negotiis rite instruat, in quantum ejus conscientiæ pax ac tranquillitas id exigit. Imo confessarius non est uti sollicitator habendus nec tradendus qui mensuram quidem et modum excesserit, in interrogando et docendo pœnitente, sed cognoscitur egisse bona intentione, in bonum pœnitentis, vel saltem ex mera animi inconsiderantia, quantumvis forte culpabili, non autem animo voluptuoso: hoc videlicet impor-

---

(1) Non est cur diversus sensus tribuatur *sermoni* et *tractatui;* nihil impedire videtur quominus practice sumantur synonimice. Cf. Rota, o. c., n. 308.

(2) Hæc restrictio non legitur in Constitutione Gregorii XV.

(3) In tenore non applicatur dicta restrictio nisi sermonibus et tractatibus; ob paritatem videtur etiam applicanda scriptis de re turpi agentibus et ad legendum traditis.

tare videtur restrictio inserta « *ausu temerario* », ut nempe inhonesti sermones habiti fuerint non tantummodo absque necessitatis causa et inconsideranter, sed ex animo pravo et libidinoso (1).

Quibus attentis singulari discretione et prudentia est opus apud confessarium, qui judicare debeat utrum denuntiandus sit sacerdos de sollicitationis crimine ex capite sermonum cum pœnitente mixtorum; solito accuratius scrutanda sunt et ponderanda omnia et singula adjuncta, ex quibus innotescere valeat non modo factum sermonis habiti, sed et colloquendi causa ac intentio (2): ex una parte caveat confessarius ne improvidè onus imponat denuntiandi confratrem forsitan innoxium et ex alia parte sciat sibi concreditum esse officium urgendi saluberrimam disciplinam de denuntiando confessario sollicitante (3).

---

(1) Non probatur hac formula requiri, uti volunt Rota, o. c., n. 311 et *N. R. th.*, XXXI, p. 377, quod confessarius, hujusmodi sermones habens, cognoverit specialem prohibitionem juris positivi contra illos latam sub peculiari sanctione.

(2) Hîc rursus lucem sæpe afferet notitia antecedentis vitæ confessarii, de cujus casu judicandum est, necnon commercii aliàs ab ipso habiti cum pœnitente. Attendendæ autem sunt potissimum circumstantiæ præsentes, et signanter hæc, quousque scil. sermones connexionem habuerint cum materia confessionis et directione pœnitentis. Cf. etiam ll. cc. suprà, ubi de locutionibus ambiguis, de quarum indole dubitari potest utrum importent, si non directam et formalem sollicitationem, saltem implicitam.

(3) Proposita in textu huc etiam spectant ut confessarios admodum circumspectos et prudentes reddant in tractanda cum pœnitente materia Sexti præcepti, et urgent opportunitatem et necessitatem servandi monitum de tractanda illa materia *caste, caute et parce*. Confessarius nempe, si in interrogando et instruendo pœnitente limites excedat strictæ necessitatis, non modò propriam et pœnitentis virtutem in discrimen vocat, sed et periculum incurrit ne denuntietur.

Equidem si bona fide egerit, non erit a parte rei reus criminis denuntiandi et solius imprudentiæ reatum incurret; sed quis noverit quousque illa bona intentio innotescet, ejusque ratio habebitur a confessario, coram cujus judicio casus forsitan deferetur a pœnitente?

Caveat sacerdos quam cautissime ne imprudenter inquirat circa circumstantias peccati carnalis, quæ gravis malitiæ speciem addere ne-

D. Nota ad peccatum sollicitationis constituendum non requiri *complicitatem* inter confessarium et pœnitentem, seu participationem in eodem peccato turpi, quemadmodum in casu complicis. Sollicitatio est *ex parte confessarii*, nec ullatenus debet esse mutua; nec refert utrum pœnitens peccaverit ac sollicitanti confessario consenserit necne (1); imo non officit quod persona sollicitata ex simplicitate et inhonestatis ignorantia, sollicitationis non fuerit conscia, eamque postmodum dumtaxat perceperit (2).

Ad hoc autem ut sit sollicitatio ex parte confessarii, non obstat quominus pœnitens incœperit sollicitare confessarium, modò hic pœnitenti sollicitanti consenserit, tali scil. consensu qui implicitam saltem sollicita-

---

queant, et pro solvendis dubiis mere physiologicis pœnitentes, maxime mulieres, remittat ad medicum. Cf. BALLERINI-PALMIERI, *Opus Morale*, V, n. 1114, ubi docetur denuntiandum esse confessarium qui « conjugatam personam aut se accusantem de reo opere carnali sciscitaretur, an in iis versari placeat, quæ alloquia peccans haberet, quos actus motusve exerceret, et hujusmodi ». Cf. etiam PENNACHI, o. c., II, p. 170 ss., et *N. R. th.*, XII, p. 27, circa casum confessarii qui « in sacramentali confessione mulierem conquerentem de tepido sui viri amore, docet actus turpes cum eodem viro exercendos »; quo spectat ibidem allatum decretum Alexandri VII, lato sub die 6 Sept. 1663, « quo decrevit puniendum pœna carceris per quinquennium, atque inhabilitandum in perpetuum ad audiendas sacramentales confessiones, necnon et ad concionandi munus, quemdam confessarium, qui in sacramentali confessione docuerat mulieres modum se habendi cum suis maritis in conjugali copula, consistentem in turpissimis et inhonestissimis actibus ».

(1) In Constitutione Gregorii XV et Benedicti XIV, denuntiandi declarantur sacerdotes qui sollicitare *tentaverint*. Imo in Bulla Benedictina, par. 2, dicitur: « sive sollicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minimè præstiterit ».

(2) Cf. decr. C. S.-O., 11 Maii 1707, apud *N. R. th.*, VIII, p. 360.

Ex paritate rationis, ROTA, o. c., n. 303, denuntiandum docet confessarium qui scriptum ad turpia provocans dederit pœnitenti, qui illud non intellexerit, sed cujus scripti indoles provocativa innotuit tertiæ personæ. Quod autem spectat casum confessarii turpiter agentis cum pœnitente qui sub confessione sensibus destituatur vel delirio capiatur, negat laudatus Auctor, n. 354 ss., contra BERARDI, o. c., n. 71 ss., illum esse reum criminis denuntiandi, nisi ipse industria sua statum illum procuraverit.

tionem ex sua parte importet. Utrum autem ad id sufficiat merus consensus, an vero ulterius aliquid postuletur ex parte confessarii, puta quod colloquium turpe, a pœnitente inchoatum, cum ipso continuet, licet illicò abruptum, controversia est in varium sensum soluta: quod hoc alterum requiratur supponi potius videtur in decreto 1661, ad 2m (1), dum ejusdem decreti responsum 9m (2) manifeste favet priori solutioni, merum consensum sufficere tenenti (3), in quo cæteroquin consensu non deest, pro pœnitente, quoddam incitamentum ad peccandum, necnon tractatus aliquis turpis (4).

E. Indifferens est utrum confessarius pœnitentem sollicitaverit ad peccandum cum ipso confessario, vel

---

(1) Ad postulatum: « an confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, et non præbendo absolutionem pœnitenti, incidat in pœnas contentas in Bulla Gregorii et sit denuntiandus »; respondetur: « censuerunt incidere, et confessarium esse denuntiandum, rejecta opinione contraria, quam non esse probabilem censuerunt ».

(2) Ad quæstionem: « an confessarius sollicitatus, si metu inductus, sollicitanti consentiat, sit denuntiandus »; respondetur: « censuerunt esse denuntiandum et opinionem negativam non esse probabilem ».

(3) Hanc solutionem nono responso decreti conformem urgent Cozza, o. c., n. 55 ss.; *N. R. th.*, t. XII, p. 20 ss.; Berardi, o. c., n. 36 ss.; Ballerini-Palmieri, o. c., V, n. 1115 ss.; Dolhagaray, apud *Questions ecclés.*, 1912, p. 233 s.; Lahousse, *Tractatus de Sacramento Pœnitentiæ*, Brugis, 1894, n. 267; D'Annibale, *Summula Theol. Mor.*, Romæ, 1908, III, n. 365; Bulot, *Compendium Theol. Mor.*, Lugduni, 1908, II, n. 580; Génicot-Salsmans, *Instit. Theol. Mor.*, Bruxellis, 1912, n. 396, in hoc mutata editionis anterioris doctrina; Santi-Leitner, *Prælect. Juris Canon.*, Ratisbonæ, 1899, V, p. 229; Aertnys, *Theol. Mor.*, Tornaci, 1890, II, n. 254; Morino, *Manuale Theol. Mor.*, Taurini, 1887, n. 1227; Sabetti, *Comp. Theol. Mor.*, 1884, n. 287, contra Bucceroni, o. c., n 29; Rota, o. c., n. 336 ss., *N. R. th.*, XXXI, p. 371, et *Anal. eccl.*, 1898, p. 503, in hoc vestigiis hærentes S. Alphonsi, l. VI, n. 681, qui allatum responsum ignorasse apparet.

(4) « Per solum assensum firmatur tractatus; si autem mulier totam exponat mentem, cui confessarius per unicum verbum dumtaxat assensum præbeat, ex parte utriusque habetur tractatus completus, adeo ut cum veritate dici possit confessarium habuisse tractatum inhonestum cum ea ». Ita Cozza, o. c., n. 58.

cum semetipso, peccato solitario (1), vel cum quacumque tertia persona (2).

IV

Q. *An et quænam relatio seu connexio postulatur cum administratione sacramenti Pœnitentiæ?*

R. Sollicitatio, ad hoc ut obnoxia sit disciplinæ Benedictinæ et denuntianda, *debet connexionem habere cum administratione sacramenti Pœnitentiæ* (3), eamque talem qualis in tenore Bullæ Benedicti XIV describitur, ut nempe locum habuerit: « *vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante vel immediate post confessionem, vel occasione aut prætextu confessionis, vel etiam, extra occasionem confessionis, in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem* » (4).

Quæ singulæ circumstantiæ breviter explicantur:

1° *In actu sacramentalis confessionis,* i. e. in temporis intervallo quod decurrit ab initio confessionis ad finem, seu, uti dici solet, inter duas cruces; *sacramentalis*

---

(1) Cf. *N. R. th.*, XXXI, p. 371 et XXXII, p. 519 ss.

(2) Cf. Constit. Bened. IV, par. 2 et Constit. Gregorii XV, par. 4: « qui personas... ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda... sollicitare vel provocare tentaverint ».

Passim addunt commentatores denuntiandum esse sacerdotem qui pœnitentem sollicitat ut tertiam personam ad peccatum turpe cum seipso, vel cum sacerdote, vel alio quopiam committendum. Cf. Cozza, o. c., n. 42 ss; S. Alph., l. VI, n. 691; Rota, o. c., n. 255, ad 3m, et n. 369; Berardi, o. c., n. 81; Planchard, o. c., p. 28.

(3) Sollicitatio quæ contingeret citra relationem cum sacramento Pœnitentiæ, locum quidem dare posset denuntiationi, sive ex jure naturali, sive etiam ex alia dispositione juris positivi, ob hæreseos suspicionem quam importaret hujusmodi abusus; sed non cadit sub speciali disciplina Benedictina contra sollicitantes, de qua sola hic. Cf. etiam decr. 1661, ad 10m, ubi ad quæstionem: « An confessarius incidat in pœnas Constitutionis Apostolicæ contra sollicitantes, si sollicitet mulierem in aliis sacramentis, scil. Baptismi, Matrimonii, et sit denuntiandus... », responderunt Qualificatores S. Officii: « opinionem negativam esse probabilem ».

(4) *Sacrament. Pœnit.*, par. 1.

autem est confessio quæ instituitur, in ordine ad sacramentalem absolutionem suscipiendam, licet ad finem non deducatur nec absolutione informetur.

2° *Ante vel immediatè post confessionem.*

Imprimis tenendum videtur adverbium *immediatè* afficere tam *ante* quam *post,* licet videatur grammaticaliter afficere solam vocem *post;* secus enim nimis indefinitum et latum foret temporis spatium confessionem præcedens; cæterum constructio grammaticalis, in Bulla Gregorii XV, utramque vocem afficit (1).

Supponitur confessionem institui vel esse institutam, cum alias deficiat terminus ad quem referatur *ante* et *post.*

Quod autem spectat ipsam interpretationem formulæ *immediate ante* et *immediate post,* notum est eam ab aliis stricte intelligi de immediatione physica, ab aliis latius sumi, sensu morali.

Porro non auderemus, cum prioris sententiæ patronis (2), clausulam ita restringere ut sumatur pro momento, quod, nullo prorsus medio interjecto, vel præcedit vel subsequitur confessionem, quatenus scil. *immediatè ante* incipiat quando pœnitens ad confessarium jam in confessionali sedentem accedit, et *immediate post* desinat postquam pœnitens recessit a conspectu confessarii (3); ex alia tamen parte non est nimia latitudine extendendum illud temporis intervallum: requiri videtur ut pœnitens, momento quo sollicitatur, assumpserit vel servaverit manifestum ordinem quemdam et nexum ad confessionem secuturam vel confessionem præcedentem.

Quo pacto dici posset sollicitationem fieri *immediate ante,* si pœnitens jam ita constituitur ut ordinari videatur ad confessionem peragendam, sive jam coram sacerdote

---

(1) Cf. Ballerini-Palmieri, o. c., n. 1094, in nota; in alium sensum Dolhagaray, I. c., p. 419 s.

(2) Cf. Auctores citatos (quos sequitur) apud Rota, o. c., n. 279, et apud *N. R. th.,* XII, p. 30, in nota.

(3) Planchard, o. c., p. 30.

genuflectat, sive, nondum coram eo genuflexus, assideat confessionali, inter alios fideles, vicem suam expectans; *immediate* autem *post* afficeret casum sacerdotis pœnitentem sollicitantis, sive dum coram ipso adhuc genuflexus manet, sive per tempus illud breve quod solent fideles, confessionale egressi et locum proprium occupantes, vacare gratiarum actioni et brevis pœnitentiæ recitationi, antequam ad alia negotia transeant vel et S. Communionem suscipiant.

3° *Occasione confessionis.*

Hæc clausula verificatur in casu confessarii qui ansam sumit ad sollicitandum, vel a/ *ex expressa aut tacita* (1) *petitione confessionis instituendæ serio facta,* sive petitio procedat ex parte pœnitentis, sive ex parte confessarii, personam ad confessionem seriò hortantis et hac occasione illam sollicitantis; vel b/ *ex notitia accepta in confessione,* quatenus scil. confessarius ad sollicitandum movetur ex eo quod ex pœnitentis confessione cognoverit specialem ejus proclivitatem in venerem, aut quatenus ad peculiaria artificia recurrat quæ ex confessione intellexerit efficaciora ad pœnitentem alliciendum.

Quod autem spectat *alteram hypothesim,* sub b/, rarius de illa constabit, salva expressa sacerdotis declaratione, nisi forsan in casu adhibiti artificii, cujus peculiaris efficacia respectu personæ pœnitentis non potuit aliunde quam ex confessione innotuisse confessario (2).

---

(1) *Tacite* petitur confessio v. gr. si pœnitens accedit ad confessionale et coram sacerdote in confessionali sedente genuflectat; si relicto confessionali sollicitetur pœnitens, censetur sollicitari occasione confessionis, ratione tacitæ petitionis.

(2) Non desunt Auctores hanc hypothesim non admittentes, eo vel magis quod denuntiatio in casu vix poterit fieri a pœnitente quin propriam culpam aperiat, ad quod non tenetur. Cf. *Analect. eccl.*, 1898, p. 476; Berardi, o. c., n. 124, ubi auctores citantur, inter quos Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, 1908, n. 976; cf. in nostrum sensum Dolhagaray, l. c., p. 425; Ferraris, *Prompta Bibliotheca,* v° *confessarius,* art. V, n. 23; Aertnys, o. c., II, n. 255, quær. 2; Alberti, *Theol. Past.*, P. III, Romæ, 1903, p. 112, necnon Santi-Leitner, o. c., p. 230, ubi provocat ad rescriptum S. Pœnitentiariæ a se inspectum, « in quo hic casus revera considerabatur ut cadens sub lege ».

Quod attinet *priorem hypothesim,* sub a', nota non requiri quod confessio de facto sequatur (1), nec quod confessarius vel pœnitens ingressus fuerit confessionale; oportet tamen ut confessio, ad tramites decreti 1661, ad 4m (2), postuletur proxime instituenda (3) utque sollicitatio proximè sequatur confessionis petitionem (4).

4° *Prætextu confessionis.*

Prætextu confessionis sollicitat, « qui confessionem prætexit, sive fingit... ut liberius vel inhonesta tractet vel ad venerem incitet » (5). Ita si sacerdos « mulierem in ecclesia orantem adit, interrogat an sit ad confitendum parata, eoque prætextu eam sollicitat (6).

Hæc clausula, secus ac proxime præcedens, importat *fictionem*, quatenus, dum sollicitans occasione confessionis ansam sumit ex *seria* petitione confessionis vel *veræ*

---

(1) In Constit. Gregorii XV, expressis verbis additur: « etiam confessione non secuta ».

(2) Ad quæstionem: « an confessarius qui fœminæ in confessionario dicenti se velle in crastinum confiteri, illam sollicitat et confessionem dissuadet, sit denuntiandus », respondetur: « Si sollicitatio fiat extra locum confessionis, et absque prætextu confessionis, censuerunt negativam opinionem esse probabilem; secus si in confessionario seu in loco confessionis (quia tunc incidimus in clausulam de qua sub 5°) ».

Aliud esset si sacerdos personam invitet ut sequenti die confiteatur, eamque stata die ad confessionem accedentem sollicitet: incurreret sollicitationis crimen.

(3) Sub priori hypothesi, non est opus quod sollicitatio proxime sequatur confessionem, licet eo facilius probetur fieri occasione confessionis, quo propius ad institutam confessionem sequatur.

(4) « Nam, uti arguit Rota, o. c., n. 285, si mulier ex. gr. sistat se confessario, isque, confessione in aliud tempus dilata, de aliis rebus colloqui cœperit, et in progressu collocutionis sollicitet, non videtur sollicitare tanquam confessarius, occasione confessionis ».

(5) Giraldi, *Expositio Juris Pontificii*, sectio 809, p. 637 (Pars I, tom. 2).

(6) Pari modo sollicitationis crimen incurrere censetur sacerdos « qui mulieri ipsum, nulla conventione præmissa, prætextu confessionis advocanti et sollicitanti assentit »; vidimus enim consensum, quem, positis ponendis, sacerdos præbet pœnitenti sollicitanti, sollicitationem importare, quam sollicitationem afficit, in casu, prætextus confessionis. Cf. Planchard, o. c., p. 34; collatis *N. R. th.*, XII, p. 35 s.; Dolhagaray, l. c., p. 427 s., et, in contrariam partem, Rota, *o. c.*, n. 288.

confessionis notitia, ille qui sollicitat prætextu confessionis, sub *ficta* seu *falsa* allegatione confessionis instituendæ sollicitat.

Notetur autem, cum PLANCHARD, o. c., p. 33, quod ut « ex hac clausula sequatur obligatio denuntiandi, omninò requiritur ut *ob ipsam sollicitationem peragendam*... prætextus confessionis adhibeatur ».

Unde, uti *ibidem* eruitur : a/ « denuntiationi non est obnoxius qui prætextum confessionis audiendæ Superiori obtendit ut is licentiam exeundi concederet, et postea infirmum sollicitavit; quia prætextu confessionis non sollicitatio peracta est, sed tantùm licentia exeundi concessa ; item b/ denuntiandus non est qui, extra confessionis tempus et locum, fœminam sollicitat, eique, ut facilius assentiat, promittit se postea confessionem ejus auditurum » (1).

5° *In confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato vel electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem.*

Connexio sollicitationis cum administratione sacramenti Pœnitentiæ oritur, pro hac clausula, principaliter *ex circumstantia loci*, accedente tamen *simulatione confessionis*. Quocirca hæc attende sequentia :

a/ Requiritur *utraque* conditio *simul: circumstantia* loci et *simulata confessio;* quod valet etiam pro sollici-

---

(1) « La confession, uti notat *N. R. th.*, XII, p. 37, n'est nullement le prétexte de la sollicitation ; elle n'exerce d'influence que sur le consentement de la femme ».

Idem motivum valet pro casu sacerdotis, qui personam sollicitat, et, ut securius assentiat et minus timeat difficultatem executionis, ipsi suadet vel cum ea convenit ut infirmitatem simulet et ipsum prætextu confessionis accersendum curet : confessio non est prætextus ad sollicitationem, sed ad facilitandum consensum in illam.

Quodsi deinceps sacerdos, prætextu confessionis vocatus, accedat et turpiter peccet cum persona, ex hoc capite locus esse videtur denuntiandæ sollicitationi prætextu confessionis ; quod tamen non admittit, inter alios, *N. R. th.*, XII, p. 36. Cf. hîc DOLHAGARAY, l. c., p. 426 s., et PLANCHARD, o. c., p. 33.

tatione quæ fieri contingat *in confessionali*, et non tantum pro illa quæ exercetur in loco ad confessiones electo aut destinato.

Equidem Auctores nonnulli simulationem non requirunt pro constituendo sollicitationis crimine, quando committitur *in ipso confessionario,* ad hoc invocantes decretum Pauli V, de die 10 Julii 1614 (1); sed ab hac opinione communius receditur, idque merito, attento scil. tenore Bullæ Gregorii XV et Bened. XIV, ubi haud obscurè apparet incisum « cum simulatione... » afficere integram quæ precedit pericopam, necnon attenta præprimis solutione data a decreto 1661, ad 15m (2); cui solutioni standum esset potius quam decreto anteriori Pauli V, in quantum inter se conciliari non possent (3). Hujus controversiæ discussionem egregie exhibent GIRALDI, o. c., p. 637 s., et ROTA, o. c., n. 297 ss.; cf. etiam DOLHAGARAY, l. c., p. 430 ss. et *N. R. th.*, XII, p. 38 ss.

b/ Quod spectat *circumstantiam loci : confessionale* designat sedem notissima forma confectam, in modum

---

(1) Decrevit procedendum a S. Officio contra confessarios qui « tractant cum mulieribus *in confessionali,* extra occasionem confessionis ». Cf. COZZA, o. c., n. 112.

(2) Ad quæstionem : « an sit denuntiandus confessarius qui, sedens in confessionario, sollicitat mulierem stantem ante confessionarium, non simulando confessionem », responsum fuit : « censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate ».

In eumdem sensum requisitæ scil. simulatæ confessionis conjunctæ cum circumstantia confessionarii, interpretanda censetur responsio subobscura C. S. O., 28 Apr. 1700, ad 1m, apud *Collectanea*2 , n. 248.

(3) Decretum Pauli V censetur spectare hypothesim confessarii sedentis in confessionali in eoque sollicitantis pœnitentem pariter in confessionario sistentis : quo supposito vix deerit confessionis simulatio, juxta infrà dicenda.

Pari modo solvitur difficultas quæ fieri posset ex decreto 1661, ad 4m, suprà relato, in altera parte, quatenus declaratur sollicitatio declaranda illa quæ fit *in confessionario* erga mulierem, in confessionario dicentem se velle in crastinum confiteri : supponitur nempe uterque in confessionali consistens per modum sedentis respective et genuflectentis, adeoque præsumitur confessionis simulatio.

cellulæ pro confessario cum genuflectorio ex uno vel utroque latere pro pœnitente, interposita inter sacerdotem et pœnitentem fenestella cum crate et foraminibus parvis.

Locus ad confessiones audiendas destinatus sunt, præter confessionalia, loca in quibus confessiones habitualiter solent excipi, quin in modò descriptam formam sint confecta, qualia sunt sacristiæ ubi, in gratiam v. gr. surdastrium, habetur sessorium pro sacerdote et genuflectorium pro pœnitente, absque cellulæ specie, vel etiam locutoria in conventibus regularium, ad usum sacerdotum adventantium, et alia hujusmodi.

Locus ad confessiones audiendas electus passim ab Auctoribus sumitur pro quocumque loco indeterminatè, sive in via, sive in campo, sive in platea, qui incipit esse locus ad confessiones audiendas electus eo ipso quod ad confessionem hic et nunc audiendam vel simulandam (1) adhibetur, etiamsi electio non spectet nisi hanc unicam vicem et mere accidentaliter contingat (2).

Potius censemus cum BERARDI, o. c., n. 158 ss., hic proponi circumstantiam loci antecedenter *determinati*, quæ nempe non verificetur per ipsum solum arbitrarium factum quod hic et nunc in eo simuletur confessio, sed per hoc quod locus quidam ad confessiones habitualiter non destinatus, transeunter ad hoc destinetur, quemadmodum id fit occasione magni concursus fidelium, missionis vel specialium adjunctorum quorumvis (3). Et

---

(1) Dicitur: « ad simulandam », quia non requiritur ut confessarius vel pœnitens intendat veram confessionem et ad hoc locum elegerit; sic enim reinciderem us in clausulam de qua suprà: occasione confessionis. Sufficit, in illa sententia, ut sacerdos elegerit locum ad simulandam confessionem.

(2) Ita GIRALDI, o. c., p. 639; ROTA, o. c., p. 296; BALLERINI-PALM., o. c., n. 1110, in nota; LAHOUSSE, o. c., n. 265; DOLHAGÀRAY, l. c., p. 430.

(3) Talis locus potest esse in quacumque parte ecclesiæ, inter stallas vel scamna, vel extra ecclesiam, etiam in platea, modò locus ad hoc

sane in sententia communi non apparet quo spectet circumstantia loci, quid afferat ad connexionem inducendam cum sacramento Pœnitentiæ; simulatio esset solum ac unicum elementum, siquidem ipso simulationis facto, in qualicumque loco contingat, constitueretur locus ad confessiones audiendas electus; notetur etiam non dici: « locus ad confessione*m* audienda*m* electus », sed: « locus ad confessione*s* audienda*s* electus », addito: « cum simulatione *ibidem* audiendi confessionem, quod innuit locum *antecedenter determinatum* citra factum simulationis.

c/ *Simulatio confessionis* importat externam speciem seu repræsentationem confessionis, adeo ut ex apparentiis conjicendum foret confessionem excipi.

Ad hanc confessionis simulationem non requiritur simulandi intentio; sufficit simulationis factum; nec refert, si hæc adest, quod testes desint: satis est quod testibus, si adessent, species appareret confessionis exceptæ.

Porro facilius obtinebit descripta simulatio *in confessionario:* sufficiet quod confessarius sedem occupet, præsertim si stola vel et superpelliceo est indutus, et coram ipso genuflexa aspiciatur persona pœnitentis; excipe si externe appareret ex risu, gestibus, cachinnis, ibidem non agi confessionem (1). Etiam *in loco ad confessiones audiendas destinato vel et electo* potest simulatæ confessionis præsumptio induci ex ipso facto genuflexi pœnitentis coram sacerdote sedente, maximè si loci dispositio formam confessionalis aliquo modo imitetur. Quodsi pœnitens extra confessionale versetur vel non genuflectat in genuflectorio, non sufficit quod confessarius sedem occupet, etiam stola et superpelliceo

---

determinatus fuerit antecedenter. Talis etiam locus censetur coram æstimatione communi, ad hoc electus cubiculum personæ, infirmæ et egredi non valentis.

(1) Cf. Bucceroni, o. c., n. 20.

indutus; ulterius requirerentur positiva indicia ex quibus species externa innotescat confessionis exceptæ (1).

Clausula, de qua sub hoc 5°, supponit sollicitationem fieri tum extra confessionis actum, nec immediatè ante vel post, tum extra occasionem vel prætextum confessionis, non petita scil. nec prætentata confessione; ita in casu mulieris cupientis aliquid communicare sacerdoti, et quæ ab eo ducitur ad confessionale ibidemque, simulata confessione, sollicitatur; item si sacerdos et mulier, turpes sermones miscentes, ut liberius agant, ex condicto confessionarium ingrediantur, et, simulando confessionem, in turpiter colloquendo pergant.

Per modum conclusionis ad dicta sub A: requisita connexio inter sollicitationem et Pœnitentiæ sacramentum, datur a/ casu quo reipsa *confessio instituitur:* si locum habet sollicitatio in actu confessionis, vel immediate ante aut post, vel ansa sumpta ex notitia in confessione excepta; b/ casu quo *confessio non instituitur:* si locum habet sollicitatio ex petita vel prætextata confessione, vel, extra hanc hypothesim, in confessionali, vel loco ad confessiones destinato aut electo, simulata confessione.

B. Connexio hujusque descripta et delineata, quæ requiritur cum Sacramenti Pœnitentiæ ministratione, non postulatur respectu sollicitationis *opere completæ,* sed sufficit ut obtineat respectu sollicitationis *inchoatæ,* exinceps ad actum completum deducendæ (2).

---

(1) Sic, in decreto 1661, ad 15m, ex una parte docetur per se non esse denuntiandum confessarium qui, sedens in confessionali, sollicitat pœnitentem ante illud stantem; ex alia autem parte, addendo: « non simulando confessionem », innuitur etiam hoc modo verificari posse confessionis simulationem.

(2) Hunc loquendi modum præferendum ducimus præ modo loquendi passim usurpato. Dicunt communiter Auctores sollicitationem sufficere mediatam, seu indirectam, seu latentem, peractam scil. verbis vel factis indifferentibus, quæ exinceps innotescant mala intentione fuisse dicta vel posita. Potius dicendum in verbis illis et factis de se indifferentibus non contineri sollicitationem, sed ejus inchoationem dumtaxat, cui

Ita ex decretis S. Sedis novimus sollicitationi denuntiandæ esse locum in casu quo confessarius, sive in ipsa confessione, sive ante vel post, sive occasione vel prætextu confessionis, sive in confessionali, simulata confessione, chartam pœnitenti tradiderit « *postea domi legendam,* in qua ad venerem sollicitat » (1).

Idem valet pro casu quo confessarius in uno ex prædictis adjunctis pœnitenti indixerit conveniendi locum, ad quem postea accedens confessarius sollicitat pœnitentem, ita ut intima relatio appareat inter factum prævium, in connexione cum sacramento Pœnitentiæ positum, et sollicitationem ipsam, quasi executionem et completionem illius (2).

A. De Smet.

V

Q. *Comment et dans quelle mesure la théorie conciliaire fut-elle reconnue aux conciles de Pise, de Constance et de Bâle?*

R. Nous avons vu dans nos réponses précédentes comment les idées conciliaires, nées du temps de Boniface VIII, prêchées ouvertement par les fanatiques partisans de Louis

---

postea succedit ipsa sollicitatio in actu secundo; sufficere autem ut connexio quæ cum Sacramento Pœnitentiæ requiritur afficiat sollicitationem inchoatam, quin attingat ipsam sollicitationem opere completam.

(1) Decr. 1661, ad 1um, et propos. 6^{a} ab Alexandro VII damnata, apud Denzinger-Bannwart, *Enchiridion,* n. 1106.

(2) De illa relatione intima inter succedentem sollicitationem et factum prævium occasione confessionis positum, utrum scil. factum illud de se forte indifferens inchoatam importet sollicitationem et ad ipsam sollicitationem ordinetur necne, dijudicandum est juxta adjuncta individua: speciatim utrum in ipso accessu ad locum designatum sollicitaverit confessarius, vel contra post interpositum aliud negotium, ita ut hujus negotii tractatio intenta fuisse videatur; utrùm locus electus fuerit ad sollicitationis crimen perpetrandum idoneus, puta locus secretus, in quo solus cum sola agere possit sacerdos, vel e contrario locus minus ad hoc conveniens, utpote aliis pervius. Videsis casus solutos apud *Anal. eccles.*, 1898, p. 476 et Rota, o. c., p. 274.

de Bavière, avaient fini par gagner les meilleurs esprits, grâce aux circonstances malheureuses du grand schisme (1). Il nous reste à voir comment la doctrine subversive fut mise en pratique et professée publiquement dans les conciles de Pise, de Constance et de Bâle (1409-1443) (2). Pour les circonstances historiques relatives à ces mémorables assemblées, et qui n'intéressent pas notre question, nous nous contentons de renvoyer aux ouvrages généraux et nous réservons pour un prochain article la question de l'attitude des papes de cette époque et de la condamnation des erreurs conciliaires au XVe siècle.

I. Concile de Pise (1409).

Ce concile fut convoqué par la majorité des cardinaux des deux obédiences, malgré les protestations de Grégoire XII et de Benoît XIII, pour le 25 mars 1409. Il s'ouvrit au jour fixé et après de nombreuses discussions se déclara légalement réuni, dans sa VIIIe et sa IXe session. Dans les cinq séances qui suivirent, on examina les « méfaits » des deux papes rivaux ; dans la XVe session, on les déclara *ipso facto* retranchés de l'Église et par conséquent déchus « parcequ'ils étaient schismatiques, hérétiques, parjures, scandaleux, opiniâtres et incorrigibles ». Et pour que cette déclaration ne pût être invoquée comme insuffisante, le concile *ad cautelam* déposa les deux papes, déclara le Saint-Siège vacant, suppléa aux défauts possibles des promotions des cardinaux et les rendit aptes à faire l'élection pontificale. Du conclave de Pise sortit l'archevêque de Milan, Pierre Philargi, qui prit le nom d'Alexandre V (1409-1410).

Nous avons bien ici une application pratique de la

---

(1) Cfr. supra p. 147 ss. Outre la littérature déjà signalée, nous avons encore consulté les articles *Bâle* et *Constance* par BAUDRILLART dans le *Dict. de Théol. Cathol.*, FORGET art. *Conciles* dans *Dict. Apolog. de la Foi Catholique*, et les *Collat. Namurcen.*, t. XII, p. 279-298.

(2) Pour les actes de ces conciles, voir le 8me vol. de HARDUINUS, *Acta Conciliorum*, Pariis, 1714.

théorie conciliaire: les cardinaux en convoquant le concile et les pères en déposant les papes agissent et se présentent, quoiqu'on en dise, comme supérieurs au pape et juges du pontificat suprême (1). Aussi bien ce concile illégal et nullement œcuménique n'amena-t-il pas l'union désirée; au lieu de deux papes il y en eut trois (2). Le conciliabule de Pise eut encore pour résultat d'enracciner davantage dans les esprits les fausses théories conciliaires.

II. **Concile de Constance (1414-1418).**

A mesure que le schisme s'aggravait, le besoin d'en sortir se faisait sentir plus vivement: l'empereur Sigismond prit l'initiative d'un nouvel essai d'union, et obtint non sans peine du successeur d'Alexandre V, Jean XXIII, qu'il convoquât le concile de Constance. La célèbre assemblée s'ouvrit le 16 nov. 1414; malgré les bonnes intentions de la majorité, elle suivit dès le début et aggrava bientôt les errements de Pise.

Sans doute le concile avait été convoqué par un pape; mais ce pape était illégitime (3); d'ailleurs l'assemblée

(1) D'après M. SALEMBIER, *o. c.*, p. 262, note 1, l'assemblée de Pise ne se pretendait pas supérieure au pape, puisqu'elle ne fait que déclarer la déchéance existant *ipso facto*. Ce jugement porte à faux: les pères de Pise ne se sont pas contentés de cette déclaration; après l'avoir faite ils ajoutent: « ... nihilominus ipsum Petrum et Angelum et eorum utrumque *per hanc sententiam diffinitivam* in his scriptis privat (Concilium) abjicit et præscindit..... ecclesiamque vacare Romanam ad cautelam decernendo ». HARDUINUS, *o. c.*, p. 15.

(2) « Le concile de Pise, assemblé par les cardinaux sans l'assentiment et sans la participation d'aucun des deux prétendants à la papauté, n'ayant jamais été dans la suite l'objet d'une approbation qui ait pu guérir ce vice originel, n'a manifestement rien de l'œcuménicité ». FORGET, *a. c.*, col. 617. Cfr. aussi JUNGMANN, Diss. XXXIII, n. 49 ss.

Même d'Ailly et Gerson partisans du concile doutèrent de la valeur de ses actes. SALEMBIER, *o. c.*, p. 271.

(3) C'est l'opinion de JUNGMANN, *l. c.*, n. 51 ss., de HERGENRÖTHER, de PASTOR, *o. c.*, p. 200 et de la plupart des historiens actuels. Alexandre V, fait remarquer le cardinal Hergenröther, (et conséquemment Jean XXIII, son successeur, ne pouvait prétendre au titre de pape légitime ayant été élu par un concile qui ne l'était pas lui-même... « Avant la réunion du

fit bientôt voir qu'elle voulait se passer d'une autorité supérieure. Sur la proposition de Pierre d'Ailly, il fut admis que non seulement les évêques présents, mais aussi les procureurs des absents, les abbés, les chapitres, les universités, les docteurs et même les ambassadeurs des princes voteraient. On établit, en outre, que le vote aurait lieu, non par tête, mais par nation. Ces deux procédés n'étaient pas seulement de nature à introduire dans le concile des divisions nationalistes et particularistes, ils étaient révolutionnaires au premier chef : le droit de gouverner l'Église et d'être juge de la foi n'appartient en effet qu'au souverain pontife et aux évêques, représentant non les nations mais l'Église universelle.

Cette façon d'agir diminua également l'espoir qu'avait Jean XXIII de se voir confirmer dans sa dignité, il prit finalement le parti de quitter Constance (20 mars 1415). Cette fuite inattendue engagea les plus exaltés des membres du concile dans une voie plus dangereuse encore : craignant la dissolution, ils s'armèrent d'une déclaration de principe, qui montre à quel point l'anarchie était complète. C'est en effet alors, notamment dans la IVe et Ve session, qu'ils publièrent dans le but de donner à leurs travaux futurs un fondement dogmatique les célèbres *décrets de Constance*. En voici le passage essentiel : « Le Concile de Constance, légitimement assemblé dans le Saint Esprit, formant un concile œcuménique et représentant l'Église militante, tient sa puissance immédiatement de Dieu ; et tout le monde, y compris le pape, est obligé de lui obéir en ce qui concerne la foi, l'extinction du schisme et la réforme

---

concile de Pise. Grégoire XII était ou n'était pas le pape légitime. S'il l'était un décret rendu par une assemblée sans chef ne pouvait lui enlever ce caractère ; s'il ne l'était pas, les cardinaux (nommés par lui) qui élurent Alexandre ne l'étaient pas non plus ; par conséquent l'élection faite par eux était nulle et illégale ». HERGENRÖTHER-KIRSCH, éd. 1904, p. 846.

de l'Église *in capite et membris* » (1). Il fut déclaré en outre que le pape ne peut ni dissoudre, ni ajourner, ni transférer ailleurs le concile, sans le consentement de celui-ci. Voilà donc bien une consécration, en quelque sorte officielle, de la théorie conciliaire. Hâtons-nous d'ajouter que ces décrets sont de nulle valeur : ils furent portés sans vote régulier, au milieu du tumulte, par un concile nullement œcuménique et ils n'ont pas été compris dans la confirmation subséquente faite par Martin V (2). Ajoutons que ceux qui les votèrent ne les entendaient pas tous de la même façon : quelques-uns voulaient simplement proclamer la supériorité du concile dans les circonstances données, c'est-à-dire en cas de doute sur la légitimité du pape (3); la plupart cependant y attachaient une signification générale et dogmatique et espéraient faire passer à l'état de dogme une nouveauté qui était le bouleversement de l'antique doctrine catholique (4).

Après s'être investi de cette autorité suprême, le concile dans sa XIIe Session (29 mai 1415) procéda à la déposition de Jean XXIII, qu'il avait cependant considéré comme pape légitime ; le pontife eut la bonne inspiration de se soumettre à cette sentence. La situation était ainsi revenu au point où l'avait trouvée le concile de Pise, tout aussi inextricable qu'alors. La

---

(1) Harduinus, *l. c.*, p. 258.

(2) Quelque soit l'hypothèse qu'on adopte concernant la légitimité du Pape, le concile de Constance était acéphale et certainement non œcuménique dans sa IIIe, IVe et Ve Session : Jean XXIII, que quelques uns, à tort d'après nous, considèrent comme le vrai pape avait abandonné le concile et ce n'est que dans la XIVe Session que le pape véritable, Grégoire XII, fit une convocation en règle.

(3) Cfr. Mazarella, *De vera religione et de Ecclesia Christi*, p. 775 ss.; Baudrillart, art. *Constance* cité, col. 1220. En tout cas, dit M. Salembier, *o. c.*, p. 306, si l'assemblée ne voyait dans cette doctrine qu'un « expédient passager » elle se déclarait œcuménique sans aucun droit. Nous parlerons dans notre réponse prochaine de la prétendue confirmation faite par Martin V.

(4) Pastor, *o. c.*, p. 212.

noble générosité de Grégoire XII y apporta remède par une démarche pleine de dignité. Le pape de Rome annonça son intention de se démettre: mais préalablement il chargea le cardinal de Raguse de convoquer le concile en son nom et d'autoriser ce qu'il ferait désormais *(omnia per ipsum agenda)* pour l'union et la réforme de l'Église et l'extirpation de l'hérésie: les pères acceptèrent cette convocation en règle (4 juillet) et devant ce concile légitimé par son autorité suprême, Grégoire XII remit sa démission. Restait Benoît XIII. Abandonné de son obédience qui s'était rattachée au concile, il pouvait être considéré désormais comme illégitime et schismatique incorrigible. Il fut déclaré déchu de tous droits le 26 juillet 1417. Enfin le 11 novembre suivant, le cardinal Otto Colonna fut proclamé pape sous le nom de Martin V et universellement reconnu.

Malgré les graves attentats portés à la constitution de l'Église, le concile de Constance avait relevé la papauté (1). Martin V allait reprendre dans l'Église l'autorité légitime et préparer la résistance au dangereux mouvement conciliaire, que l'assemblée de Constance venait d'inaugurer.

III. Concile de Bâle (1431-1438).

Martin V n'était pas favorable à la dangereuse résolution prise à Constance de tenir périodiquement un concile générale; cette innovation, vu surtout les dispositions des esprits, menaçait la constitution monarchique de l'Église; il dut cependant se plier aux exigences de

(1) Lors de l'élection de Martin V, le concile de Constance était acéphale, puisque Grégoire XII, le vrai Pape, avait démissionné, mais cette circonstance n'influe par sur la valeur de l'élection. « Il est vrai, remarque M. Forget (*art. cité*, col. 618) que l'élection de Martin V tirait toute sa légalité de celle du concile; mais il n'est pas permis de confondre l'œcuménicité du concile avec sa *légalité* ou son pouvoir légitime en vue de l'élection ». La faculté d'élire le chef de l'Église n'implique pas dans les électeurs la possession de la même puissance dont la collation suivra leur choix.

son entourage et convoqua en 1423 un concile général à Pavie, qui, jugé trop peu nombreux, fut assigné à Bâle et ajourné jusqu'en 1430.

En réalité le concile ne s'ouvrit qu'en 1431, quelques jours avant la mort de Martin V (20 févr. 1431). Eugène IV eut ainsi à mener la lutte contre les Bâlois bientôt en révolte. A peine la première session, très peu nombreuse, fut-elle tenue que le pape, sur des renseignements inexacts et par crainte de la puissance des conciles, publia, le 18 déc., une bulle pour dissoudre l'assemblée et la transférer à Bologne. Ce fut une maladresse que le cardinal légat Césarini tâcha en vain de réparer, le pape refusa énergiquement de révoquer la bulle (1). L'assemblée cependant, protégée par le pouvoir séculier et soutenue par les docteurs imbus des théories conciliaires (2), n'entendait pas se séparer sans avoir rien fait ; elle affirma sa résolution de demeurer constituée, et, pour parer les attaques dont elle pouvait être l'objet, renouvela les décrets de Constance au sujet de la suprématie des conciles sur les papes (15 fév. 1432). Dans les circonstances présentes, ces décrets prenaient une exceptionnelle gravité. On n'était plus, comme à Constance, en présence d'un pape douteux. Nul ne mettait en discussion la régularité de l'élection d'Eugène IV. On ne saurait donc invoquer ici l'excuse d'une mesure transitoire, imposée par les circonstances ; c'était une vraie déclaration de principe (3). Dans de si pénibles conjonctures le souverain pontife crut devoir faire des concessions. Après de longues négociations,

---

(1) Pastor, *o. c.*, p. 294 ss.

(2) Notamment Nicolas de Cusa qui entreprit de présenter au public dans son traité *De Concordantia Catholica*, une justification scientifique du procédé de Bâle.

(3) Entrant bientôt dans la voie des faits, le concile adressa le 29 avril à Eugène IV et à ses cardinaux une sommation formelle d'avoir à se présenter à Bâle dans le délai de trois mois, sous peine d'être traités comme contumaces. Pastor, *o. c.*, p. 296.

il reconut la continuation du concile, mais il le fit en des termes généraux et vagues qui sauvegardaient ses droits (1).

Forts de cette victoire les pères de Bâle crurent le moment venu de travailler à la réforme de la Cour romaine; ils portèrent plusieurs décrets, tous plus ou moins inspirés par les idées conciliaires et démocratiques; bientôt l'attitude de la démocratie cléricale du concile dépassa en insolence tout ce que l'on avait jamais vu: dans des réunions tumultueuses, où le légat et les cardinaux étaient débordés, on continua à voter, malgré les protestations d'Eugène IV, des mesures vexatoires, qui devaient réduire le souverain absolu de l'Église à la situation d'un humble serviteur du concile (2). Heureusement la division, qui éclata au sein du concile à propos du Synode projeté pour la réunion des Grecs, fournit au pape l'occasion d'intervenir efficacement; le 18 sept. 1437, par la bulle *Doctoris Gentium*, il déclara le concile dissout et convoqua une nouvelle assemblée à Ferrare. Le légat, Cesarini, Nicolas de Cusa et un grand nombre d'autres membres de l'assemblée obéirent au pape.

Cependant une partie des pères de Bâle, vingt-cinq évêques et dix-sept abbés, entrèrent dans la voie du schisme; appuyés secrètement par la France et l'Alle-

---

(1) La question de la confirmation des sessions précédentes du concile de Bâle sera traitée dans la réponse prochaine.

(2) La puissance de la théorie conciliaire parut surtout, remarque le P. Albers (Albers-Hedde, t. II, p. 31), lorsqu'on détermina la réforme de la curie; on fit des prescriptions au sujet de l'élection pontificale, de la nomination des cardinaux et de l'administration des États de l'Église. Tandis que le pape chassé de Rome en révolution, vivait d'aumônes à Florence, le concile interdit toutes les annates et n'accorda rien à la place. Il prescrivit encore que désormais le pape nouvellement élu ferait le serment d'observer les décrets relatifs à la foi, édictés par les conciles, surtout par ceux de Bâle et de Constance et de se conformer à la prescription relative à la convocation régulière des conciles. Bref on rêvait à établir une Église constitutionnelle concentrant les pouvoirs législatif, exécutif et judiciaire entre les mains d'un concile.

magne, ils continuèrent sous la présidence du cardinal d'Arles, Louis d'Aleman, leur œuvre de violence et d'arnachie (1). Le 25 juin 1439 ils déposèrent Eugène IV et créèrent un anti-pape, qui prit le nom de Félix V.

Vains efforts! Le concile de Bâle avait connu un moment le triomphe des idées conciliaires; mais il en vit aussi tous les excès, qui ne contribuèrent pas peu à mettre fin à l'ère des conciles et des divisions qui en furent la suite. Pendant la déplorable comédie de Bâle, se réunisssait le *concile œcuménique de Ferrare-Florence* (1438-1445), qui proclama la primauté du Pontife de Rome avec une clarté et une précision qui n'avaient pas encore été atteintes dans un document officiel de l'Église.

R. De Schepper.

VI

Q. *Quelle est la nature du droit de police du curé* (2)?

R. On entend en général par police de l'église le droit du curé de prendre toutes les mesures et ordonnances nécessaires pour sauvegarder le libre et paisible exercice du culte paroissial et régler toutes les cérémonies religieuses, pour établir et maintenir l'ordre et la dé-

---

(1) C'est à cette époque que l'assemblée des évêques français réunis à Bourges (mai-juin 1438) adopta les vingt-trois décrets de Bâle notamment ceux qui limitaient l'autorité pontificale. La pragmatique sanction, promulguée par Charles VII à la demande de l'assemblée (7 juillet 1438) les transforma en lois de l'État.

(2) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *Jus can. et can.-civ. comp.*, ed. 7, nº 1165 et 1167bis, p. 485 ss.; A. Lauwers, *Du droit de police à l'intérieur des églises*, Bruxelles, 1883; Dupriez, *La liberté de réunion*, p. 208 ss. Brux., 1887; Moulart, *Des Fabriques*, éd. 9, p. 292 ss.; de Corswarem, *De l'administration des fabriques d'églises*, p. 118 ss., Hasselt, 1904; Standaert, *De l'administration des fabr. d'égl.*, p. 194, Gand, 1910; *Rev. cath. de droit*, 1899-1900, t. II, p. 193 ss.; 1905-1906, t. VIII, p. 275 ss.; Fédou, *Traité pratique de la police des cultes*, éd. 5e, Toulouse, 1877 (la 10e édit., 1901); Crouzil, *Traité de la police du culte sous le régime de la séparation*, Paris, 1908; *L'ami du clergé, La jurisprudence civile-ecclésiastique*, t. I, 1894-1896, p. 489 ss.

cence dans les lieux affectés au culte et pour assurer aux objets du culte le respect qui leur est dû (1).

1° *La police du curé est de nature ecclésiastique* et *disciplinaire*. Elle n'a pas pour objet, comme la police civile, de veiller à la sureté, la salubrité et la tranquillité publiques ; mais de maintenir l'ordre externe de l'église et des cérémonies religieuses, d'assurer le libre exercice du culte, d'empêcher tout ce qui pourrait troubler les fidèles dans la pratique de leur religion ou les blesser dans leurs convictions. En conséquence le curé peut régler l'horaire des offices, l'entrée et la sortie des fidèles, exclure de l'église les perturbateurs, s'opposer à l'introduction dans l'église d'emblèmes maçonniques.

2° *Elle est douée d'un véritable caractère légal*, puisqu'elle trouve son fondement, ses limites et sa sanction dans les principes constitutionnels et dans les lois spéciales sur la matière (2).

De par la loi, le curé a le droit de prendre toutes les mesures nécessaires pour maintenir l'ordre matériel et moral dans les églises comme dans les cérémonies qui se font hors des temples. Il a l'autorité voulue pour édicter un règlement obligatoire sur la police du culte et pour veiller par lui et ses agents à son application. Il a à sa disposition pour faire exécuter ses prescriptions non seulement les moyens de persuasion, mais encore la coaction, en vertu de laquelle il peut empê-

---

(1) V. De Brabandere Van Coillie, *o. c.*, p. 485; Moulart, *o. c.*, p. 292; de Corswarem, *o. c.*, p. 125 ss.

(2) V. Lauwers, *o. c.*, p. 31, nomenclature des lois et arrêtés sur le droit de police. M. Dupriez, *o. c.*, p. 215, est d'avis que le curé ne tient pas ses droits directement de la loi ; mais que ceux-ci dérivent de la liberté de réunion et de la liberté des cultes. Nous croyons qu'il est plus exact de dire que le droit de police du curé dérive aussi des lois spéciales sur la matière et est délimité par le principe constitutionnel de la liberté des cultes. M. Dupriez émet des doutes sur l'authenticité de la décision ministérielle du 21 pluviôse an XIII, qui ne figure dans aucun recueil officiel. Cette décision, citée par les auteurs, n'est nullement en contradiction avec les autres dispositions sur la matière.

cher, par lui ou ses agents, l'accès de l'église à certaines personnes, voire même les expulser, avec emploi, le cas échéant, de violence légère. Quiconque enfreint les ordres pris par le curé dans l'exercice de ses attributions légales, de façon à troubler *par son refus d'obéir* l'exercice du culte est punissable par application de l'article 143 du Code pénal. Il a été également jugé que le curé est recevable à se porter partie civile contre ceux qui ont transgressé les mesures disciplinaires prises par lui (1).

3° Il suit de ces deux considérations que *le curé, investi du droit de police, n'est pas un agent de la police civile ou judiciaire*. Ces deux attributions sont différentes quant à leur but et à leur objet; ce sont deux droits qui coexistent et se limitent l'un l'autre. C'est pourquoi, le curé, auquel ne compète aucune partie de l'autorité publique, ne peut pas procéder à des arrestations, ni dresser des procès verbaux ayant force authentique (2), ni *par voie de commande* requérir la force armée. De son côté, la police civile ne peut rien faire qui soit contraire aux mesures prises par le curé dans les limites de sa compétence, elle doit respecter le droit de police du curé et ne peut intervenir *de son gré* que pour le maintien de l'ordre public et de la tranquillité des citoyens (3).

4° *La police du curé est un droit d'ordre public* (4). Elle est conférée non pas dans l'intérêt d'un particulier, mais en vue de l'intérêt public ; elle investit son titulaire d'une réelle autorité dans les églises affectées au service public du culte. En vertu de ses pouvoirs légaux, le curé jouit du droit exclusif de faire des règlements

---

(1) V. *Rev. cath. de dr.*, t. II, p. 199.

(2) V. toutefois LAUWERS, *o. c.*, p. 46.

(3) V. Arrêtés ministériels des 3 avril 1806 et 27 juin 1807, LAUWERS, *o. c.*, p. 32, 43.

(4) Cf. DE CORSWAREM, *o. c.*, p. 125 ss.; *Rev. cath. de droit*, 1899-1900, t. II, p. 193 ss.; 1905-1906, t. VIII, p. 277.

obligatoires et exécutoires, dont les infractions exposeraient les délinquants aux peines encourues par ceux qui troublent l'exercice du culte (1) et dont l'appréciation n'appartient pas au pouvoir judiciaire. Il semble également établi que, sur l'invitation du curé, l'autorité compétente à l'obligation d'assurer l'exécution des mesures de police et d'ordre intérieur prises par lui (2).

Un tel droit n'a évidemment pas les caractères d'un droit d'ordre privé (3). Il ne peut pas davantage être comparé au droit d'un président d'une société d'agrément ou d'une assemblée politique, que le règlement et la nature des choses chargent de la police des réunions (4). Il n'a même que des analogies lointaines avec les attributions des Présidents des Chambres législatives ou des Tribunaux (5).

A. De Meester.

---

(1) Arrêtés des 22 fév. 1806, 1811, 1814, dans Lauwers, *o. c.*, p. 33.

(2) Cf. Arr. des 3 avr. 1806 et 27 juin 1807; arr. des 22 fév. 1806, 1811, 1814; lettre du ministre des cultes, au préfet du Bas-Rhin, du 21 sept. 1869, cf. Lauwers, *o. c.*, p. 32, 33 s., 99 s. V. *L'ami du clergé*, l. c., p. 490. Cfr. tamen de Corswarem, *o. c.*, p. 135.

(3) V. cependant Dupriez, *o. c.*, p. 215 ss., qui comparé les pouvoirs du curé avec ceux d'un président de club.

(4) Cf. de Corswarem, *o. c.*, p. 126. — En sens contraire Dupriez, *o. et l. c.*

(5) Lettre du ministre des cultes au préfet du Bas-Rhin, 21 sept. 1869, dans Crouzil, *o. c.*, p. 40, note.

LIBRI DE THEOLOGIA DOGMATICA

Bartmann, *Lehrbuch der dogmatik*. Freiburg i. Br., Herder, 1911. In-8, XIX-861 p. M. 14,00.

Pesch, Chr. S. J., *Compendium theologiæ dogmaticæ*. Ibid. 1913. In-8, XII-304 p. Fr. 6,00.

De Baets, *De gratia Christi*. Gandavi, Huyshauwer, 1910. In-8, IV-166 p. Fr. 2,00.

Pègues, O. P. *Commentaire français littéral de la somme théologique de saint Thomas d'Aquin*. T. V, *Traité du gouvernement divin*. Toulouse, Privat, 1910. In-8, VIII-682 p. Fr. 18,00.

Wagner, *De gratia sufficienti*. Græcii (Graz) Moser, 1911. In-8, X-484. M. 8,50.

Billot, Card. *De gratia Christi*. Prati, Giachetti, 1912. In-8, 304 p. Fr. 3,00.

David, *De objecto formali actus salutaris*. Bonnæ, Hanstein, 1913. In-8, VIII-70 p. M. 1,50.

Van Noort, *De Deo Creatore*. Amstelodami, Van Langenhuysen, 1912. In-8, 204 p. Fl. 1,50.

Billot, Card. *De personali et originali peccato*. Prati, Giachetti, 1910 In-8, 198 p. Fr. 3,00.

Le Bachelet, S. J. *Auctarium Bellarminianum*. (Supplément aux œuvres du Cardinal Bellarmin). Paris, Beauchesne, 1913. In-4, XXIV-726 p. Fr. 27,00.

Dr **Bartmann** in uno volumine integram materiam, quæ nomine *theologia dogmatica* communiter designatur, exposuit, et sic optimum præbuit instrumentum quo tota Ecclesiæ catholicæ doctrina de suis dogmatibus tuto possit cognosci (1):

(1) Dolendum tamen est quod non latina scripserit A. lingua: multæ enim sunt rationes cur libri de theologia proprie dicta et theologiæ studiosis destinati conficiantur *latine:* scholasticæ terminologiæ et ser-

inter tractatum de gratia et tractatum de sacramentis (in genere et in specie) agit A. de Ecclesia : recte quidem : datur enim de Ecclesia tractatus stricte dictus *theologicus*, non apologeticus. Scientiæ theologicæ tria munera assignat A., scilicet : 1/ eruere ipsam veritatem dogmaticam ex Ecclesiæ documentis ejusque sensum determinare, etiam ex consideratione hæresum vel adjunctorum, quæ definiendi veritatem occasio fuere ; 2 demonstrare prædictam veritatem revera in S. Scriptura et in Traditione contineri ; 3 hanc ulterius explicare ope rationis et præsertim philosophicæ inquisitionis (p. 70 ss.).

Quoad primum, A. propositiones bene exprimit, illisque assignat notam theologicam convenientem : non possumus tamen Auctori consentire statuenti *fidei proximam* esse assertionem qua dicitur gratiam actualem requiri ad omnes salutares actus, etiam in homine justificato (p. 433).

Excellit A. in fungendo munere, secundo loco indicato : magna cum cura et eruditione argumentum ex S. Scriptura exponit, breviter indicat doctrinam Patrum : scopum habet ut objectionem refutat quam Rationalistæ et Modernistæ nostris diebus sæpe nobis opponunt : quod nempe non idem in S. Scriptura docetur quod postea credidit Ecclesia.

Quoad tertium munus, nempe speculativam et philosophicam veritatis expositionem, A. breviter indicat argumentum ex ratione ; omnes quæstiones de quibus inter theologos datur controversia in parvo textu exponit, et generatim suam sententiam non aperit : hæc non est in se improbanda methodus, sed tamen apta non est quæ juvenum mentes informet ad habitum ratiocinandi et ad acquirendam scientiam proprie dictam. Præterea nimis brevis, imo insufficiens nobis videtur expositio quam præbet A. de ulteriori dogmatis explicatione : v. gr. quoad medium in quo Deus cognoscit res, p. 145 ss., ita brevis est licet exacta expositio de Thomismo ac de Molinismo ut in ipsa difficulter perspiceret utramque sententiam qui antea eam non cognoscit. In

---

monis claritas et fixa significatio est commodum magnum quod aliis in linguis obtineri nequit. De usu linguæ latinæ in disciplina theologica cf. epistolam e S. Congregatione Studiorum, ap. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 599.

quæstione de essentia gratiæ actualis, p. 418 s., idem est animadvertendum; insuper non indicat A. sententiam illorum theologorum qui admittunt præmotionem physicam, sed rejiciunt prædeterminationem physicam in ipso actu electionis voluntatis: hæc sententia nec ad Molinæ, nec ad Bannezii doctrinam reduci potest (1). — Etiam in tractatu de Verbo Incarnato, A. nihil tradit de scholastica ipsius unionis hypostaticæ expositione; p. 318 s. ostenditur quomodo incarnatio non repugnet diversis attributis Dei; sed si quædam occurrit difficultas, imprimis hæc erit: quomodo possit esse una persona in duabus naturis intellectu præditis? De qua A. nihil dicit; generatim de objectionibus ex ratione desumptis mentionem non facit. Nec accurate dicitur p. 366, scholasticos, in explicando opere Christi quo operatus est nostram salutem, ponere doctrinam de *satisfactione vicaria* loco doctrinæ de *expiatione vicaria* vel de *redemptione*, quam Patres docuerunt (2).

Defectus, quos patefecimus, non impediunt quominus sincere fateamur Auctorem ingenti in opere, quod scripsit, se ostendisse peritissimum in sacra theologia, hodiernas quæstiones difficultatesque habere perspectas, multaque ex S. Scriptura et Traditione collegisse documenta quibus veritates, quatenus a Deo revelatæ, stabiliuntur, ideoque librum dedisse quem utiliter adibunt theologiæ studiosi.

---

(1) Mirum est ab Auctore, p. 473, asseri Moysem, Job, S. Paulum habendos esse ut adhærentes doctrinæ quam Thomistæ tenent in explicanda efficacia gratiæ actualis. Illa enim controversia et aliæ dirimi nequeunt ex libris S. Scripturæ, quales de facto habemus, sed quæstionis solutio pendet ex recta intelligentia operationis divinæ in operationem humanam, quemadmodum rite animadvertit De Baets, *o. c.*, p. 92.

(2) S. Thomas, v. gr., 3, q. 48, *quatuor diversas rationes formales causalitatis* in passione et morte Christi omnino tenet. — Circa hanc quæstionem utiliter legetur articulus quem nuperrime conscripsit cl. Ad. d'Alès, in *Études*, t. 135, 1913, p. 170 ss.: refutat quasdam opiniones propugnatas a cl. Rivière, in *Revue pratique d'Apologétique* et *Revue du clergé français* (t. LXXII, p. 669 ss., t. LXXIII, p. 33 ss.). Notemus ab ipso Deo revelatum fuisse Christi mortem esse vicariam expiationem, sacrificium, redemptionem, satisfactionem: licet hæ diversæ rationes inter se comparari queant, *omnes* tamen sunt tenendæ, quatenus in Christi morte *verificatæ*, nec una potest substitui alii.

Præsertim in utilitatem alumnorum, quibus disciplina theologica est tradenda, amplas suas *Prælectiones dogmaticas* in compendium reducendi onus suscepit **P. Pesch,** primumque hujus *Compendii* tomum nunc edidit: qui complectitur: *inquisitionem præviam de religione et revelatione in genere*, tractatum *de Christo legato divino* (cui præmittitur disputatio de fontibus historiæ Jesu Christi, nempe de genuinitate, de integritate, de credibilitate Evangeliorum), tractatum *de Ecclesia* et *de fontibus theologicis*, scilicet de magisterio ecclesiastico (de traditione) et de sacra scriptura.

Methodo utitur A. stricte scholastica in definiendo, probando, disputando: cujus utilitas, imo necessitas negari nequit. Hæc præsertim elucet in modo, seu forma syllogistica, sub qua proponuntur ac solvuntur objectiones: hac agendi ratione plene perspicitur in quo præcise sita sit difficultas et dijudicatur utrum adæquata tradatur solutio.

Auctoris scientia ac eruditio in re dogmatica satis notæ sunt, nec est cur certiores reddamus lectores quod solidam ac tutam in prælaudato compendio inventuri sunt doctrinam. Quædam tamen nimis breviter, et forsitan insufficienter, exposita videntur: v. gr. quæ spectant *notas* Ecclesiæ, n. 255-261, quod valet præsertim de sanctitate.

Opportune, p. 118 ss., statuit A. thesim: « Interna quoque criteria divinitatem doctrinæ Christi suadent »: quæ assertio omnino diversa est a sententia quorumdam qui propugnant « apologeticam immanentiæ ».

Diversa prodierunt opera quæ versantur circa *gratiam*. Imprimis nobis laudandum occurrit schema lectionum quod in usum alumnorum seminarii Gandavensis conscripsit D. **De Baets.** Breviter sed profunde ac nitide exponit præcipuas quæstiones, quæ ad tractatum de gratia pertinent, solutionemque, cui adhæret, aperit ac propugnat. Opus habet quatuor sectiones, in prima agitur de *gratia in communi*, in secunda, de *gratia habituali*, in tertia, de *gratia actuali*, in quarta, de *causis gratiæ*, nempe de causa efficienti, finali (sub qua venit quæstio de merito), de causa materiali seu de dispositione ad gratiam.

Præ aliis notatu digna sunt quæ censent A. de gratia actuali. Postquam ostendit motionis divinæ necessitatem

tum *physicam*, tum *moralem*, etiam in ordine mere naturali (1), et demonstravit essentiæ actus electionis repugnare physicam prædeterminationem ad unum (p. 71 s.), statuit etiam duplici ratione, nempe physice et moraliter, requiri gratiam actualem (p. 88 ss.): hæc complectitur illustrationes et inspirationes, quæ sunt *actus indeliberati*, sed iis non absolvitur: nam præter actus indeliberatos, ad gratiam pertinet motio ipsa divina *quæ directa terminatur ad actum deliberatum* (p. 91 ss.): insuper in homine carente habitibus supernaturalibus, requiritur principium intrinsecum supernaturale ac transitorium quo elevetur ab intrinseco actus voluntatis supernaturalis: impossibilis enim est elevatio actus vitalis mere extrinseca (p. 95 ss.). Speciali deinde cura pertractat A. quæ spectant *efficaciam* gratiæ (p. 99 ss.): censet A. gratiam *non ab intrinseco* esse efficacem, nec in sensu Bannezii, nec in sensu Augustinianorum, proinde efficacem gratiam non esse diversæ entitatis aut naturæ a gratia mere sufficienti: sed conceptum rectum gratiæ efficacis hoc includere quod gratia detur *in effectu*, ipsam efficaciam niti in præscientia divina, distinctionem gratiæ in efficacem et mere sufficientem esse de gratia excitante, non de adjuvante, intelligendam.

Optime demonstrat A., in sententia eorum qui dicuntur Thomistæ, prædeterminationem physicam componi non posse cum recta notione libertatis indifferentiæ (p. 113) et, in sua sententia, actum salutarem esse vere et complete dependentem a Deo, tamquam a causa prima (p. 115 ss.). Etiam animadvertamus sententiam ab Auctore propugnatam, *quoad cooperationem Dei in operationibus creaturarum*, nec ad Molinæ nec ad Bannezii doctrinam posse reduci et proinde tertiam esse hac in re agnoscendam sententiam (2).

---

1 Circa rationem necessitatis auxilii divini in ordine naturali et circa modum explicandi cur hoc auxilium non foret supernaturale, cf. MERCIER, O. F., in *Revue thomiste*, t. XVI, 1908, p. 516 ss. Idem auctor, *ibid.*, p. 537 ss., optime disseruit de *supernaturalitate* conditionis in qua principarentes fuerint a Deo constituti et extendit ex recta notione prædicti supernaturalis status bene explicari varia facta quæ narrantur in cap. III *Genesis*.

2 Hanc etiam tenebat BELLARMINUS, de cujus mente cf. LE BACHELET, in *Recherches de science religieuse*, t. II, 1911, p. 584, 586 ss.; et inter theologos recentiores: PIGNATARO, *De Deo Creatore*, Romæ, 1905, p. 516, 521; CARD. BILLOT, *De gratia*, Romæ, 1908, p. 15 ss., 124 ss.; VAN DER MEERSCH,

Quoad sententiam S. Thomæ circa materiam suprà indicatam, alia opera hic indicanda sunt: primum est tomus V ingentis operis quod prosequitur **P. Pègues**: in commentario ad q. 105, a. 5, (p. 298 ss.) interpretatur A. mentem S. Thomæ eo sensu quod doceret in actu voluntatis libere eligentis bonum particulare, dari a Deo physicam prædeterminationem ad unum, quam intelligit eodem sensu quo **recentiores Thomistæ** (1).

Explicite quidem docet S. Thomas Deum physice operari in omni creaturæ operatione, omneque agens creatum movere ad operandum, proindeque physice præmovere, quum actio Dei sit natura prior actioni creaturæ, sed S. Thomas non explicat quomodo hæc præmotio physica sit intelligenda quando agitur de actu quo voluntas eligit seu semetipsam movet ad unum determinatum bonum præ alio: insuper actio eligendi est essentialiter diversa ab omnibus aliis actionibus, quæ procedunt a facultatibus creatis, hæc diversitas consistit in hoc quod determinatio electionis sit *contingens*: est *hæc* ita ut possit esse *non hæc*: igitur « cum ipsa libertas essentialiter dicat *aliquam indeterminationem*, divina motio, ut relinquat libertatem, debet relinquere aliquam indeterminationem, et illam aliquam vocamus *indeterminationem terminativam* ». De Baets, *o. c.*, p. 71. Nonne hanc indeterminationem affirmat ipse S. Thomas? Dicit nempe: « Voluntas dicitur habere *dominium* sui actus non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in *voluntate* ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam: et *ideo determinatio* actus relinquitur in *potestate rationis et voluntatis* » (2). Igitur, secundum S. Thomam, voluntas non physice prædeterminatur ad unum a

---

De gratia divina, Brugis, 1910, n. 267, 275; Manzoni, *Compendium theologiæ dogmaticæ*, Augustæ Taurinorum, 1911, vol. III, n. 291 ss.; Wagner, *o. c.*, de quo infrà erit sermo.

(1) V. præsertim quæ et habet in t. VI, p. 301 ss., ad 1-2, q. 9, a. 6, et p. 329. S. Thomas, *S. contra Gentiles*, L. III, c. 89 dicit: « Cum igitur ipse Deus sit causa electionis et voluntatis nostræ, electiones et voluntates nostræ divinæ providentiæ subduntur ». Hoc omnino admittendum, — sed tota quæstio est *de modo quo Deus sit causa electionis nostræ*.

(2) *De Potentia*, q. 3, a. 7, ad. 13. Cf. 1-2, q. 10, a. 4.

Deo. — Dotes præclaras commentarii, quæ etiam in hoc volumine inveniuntur, alibi jam laudavimus (1).

Dr Wagner opportune multos S. Thomæ textus collegit, ordinavit, examini subjecit in opere, cujus titulus: *de gratia sufficienti*; in quo tamen, ut A. ipse fatetur, tamquam scopum præcipue habet solutionem quæstionis de *efficacia* gratiæ, et hanc explicare intendit secundum mentem S. Thomæ. Postquam fuse disseruit de cooperatione Dei in operantibus creaturis generice spectatis (p. 1-144), specialiter agit de gratia, præsertim actuali, diversaque exponit ac dijudicat systemata quibus conati sunt auctores rationem reddere de ipsa efficacia gratiæ actualis.

Molinæ sententiam rejicit æque ac Bannezii (p. 79-91, 333-360), quatenus nempe hic statuit prædeterminationem physicam in actu voluntatis eligentis (p. 265, præsertim 293 s.). Adhæret A. partialiter sententiæ quam propugnavit P. Pignataro (2), quatenus hic docet præmotionem physicam (3) et quatenus tenet distinctionem inter mere sufficientem et efficacem gratiam respicere gratiam *excitantem* seu *prævenientem*, et dissentit a P. Pignataro in hoc quod hic docet non ab intrinseco esse efficacem gratiam actualem excitantem (p. 297 s., 439 ss.), ipse vero A. censet potius ab intrinseco hanc gratiam esse efficacem: « est ergo gratia efficax motio Dei supernaturalis quæ operationem illius operis, ad quod ordinatur, *ex se* et infallibiliter *per modum actus* confert (p. 296). Attamen quum A. rejiciat prædeterminationem physicam, et etiam delectationem victricem, in tantum censet gratiam efficacem *continere in se consensum voluntatis*, in quantum connexio consensus cum gratia efficaci continetur in ordine universali providentiæ divinæ et voluntate Dei consequente (p. 297, 439 ss.). Sed jam non apparet amplius in quo secundum Auctoris mentem præcise consistat ipsa efficacia gratiæ: nam P. Pignataro et ipse admittit omnes omnino actus liberos hominis esse determinatos a Deo,

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 517; t. XV, p. 123.

(2) *De gratia Christi*, lithogr. Spellani, Romæ, 1900, p. 242 ss.

(3) Nescio cur hanc præmotionem A. vocet *mitigatam*.

hoc sensu quod ipsa electio voluntatis est sub dominio Dei et quoad substantiam actus et quoad ejus specificationem (1).

A. suam sententiam ulterius explicat dicendo efficaciam gratiæ in Deum reduci quatenus, sub ejus providentia et cooperatione, actus liberi sunt determinati *mediate*, nempe mediantibus actibus præcedentibus, « ita ut exercitium actuale præcedens ratio sufficiens sit succedentis in qua [actus liber] determinatus est » (p. 290). Sed quomodo hoc conciliari potest cum vera libertate indifferentiæ? Si actus præcedentes actum liberum, de quo agitur, *necessario* et *physice* causant ipsum actum liberum ejusque specificationem, hic actus non est amplius *contingens*. Si vero actus præcedentes non necessario et physice causant actum liberum, non possunt esse ratio sufficiens ejusdem, nec ipsam *efficaciam* gratiæ plene explicare (2).

Nec admittendas, nec S. Thomæ menti conformes, censeo has duas assertiones: « essentia libertatis sita est in exercitio proprii actus, non in ejus specificatione (p. 142) » (3): « deliberatione finita, homo, si consentit, *non novum actum* consentiendo elicit, sed motus indeliberatus in voluntate jam existens, deliberatione illa accidente, jam fit deliberatus (p. 267, cf. 275) » (4).

Sui tractatus *de gratia* novam editionem publicavit Em^us^ Cardinalis **Billot**, in quo nunc commentarium habemus de omnibus quæstionibus quas in materia de gratia explicat S. Thomas, nempe in 1-2, a q. 109 ad q. 114 inclusive.

---

(1) Cf. Pignataro, *De Deo Creatore*, p. 520. Imo omnes doctores, cujuscumque scholæ sint, hoc admittere possunt, imo et debent Cf. Pègues, *Commentaire littéral*... t. I, *Traité de Dieu*, vol. 2, p. 113; Ill^mus^ ac Rev^mus^ Waffelaert, in *Collat. Brug.*, t. IV, p. 507 s ; *Méditations théologiques*, Bruges, 1910, t. I, p. 350.

(2) Secundum Card. Billot, *o. c.*, p. 166 ss., gratia efficax a sufficiente differt solum per denominationem extrinsecam, utpote a Deo data sub præscientia et proposito absoluto consensus obtendi. Et sic omnis contradictio vitatur, licet aperta remaneat quæstio de medio in quo præcise Deus cognoscat hominis consensum. Hujus quæstionis solutio dari non posse videtur

(3) Contra hoc cf. S. Thomas, 1-2, q. 10, a. 2; Billot, *o. c.*, p. 26.

(4) Contra hoc cf. S. Thomas, 1, q. 83, a. 4, ad 2.

Eminentissimi theologi doctrinam antea exposuimus (1), laudavimusque egregium in ratiocinando vigorem ac in exponendo claritatem; nec sententiæ mutationem invenimus in hoc ultimo opere. Concursum simultaneum ad sensum Molinæ æque rejicit ac prædeterminationem physicam (p. 25 ss.), admittit præmotionem physicam in primo actu voluntatis, nempe in motu voluntatis *ut natura*, qua præmotione formaliter *applicat* Deus voluntatem ad operandum seu instinctive movet ad appetitionem sive complacentiam finis; deinde etiam admittit physicum influxum Dei in ipso actu libero: ille influxus non est determinans, nec specificans actum, sed facit tantum ut voluntas *eliciat actum*, quatenus est actus; ipsa voluntas vero facit esse *talem* actum seu ipsa specificat aut determinat *suum agere* (2).

Operis prælaudati secunda pars nunc primùm editur (p. 185 ss.): in qua præcipue consideratione digna sunt refutatio opinionis Scoti, secundum quam peccatum et gratia non formaliter opponuntur (p. 213 ss.), deinde assertio statuens: « augmentum gratiæ nec absolute nec statim consequitur singulum quemque actum meritorium, sed solum sub conditione et ad præsentiam dispositionum respondentium conditionibus pro incremento requisitis in habitibus ordinis naturalis qui per exercitium operum acquiruntur et crescunt » (p. 272); quod confirmatur et hoc asserto: quisquis per pœnitentiam a peccato resurgit, *secundum solam præsentium dispositionum mensuram* semper recuperat gratiam » (p. 281).

Qui Eminentissimi Auctoris librum attente legerit, perspicuum habebit « non pro nihilo esse habenda ea quæ ratio fide illustrata per sedulam et sobriam inquisitionem de tam sublimi simul et suavi mysterio gratiæ Dei assequitur », licet de divina præscientia ac prædestinatione plenam explicationem non valeamus obtinere.

Cum vera delectatione legimus dissertationem quam nu-

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 118.

(2) Aliud igitur est: Deus physice præmovet voluntatem ad actum ab ipsa voluntate determinatum eliciendum; aliud: Deus physice prædeterminat in voluntate actum eliciendum a voluntate Primum non repugnat libertati indifferentiæ, repugnat alterum.

perrime scripsit Dr **David**, de quadam quæstione quæ est ex subtilioribus theologiæ et quæ magni est momenti quum ab illius solutione dependeat recta notio de essentia actus supernaturalis et virtutis infusæ. Inquirit nempe A. quodnam sit *formale objectum* actus salutaris. Acute simul ac erudite determinat sensum quo intelligit denominationem *objectum formale:* est nempe ratio formalis *quæ*, seu proprietas objecti qua præcise a determinato actu est attingibilis (p. 12). Post amplam expositionem solutionum a variis theologis propositorum, tum ante tum post Concilium Tridentinum, auctor suam sententiam propugnat, quæ hæc est: actui salutari non competit proprium objectum formale, diversum ab objecto formali actus naturalis correspondentis; proinde actus salutaris non ideo est *supernaturalis* quia objectum attingit aliter ac actus naturalis correspondens, sed unice quia elicitur a principio supernaturali, nempe a facultate intrinsece elevata per gratiam (1).

Notatu digna est interpretatio quam exponit A. de doctrina S. Thomæ (p. 27-44), et secundum quam constat non posse adduci S. Thomam tamquam faventem sententiæ quæ actui salutari proprium objectum formale, in sensu intellectu ab auctore, vindicat.

Suo opere efficaciter cooperatur A. ad progressum studii theologiæ, quum plura, quæ apud multos modo plus minusve confuso traduntur, magna perspicuitate distinguat ac theologicarum expressionum sensum enucleando rem ipsam penitus investiget.

Non semel opera a D. **Van Noort** conscripta commendavimus, utpote aptissima quibus alumnorum seminarii mentes informentur ad acquirendam scientiam theologicam; nec minori laude dignus est tractatus *De Deo Creatore,* quem secunda vice edidit A. Varias interpretationes de cosmogonia biblica et quæstionem de evolutionismo bene exponit et prudenter dijudicat. De concursu divino tertiam sententiam, de qua suprà egimus, non exponit et probabiliorem censet sententiam eorum, qui Thomistæ dicuntur. Magna cura pertractat A. ipsum dogma de peccato originali, deinde

(1) Eamdem sententiam propugnavimus, *De gratia divina,* n. 242.

essentiæ ejus explicationem, tandem sequelas ejusdem. Recte rejicit A. opinionem quæ, ad essentiam peccati originalis explicandam, statuit voluntates nostras fuisse inclusas in voluntate Adami (n 251), attamen hoc supposito non logice admittit etiam quod Adam fuit a Deo constitutus caput *morale* hominum in acceptanda et conservanda justitia originali, et quod *illo vinculo* voluntas Adæ peccantis esset voluntas generis humani. (n. 250).

Censemus cum Card. **Billot**, *De personali et originali peccato*, p. 145 ss. actum peccati naturæ in Adamo esse a *capite naturæ* (non a capite morali seu juridico) *simpliciter et sine addito*, nec aliam esse a Deo institutionem positivam agnoscendam quam hæc: Deus *naturæ humanæ*, in Adamo, contulit justitiam originalem, tamquam accidens naturæ, ita ut justitia originalis transmittenda esset cum natura ipsa individuis humanis ex Adamo, *capite ontologico*, generatis (1). Hac fundamentali notione perspecta, bene intelligitur S. Thomæ doctrina de essentia peccati originalis, quod est *naturæ* peccatum; totam hanc quæstionem dilucide proponit Card. Billot in opere prælaudato. Ejusdem prima pars agit de peccato *personali*, tum mortali, tum veniali, et enixe studio commendamus amplam expositionem quam de peccato et de consequentiis ejus tradit A., interpretando. 1-2, q. 76-89.

Suprà notavimus Bellarmini opinionem de cooperatione Dei in creaturarum operationibus: qui de hac quæstione deque pluribus aliis mentem illius eximii theologi perspectam habere cupit, adibit librum quem nuperrime edidit cl. **Le Bachelet**, sub titulo *Auctarium Bellarminianum:* in quo inveniuntur scripta hucusque inedita, et quædam, jam edita, quatenus requiruntur ut cognoscatur doctrina integra quæ in prioribus continetur. Ad theologiam dogmaticam quod attinet, summi momenti sunt scripta quæ spectant celebrem controversiam de auxiliis (p. 33-200), etiam refutatio sen-

---

1 Quoad verba Rom. V. 12. *in quo* omnes peccaverunt (ἐφ' ᾧ), propugnat A. interpretationem quæ tenet sensum esse: *in quo Adamo* omnes peccaverunt. Hæc interpretatio communiter nunc rejicitur licet magnam habeat probabilitatem externam, ut notat Van Noort, *o. c.*, p. 158.

tentiarum Baii (314-338). Editor, qui, ut notum est, diu magnaque solertia ac peritia versatus est in historia Bellarmini hujusque temporis, ad scripta quæ nunc edidit tum generalem, tum etiam speciales additit introductiones, in quibus operum tempus, occasionem, momentum delineat: hoc sub respectu præcipue sunt consideranda et, ut videtur, admittenda quæ statuit de mente Bellarmini circa doctrinam Molinæ et de parte quam habuit in controversia de auxiliis (p. 1-31). Duo tantum hîc notemus: Molinæ consentit Bellarminus in rejiciendo prædeterminationem physicam (p. 107); a Molina vero dissentit in admittenda præmotione physica et rejiciendo concursu mere simultaneo (p. 107 s.) etiam in quodam puncto circa prædestinationem, nempe in hoc quod Molina contendit *prædestinationem* non esse ex vi mediorum et auxiliorum, quæ Deus præparavit, certam ac infallibilem (p. 110) (1). — Index generalis, alphabeticus ac analyticus, valde facilem reddit usum ingentis ac pretiosi illius operis.

J. Van der Meersch.

(1) Quoad reliqua dissensus puncta, v. p. 30 s.

DE JUBILÆO ANNI 1913

Pauca adnotare sufficiet de indole, et conditionibus jubilæi litteris apostolicis 8 Martii 1913 concessi (1), per modum compendii eorum quæ occasione Jubilæi anni sancti et Jubilæi anni 1904 in nostro periodico conscripta fuerunt (2).

I. Indoles.

Est jubilæum *extraordinarium*, præter jubilæum scilicet anni sancti concessum ob specialem rationem, in casu ad celebrandam pacem edicto Constantini Magni sedecim abhinc sæculis Ecclesiæ indultam. Est autem jubilæum *universale*, non tantum Romæ sed et extra Urbem ab iis « qui ad Urbem convenire nequeant », lucrabile.

Temporis spatium infra quod omnia opera ad jubilæum lucrandum injuncta persolvi debent, currit a Dominica in Albis usque ad festivitatem Deiparæ Virginis ab Immaculata Conceptione inclusive (8 Decembris) vertentis anni. Navigantibus autem et iter agentibus conceditur ut indulgentiam jubilæi consequi licite queant ubi ad sua domicilia seu alio ad certam stationem se receperint. Unde concludendum est pro ipsis, ut fieri solet, prorogari durationem jubilæi, casu quo illud tempore determinato lucrari nequiverint (3).

---

(1) V. s. p. 233 ss.

(2) *Collat. Brug.*, t. V, 1900, t. VI, 1901 et t. IX, 1904.

(3) Ipsis ordinario conceditur ab AA. spatium quindecim dierum ad incipienda opera injuncta, quod spatium ad mensem usque extendit Loiseaux ubi in bulla deficit verbum « quumprimum », ut in præsenti indulto. Cfr. *Traité canonique et pratique du jubilé*, Tournai, Casterman, 1859, p. 120. Ipse tamen monet in *Nouvelle Revue Théologique*, XI, 1879, p. 97, note 2... « Les voyageurs agiront sagement en ne tardant pas après leur

Quoties lucrifieri potest hoc jubilæum extraordinarium? Sub distinctione respondendum censemus:

a/ *quoad favores* seu *privilegia* (1), nimirum absolutiones a censuris et casibus reservatis, commutationes votorum et dispensationes super irregularitate, *semel*, i. e. prima tantum vice, uti ipsa bulla dicit *hac vice*.

b/ *quoad plenariam* vero *indulgentiam*, quatenus contrarium in decreto non edicitur (2) probabilius censemus eam *pluries* acquiri posse, opera pluries iterando (3).

Tandem occasione hujus jubilæi, utpote extraordinarii, non suspenduntur cœteræ indulgentiæ nec tolluntur aut restringuntur confessariorum facultates, uti fieri solet durante jubilæo anni sancti (4).

---

retour de commencer les œuvres du Jubilé. » Ibidem addit: « Ils ont pour les accomplir le même temps que les autres fidèles ont eu pour gagner le jubilé, » v. g. integrum mensem, si jubilæum fuerit pro hoc spatio concessum. Quid in præsenti casu? An ad octo menses prorogabimus jubilæum in favorem ipsorum? Nonne hoc exorbitans videtur eo vel magis quod opera injuncta brevi tempore persolvi possint? Videtur autem spatium unius mensis omninò sufficiens ut possint injuncta opera sine gravi incommodo peragere.

(1) Vide ea explicata in textu bullæ supra hoc t. XVIII, p. 235 sq.

(2) Indulgentia jubilæi anni 1904 *semel tantum lucranda* concedebatur. Cfr. *Collat. Brug.*, t. IX, 1904, p. 149 et p. 533.

(3) Compendiose exponimus statum hujus quæstionis. — *Indulgentia anni sancti* vi decreti Benedicti XIV, *Inter præteritos*, pluries acquiri potest, nisi contrarium in bulla statuatur. *Indulgentia* vero *extensionis* anni sancti semel tantum. Quod *indulgentiam jubilæi extraordinarii* spectat, quæstio theoretice disputata manet. Solutionem tamen favorabilem amplectimur eam præsumentes ex declarationibus S. Pœnitentiariæ repetitis occasione jubilæorum 1869, 1879, 1881, 1885. Optandum foret ut nova declaratio authentica rem in præsenti cum certitudine dirimat: dubium enim inde nobis remanet quod opera injuncta relative levia sunt ideoque tanto temporis spatio facili negotio pluries omnino repeti possunt, dum aliunde cœteræ indulgentiæ tempore jubilæi extraordinarii vigere non desinunt. Qui plura velit conferat Loiseaux, *o. c.*, p. 133 ss., cujus opinio nobis contraria anterior est declarationibus invocatis; *Nouvelle revue théologique*, XVIII, 1886, p. 31 sq.; Bastien, *Tractatus de jubilæo anni sancti*, Rollarii, De Meester, 1901, p. 50 sq.

(4) Cfr. Loiseaux, *o. c.*, p. 657 ss.

II. Conditiones.

Prius breviter in memoriam revocamus

A. **Generalia requisita** ad lucrandum jubilæum.

Nimirum 1° Tum ad obtentionem indulgentiæ, tum ad applicationem ejus animabus purgatorii requiritur et sufficit, ut videtur, *intentio habitualis explicita* (1), id est intentio olim expresse habita et non retractata.

2° Oportet omnia opera injuncta devote et personaliter *rite adimplere* quoad tempus, modum, finem, prout exprimitur in concessionis documento.

3° Ad lucrandam jubilæi indulgentiam requiritur *status gratiæ* saltem quando ultimum opus perficitur in quo indulgentia acquiritur. Unde apto consilio suggeretur fidelibus ut ultimo instituant confessionem et communionem (2).

4° Opera injuncta debent esse libera seu *supererogatoria*.

5° Opera præscripta possunt peragi *quolibet ordine*. Item in *quolibet loco*, excepta visitatione ecclesiæ quam quisque suo loco, i. e. loco sui domicilii instituere debet si, ut in præsenti, ita ferat bulla (3).

B. **Opera specialiter injuncta** pro præsenti jubilæo extra Urbem lucrando sunt 1) visitatio ecclesiæ vel ecclesiarum ab Ordinario designatarum et preces; 2) Confessio; 3) Communio et 4) eleemosyna (4). Singula paucis explicamus.

1° **Visitationes et preces.**

a) *Ecclesiæ unicuique suo loco*, i. e. loco sui domicilii

---

(1) Vide ulteriorem explicationem et probationem *Collat. Brug.*, t. IX, p. 534 sq.

(2) *Collat. Brug.*, t. IX, p. 535.

(3) Cfr. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 537, coll. p. 655 sq.

(4) Dum in jubilæo extraordinario solent præscribi tum jejunium tum eleemosyna, hac vice sola eleemosyna imponitur, in jubilæo anni 1904 solum jejunium præscribebatur. Cfr. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 530 et 536.

visitandæ ab Ordinariis locorum designari debent (1). Relate autem ad navigantes et iter agentes determinat ipse Pontifex ecclesiam cathedralem vel majorem aut parochialem sui domicilii vel certæ stationis ad quam se receperint, quæ determinatio valet, ut videtur, tum durante tempore jubilæi, tum durante prorogatione ipsis supra agnita.

b/ *Quot visitationes instituendæ sunt?* Omnino sex, sive eodem die, sive diversis diebus, intra temporis intervallum supra statutum, sive seorsim, sive processionaliter (2).

c/ *Quales* debent esse visitationes?

1/ *Distinctæ* saltem « per egressum et regressum ».

2/ *Devotæ* etiam in accessu et itinere.

3/ In singula visitatione *aliquandiu* (3) effundi debent in ecclesia *preces* saltem ex parte *vocales*, *ad intentiones* in bulla expressas. Hi fines non debent explicite et distincte intendi, sed satis est orare « ad intentionem Romani Pontificis » vel ad lucrandum jubilæum. Possunt etiam alternatim cum aliis recitari.

Surdo-muti acquirunt indulgentiam « injunctas preces signis vel mente fundendo vel tantum easdem legendo sine ulla pronuntiatione » (4).

4/ Tum visitationes tum preces debent esse opera *supererogatoria* (5).

2° **Confessio.**

Admissis rite expiatis, ait bulla. Hisce verbis exprimitur altera conditio, confessio nimirum, *omnibus* facienda *intra determinatum tempus*, etiam illis qui sunt perfecte contriti vel sunt in statu gratiæ: non enim

---

(1) Sic statuit Ill. ac Rev. Episcopus Brugensis ut fideles suam ecclesiam parochialem sexies visitent: *Epistola pastoralis 20 maii 1913.*

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, t IX, p. 537.

(3) V. g. quinquies Pater et Ave.

(4) S. C. Indulg. 18 Julii 1902.

(5) Quæ hic compendiose proferuntur vide exposita et probata apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 264 ss. et t. IX, p. 536 ss.

requiritur tantum qua medium justificationis, sed tamquam opus injunctum ut conditio sine qua non (1).

Debet esse *bona:* certo non sufficeret sacrilega. Non tamen requiritur *absolutio* sacramentalis, modo pœnitens jam sit in statu gratiæ (2).

Hæc confessio oportet ut sit *libera* seu supererogatoria et *specialis:* unde privilegium in favorem eorum qui solent confiteri singulis hebdomadibus vel quindenis (3), et in favorem eorum qui « quotidie sancta de Altari libare consuescunt » (4) eos non eximit a confessione instituenda in ordine ad jubilæum lucrandum.

Sufficit per se *una* confessio. Attamen *iterum* confiteri

---

(1) Posset forsan novitate formulæ adhibitæ : *admissis rite expiatis,* apud nonnullos excitari admiratio necnon quæstio num, omissâ mentione confessionis, quidquam immutetur antiqua disciplina circa hanc conditionem vigens, qualem eam in textu descripsimus. Requidem vera, quantum saltem nobis constare potuit, nova et hucusque inusitata est formula. Sic scribit Loiseaux, *o. c.*, edito 1859, p. 174 : « Tous les indults contiennent la clause *contritis et confessis*, ou *vere pœnitentibus et confessis*. Nous n'en avons pas rencontré où on ne lise cette clause ou une clause équivalente ». Cfr. Theodorus a Spiritu Sancto, *Tractatus de jubilæo,* p. 126. Nos ipsi pervolventes jubilæorum bullas relatas apud Amort, *De origine et progressu indulgentiarum,* 1735, et quotquot posteriores invenire potuimus, unam tantum formulam nostræ similem, nimirum *qui rite expiati,* etc.... deteximus, non quidem in textu bullæ, sed relatam a Carolo Sigonio « De episcopis Bononiensibus » ubi narrat Sixtum IV jubilæum anni 1475 ad Bononiam destinavisse anno sequenti. Cfr. Amort, *o. c.*, p. 94. Alibi ubique expresse nominatam invenimus confessionem. Imo et quoad reliquas indulgentias plenarias nullibi præsentem formulam legi pro imponenda confessione. — An tamen hæc novitas, inspecto aliunde minori rigore in exigenda confessione ad lucrandas indulgentias, v. g. pro iis qui singulis quindenis confitentur, aut quotidie communicare solent, probabile argumentum constituit ad movendum prudens dubium contra antiquam jubilæi disciplinam toties expresse statutam et ab hisce relaxationibus mox memoratis explicite vel implicite exceptam? Nemo, ut putamus, id censebit, sed nec pro praxi multum refert, cum antiqua sententia saltem tutior et consequenter practice tenenda maneat.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 540.

(3) Decr. S. C. Indulg. 9 Dec. 1763 et 12 Martii 1855.

(4) Decr. S. C. Indulg. 14 Februarii 1906. Cfr. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 272 et t. XII, p. 234.

deberet qui post peractam confessionem sed ante ultimum opus impletum incideret in peccatum lethale (1).

3° **Communio.**

Non sufficit communio mere spiritualis, nec communio sacrilega.

Omnibus præscribitur, nisi quod cum pueris nondum admissis dispensari potest. Debet institui *intra præfatum tempus*, debet esse *libera* et *specialis* (2).

4° **Eleemosyna** (3).

Una tantum imponitur vel in egenos vel ad pias caussas eroganda, *supererogatoria* iterum et infra tempus jubilæi facienda.

Ut verba obvie sonant, intelligitur eleemosyna non spiritualis tantum sed *corporalis* et quidem, ut videtur, translatio dominii vel subtractio proprio usui sive pecuniæ sive alicujus rei pretio æstimabilis ad victum v. g. vestitum, tectum etc. spectantis.

Quantitas ejus proportionari debet facultati uniuscujusque: unde major a divite quam a paupere requiritur.

Omnibus eleemosyna est facienda, sive manu propria, sive per intermedium, dummodo vere fiat (4). Potest alius meo nomine eleemosynam dare modo de hoc conscius sim et consensum præstem: hoc modo potest paterfamilias erogare stipem pro tota familia et famulis, item communitatis caput pro membris. Cœterum si qui huic conditioni satisfacere nequeant, commutationem ejus a confessario obtinere possunt (5).

---

(1) Bened. XIV, *Convocatis*, n. 47; *Inter præteritos*, § 79.

(2) In articulo mortis *unica confessio et communio* potest satisfacere præcepto recipiendi hæc sacramenta in fine vitæ et inservire ad lucrandam indulgentiam jubilæi.

(3) De hac conditione in jubilæo extraordinario anni 1904 non præscripta, cfr. Theodorus a Spiritu Sancto, *o. c.*, p. 131 ss., Loiseaux, *o. c.*, p. 287 ss., Bastien: *Tractatus de Jubilæo anni sancti...*, Rollarii, De Meester, 1901, p. 105 ss., Beringer, *Les indulgences*, t. I, p. 650 sq.

(4) Sic non lucratur jubilæum qui famulo eleemosynam erogandam committit, si ille eam sibi arripit aut tempore jubilæi distribuere omittit.

(5) Notemus tamen vel minimam eleemosynam sufficere posse.

Egeni intelliguntur qui secundum suum statum, qualitatem et conditionem non habent necessaria ad victum et vestitum. Sufficit quod egestas *apparens* sit tantum, non realis. Possunt etiam intelligi hoc nomine communitates religiosæ indigentes, et sane etiam societates S. Vincentii a Paulo, modo tempore jubilæi pauperibus erogetur eleemosyna.

Caussæ piæ in præsenti bulla non determinantur: uniuscujusque arbitrio relinquitur electio operis cui prodesse malit. Exempla sint opus propagationis fidei, ecclesiæ indigentis, universitatis catholicæ, seminariorum, institutionum caritatis subsidium etc.

De facultate commutandi, prorogandi dispensandi. Opera injuncta *commutari vel in aliud tempus prorogari* possunt, super communione vero cum pueris *dispensare* fas est.

1° **De potestate commutandi.**

a/ In bulla conceditur facultas *commutandi* simpliciter, id est substituendi alicui operi injuncto aliud pietatis opus *moraliter æquale* (1), non vero *commutandi-dispensando* id est permutandi in opus minus. Opus autem quod substituitur debet esse liberum seu *supererogatorium*, non aliunde obligatorium.

b/ Conceditur *confessario*, eamque ille demum exercere potest erga omnes pœnitentes (2) quovis impedimento detentos quominus memorata opera vel aliqua ex iis præstare valeant: unde et hanc facultatem ad omnia opera injuncta extendi censemus (3).

c/ Tunc tantum valide potest confessarius commutare ubi fideles « memorata opera vel aliqua ex iis præstare

---

(1) In hac æqualitate æstimanda ratio est habenda tum finis intenti a Pontifice, tum conditionis personæ petentis commutationem.

(2) Etenim saltem ut tutiorem habemus sententiam quæ tenet hanc facultatem nonnisi in actu sacramentalis confessionis exerceri posse.

(3) Olim excipiebantur ab hac facultate commutandi confessio, communio et preces. Nunc autem formula generalis omnem restrictionem, ut videtur, excludit. Cfr. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 542, et t. V, p. 210 ss , 332 ss.

nequeant », aliis verbis ubi obstat *impossibilitas* (1) sive *absoluta* sive *moralis*. *Absoluta* nimirum, quali v. g. a visitationibus impediuntur regulares utriusque sexus in claustris perpetuo degentes, omnes in carcere aut captivitate existentes, vel corporis infirmitate domi detenti, non quidem per se eximit ab opere præstando, sed requirit interventum confessarii commutantis (2). *Moralis* vero impossibilitas adest, ubi obstat aliud quodvis impedimentum quod sufficeret ad excusandum (3) ab observanda lege ecclesiastica, quæ sub gravi obligat (4).

Hæc moralis impossibilitas æstimanda relinquitur judicio confessarii, qui tamen « sine scrupulo agat: nam juxta graves auctores, si bona fide [erronee] æstimet adesse causam sufficientem, valida erit commutatio ex benigna mentis Pontificis interpretatione (5) ».

d) Hæc facultas exerceri tantum potest *tempore jubilæi* in bulla descripto et, post clausum jubilæum, erga illas personas quæ *prorogationem* legitime obtinuerunt (6).

Nota. Inspecta generalitate verborum diximus supra nullum opus excipi a facultate commutandi. Per accidens tamen excipitur confessio cum, ut supra notavimus, non possit, nostro judicio, commutatio fieri nisi in actu sacramentalis confessionis. Quoad preces, de facto difficile aderit impossibilitas requisita ad eas commu-

---

(1) Etiam si ex propria culpa oriunda sit, modo nunc dolens de culpa sincere cupiat jubilæum lucrari. Casus esset pro illo qui ex negligentia aut malitia opera omisit, ultima autem die rogat confessarium commutationem operum impossibilium v. g. communionis. Melius tamen foret prorogare jubilæum in favorem talis pœnitentis. Cfr. Loiseaux, *o. c.*, p. 580-583.

(2) Pro regularibus et carcere detentis subrogetur visitatio oratorii domus in qua vivunt.

(3) Non sufficit tale impedimentum quod sufficeret ad obtinendam dispensationem ab hac lege. Cfr. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 542.

(4) V. g. ad commutandam visitationem plerumque sufficient causæ quæ excusant a præcepto audiendi missam.

(5) *Collat. Brug.*, t. IX, p. 542. Cfr. Loiseaux, *o. c.*, p. 579-580.

(6) Cfr. Loiseaux, *o. c.*, p. 591-2.

tandas (1). Item pro commutanda communione: rarissimi enim sunt qui nec in ecclesia nec domi communicare possunt. Quod autem ad eleemosynam attinet vix inveniri poterunt qui ne minimam quidem erogare valeant. Unde fere solæ visitationes commutandæ occurrent (2).

2° **De potestate prorogandi** (3).

Fidelibus « quovis impedimento detentis... qui... opera... præstare nequeant » conceditur « ut illa Confessarius in alia pietatis opera commutare vel in aliud proximum tempus prorogare possit (4) ».

Quæ diximus de facultate commutandi valent respective de facultate prorogandi: eam scil. concedi *confessario* relate ad omnes *pœnitentes* et *quoad omnia opera:* imo, dum agnovimus exercitium facultatis commutandi de facto fore restrictum ad solas visitationes, facilius contrà causa sufficiens aderit ad prorogandam confessionem, communionem (5) et preces (6), ut statim dicemus de impedimento requisito. Quinimo, prorogari etiam possunt opera commutatione substituta operibus jubilæi.

b/ Confessarius potest prorogare in *aliud proximum tempus,* ait bulla. Hoc tempus extendit Bastien (7) ad spatium quindecim dierum. Atvero ad integrum mensem extendi posse censemus cum Loiseaux (8).

---

(1) V. s. quid diximus de surdo-mutis.

(2) Eo vel magis quod confessario præsto sit facultas prorogandi in proximum tempus opera hic et nunc impletu difficilia.

(3) Cfr. Loiseaux, *o. c.*, p. 598 ss.; Bastien, *o. c.*, p. 211 sq.

(4) Facultas prorogandi solet concedi tantum in jubilæis extraordinariis utpote brevioribus quam ordinariis. Non tamen concessa fuit in jubilæo anni 1904.

(5) Casus esset v. g. pro confessario qui dubitans de dispositione pœnitentis cogeretur differre absolutionem ultra terminum jubilæo assignatum. Aliud exemplum dedimus supra p. 408, nota 1, de pœnitente qui ex malitia aut negligentia opera injuncta ad ultimam diem procrastinavit.

(6) Preces cum ipsa visitatione prorogabuntur.

(7) *O. c.*, p. 212, coll. p. 49.

(8) *O. c.*, p. 603.

c) Una eademque formula exhibetur in bulla impedimentum requisitum sive ad commutandum, sive ad prorogandum. Attamen ex diversa natura utriusque facultatis dicendum videtur prorogationi esse locum ubi impossibilitas præstandi opera *temporaria* est nec duratura prævidetur ultra mensem post jubilæum clausum (1).

d) Hæc facultas extinguitur cum ipso temporis spatio jubilæo in bulla assignato.

3° **De facultate dispensandi.**

Conceditur quoque *confessariis* facultas *dispensandi* non tantum commutandi, aut commutandi-dispensando, super *Communione* cum pueris qui ad eam nondum admissi fuerint (2). Post decretum « Quam singulari » 8 Augusti 1910, determinans obligationem satisfaciendi præcepto Confessionis et Communionis incipere ex ea ætate in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive infra (3), jam multo rarior fiet usus præsentis facultatis, in nostris saltem regionibus ubi nova disciplina dociliter suscepta et feliciter introducta fuit.

A. LEGRAND.

---

(1) Sic, ubi impossibilitas perpetua est, aut diu post finitum jubilæum duratura prævidetur, commutatione uti debet confessarius. Ubi vero brevi cessatura est non commutabit, sed prorogabit. Inspecta diuturna duratione jubilæi et facilitate operum injunctorum, non jam universim admittenda est facultas prorogandi jubilæum in favorem eorum qui per aliquod tempus navigarent aut iter agerent.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 542, t. V, p. 211, t. VI, p. 313. Hæc formula est simpliciter reassumpta ex bullis anterioribus.

(3) Vide textum apud *Collat. Brug.*, t. XV, p. 574, et commentarium, t. XVI, p. 123 ss.

DECRETA IN MATERIA INDULGENTIARUM

1° Christiana salutatio inter fideles plurimis in locis usitata qua nimirum alter dicit: *Laudetur Jesus-Christus,* alter vero respondet: *Amen* vel *In sæcula,* ditatur indulgentia centum dierum, toties quoties, defunctis applicabili. Decr. 27 martii 1913 (1). Antea adnexa erat indulgentia quinquaginta tantum dierum.

2° Oratio jaculatoria: *Laudetur et adoretur in æternum sanctissimum Sacramentum* ditatur indulgentia trecentorum dierum, toties quoties, defunctis applicabili, item plenaria pro quotidiana recitatione per integrum mensem, sub conditionibus ordinariis. Decr. 10 aprilis 1913 (2).

---

(1) *Acta Apostolicæ Sedis,* V, 1913, p. 210. Scopus Pontificis est ut tam frugifera praxis, ubi viget teneatur, ubi autem obsolevit restituatur, alibi demum large propagetur. Vigebat olim et adhuc pluribus in locis viget apud nostrates, præsertim ruricolas, piissima illa consuetudo ut pueri sacerdotem his verbis salutent: *Geloofd zij Jesus-Christus.* Adlaborent magistri verbo et exemplo ut hunc usum conservent atque extendant.

(2) *Acta Apostolicæ Sedis,* V, 1913, p. 211. « *Geloofd en aanbeden zij ten allen tijde het Allerheiligste Sakrament* ». « *Loué et adoré soit à jamais le T. S. Sacrement* » Eadem indulgentia donatur formula in sylloge expressa. « *Geloofd en gezegend ten allen tijde het Allerheiligste en goddelijkste Sakrament* ». « *Loué et béni soit à chaque instant le très Saint et très divin Sacrement* ».

Documents de Jurisprudence administrative

Arrêté royal du 24 mai 1912 (1).

Dons et Legs. — Révocation éventuelle de la libéralité, dans le cas de suppression du service du culte ou d'inexécution des charges.

ALBERT, etc...; vu l'expédition de l'acte passé, le 4 décembre 1911, devant le notaire Dejardin, de résidence à Esneux, et par lequel M. Jules Dallemagne, industriel, membre de la chambre des représentants, demeurant à Liége, fait donation à la fabrique de l'église de Fontin, à Esneux, sous réserve d'usufruit à son profit, sa vie durant, des immeubles situés à Esneux, section D, nos 173*a*, 176*a*, 177*a*, 178*e*, 161*i*, 178*m*, section F, nos 177*a*, 177*c*, 177*d*, 10, 18*a*, 12, 20*b*, 15*c*, 15*b*/2, 13, 19*a* du cadastre, d'une contenance totale de 56 ares 82 centiares, aux conditions suivantes:

1° La fabrique d'église donataire fera célébrer annuellement et à perpétuité, en l'église de Fontin, après le décès du donateur :

a/ le 22 novembre ou le jour libre le plus rapproché de cette date, une grand'messe anniversaire de 1re classe, avec accompagnement d'orgues et de chants, pour le repos de l'âme de Mme Sidonie Fabry, épouse du donateur, et une seconde, pour le repos de l'âme de celui-ci, le jour anniversaire de son décès, ou le jour libre le plus rapproché de cette date;

b/ le samedi de chaque semaine, avant 9 heures, une messe basse pour le repos des âmes du donateur, de son épouse et de leurs parents defunts;

Toutes ces messes devront être annoncées au prône le dimanche précédant leur célébration;

2° si, par suite de législation ultérieure ou pour toute

(1) *Moniteur*, p. 3440.

autre cause quelconque, la fabrique donataire venait à être dessaisie ou à ne plus pouvoir être propriétaire d'immeubles, la donation serait résolue de plein droit avec effet rétroactif, c'est-à-dire qu'elle serait censée n'avoir jamais existé;

le donateur exprime le vœu que l'immeuble donné, inscrit au cadastre sous les nos 177*c*, 177*d* et 177*a* de la section F, soit toujours mis par la fabrique donataire à la disposition du desservant de la paroisse pour servir de salle de catéchisme, et que les biens donnés ne soient jamais loués qu'à des personnes d'une moralité irréprochable.

Les frais à résulter de l'acte de donation sont à la charge du donateur.

Vu l'acceptation de cette libéralité... etc.

Vu la lettre, en date du 1er mai 1912, par laquelle le donateur déclare que la clause de l'acte de donation susvisé, prévoyant la révocation éventuelle de la libéralité, doit être modifiée en ce sens que, dans le cas où le service du culte viendrait à être effectivement supprimé pour quelque cause que ce soit, ou modifié de telle manière que les conditions stipulées dans la donation (c'est-à-dire la célébration des messes et anniversaires) ne pourraient plus être exécutées, les biens faisant l'objet de la donation feront retour aux héritiers du dit donateur, conformément aux articles 953 et 956 du code civil;

Vu, etc...

Sur la proposition de Notre Ministre de la justice,

Nous avons arrêté et arrêtons:

Article unique. — La fabrique de l'église de Fontin, à Esneux, est autorisée à accepter la libéralité prémentionnée.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

Kan. J. Van Doren. *Handboek voor Kerkgeschiedenis ten gebruike van Colleges, Normaal- en Kostscholen,* herzien en vertaald door E. Soens en J. Vlerinck, priesters. Gent, Siffer, 1912. In-8°, 361 bl.

Een degelijk opgevat en keurig geschreven handboek. Het heeft als dubbel doel : te onderwijzen en te stichten ; laten we aanstonds zeggen dat het eene het andere niet schaadt. Over het algemeen volledig en op de hoogte der laatste aanwinsten van de geschiedsvorsching, heeft dit boek nog het voordeel — onder pœdagogisch oogpunt zeer te prijzen — goed ingedeeld te zijn en kunstig samengevat. Vooral bevallen ons de karakterschetsing der perioden en de « terugblik » die de schrijver doet, na elk tijdstip, op den geest, den toestand, de leer, de gebruiken, de kunst en de wetenschap der H. Kerk. Zoo leeren de studenten gansch het leven kennen der Kerk, hare uitwendige en inwendige bedrijvigheid, en vatten ze beter het verband met het overige kristelijk onderwijs. Min prijzenswaardig schijnen ons de voorliefde des schrijvers voor het anekdotische uit de geschiedenis en zijn willekeurige opgave van bronnen en boeken. Misschien wel was zijn doel alleen die boeken aan te duiden, die de leerlingen zich gemakkelijk kunnen aanschaffen? Dit is echter bijzaak, want in een handboek voor middelbaar onderwijs hoeft men geen bibliographie te zoeken. Drukken we liever nog eens onze voldoening uit, omdat in dit handboek niet alleen voedsel voor den geest, maar ook voedsel voor het hart te vinden is. Het is immers niet genoeg voor kristenen het verleden der Kerk te kennen ; ze moeten ook, door het verhaal van haar lijden en zegepralen, hunne Moeder meer leeren beminnen en hoogschatten, ze moeten vooral inzien hoe de Kerk van Christus in al de wisselvalligheden der geschiedenis, door haren goddelijken stichter geleid wordt tot haar ware doel : de verheerlijking van God en de zaligmaking der menschen. Dit betracht te hebben is niet de minste verdienste der schrijvers.

R. D. S.

Abbé G. Monteuuis. *L'Amour contre la Haine.* Pour faire suite à *La Jalousie.* Paris, Lecoffre 1913 ; in-12, p. VIII-370. Fr. 3,50.

Après avoir, dans un premier volume, consacré plus de trois cents pages à la description psychologique et aux développements historiques du vice de jalousie, voici que Mr l'abbé Monteuuis, complétant son

œuvre, nous donne une seconde étude, non moins fouillée que la première, sur la partie théologique et morale du même sujet: il analyse d'une part les ravages causés par le mal dans l'âme des jaloux, et d'autre part les remèdes susceptibles de leur apporter la guérison.

Les deux volumes réunis constituent pour ainsi dire une encyclopédie de la jalousie; ils témoignent chez l'auteur d'un travail considérable, d'un sens psychologique affiné et des connaissances littéraires les plus étendues. L'œuvre forme vraiment un tout; elle a le rare mérite d'être à la fois attachante pour tous, solide pour la partie philosophique, et d'un très bon aloi au point de vue moral; elle s'imposera désormais à tous ceux qui voudront orienter leurs études dans cette direction peu suivie jusqu'ici.

Nous serions mal venu à scruter d'une plume tatillonne ces pages si justement pensées et si bellement écrites, pour tenter d'en extraire de ci de là quelques imperfections inévitables. Que l'auteur toutefois nous permette de signaler à son attention un point faible qui touche plutôt à la méthode: nous voulons parler d'un certain manque de précision dans l'emploi des citations scripturaires, ou mieux d'une liberté de traduction et d'application trop grande, et qui se rencontre fréquemment dans le cours de l'ouvrage. Citons un peu au hasard les textes de Gen. IV, 7 et 12, qui vraiment ne se retrouvent pas dans l'Ecriture, tellement la traduction en est osée; les textes de S. Jean Ie Ep. V, 19; de S. Matth. X, 36; de S. Paul ad Philipp. II. 21, qui sont dans les saints livres d'une portée générale, et que l'auteur adapte pourtant à la jalousie; les passages de Eccli. VII, 8; Sag. VI, 25, où le texte original, différent du latin, dit tout autre chose.

Mais quoi qu'il en soit de cette remarque, l'ouvrage tel qu'il est mérite incontestablement d'être rangé dans la catégorie choisie des beaux et des bons livres.

E. HOSTEN.

L. Saint-Requier. *Messe pour voix moyenne seule avec 2e voix facultative, avec accompagnement d'orgue.* Lyon, Janin Frères. Fr. 2,50.

Messe d'exécution facile, de style original, noble et religieux. Beaux développements du célèbre *Amen* de Dresde.

J. Civil y Castellvi. *Veni Creator. Hymne de la Pentecôte à deux chœurs, et accompagnement d'orgue.* Lyon, Janin Frères F. 2,50.

Composition originale. Le premier chœur est à deux voix mixtes (soprani et ténors). Les nombreuses syncopes qu'on y rencontre troublent un peu la sérénité qui doit caractériser le chant religieux. Le rythme des vers n'est pas observé. Le second chœur chante alternativement avec le premier *recto tono*. N'est-ce pas trop monotone?

G. Berruyer. *Sub tuum à 3 voix égales avec accompagnement d'orgue.* Même maison d'édition. F. 1,35.

Très bonne page musicale qu'anime un souffle d'ardente supplication.

F. Brun. *Litanies de la T. Ste Vierge à 4 voix mixtes (ou 2 voix égales) d'après Palestrina.* Même maison d'édition. F. 1.

F. Brun. *Chants de la Messe.* II. *Propre de la Messe (d'après l'édition Vaticane).* Messe du jour de Pâques. Messe de l'Ascension. Messe de la Pentecôte. Accompagnement à 3 parties pour orgue ou harmonium. Même maison d'édition. 3 fasc. à 1,50 fr. le fascicule.

Accompagnement discret et original, fort recommandable aux chœurs peu fournis. Certains procédés de variation sont très réussis; il est des licences qui sont moins heureuses.

F. Brun. *Chants pour les défunts. Miseremini mei. O Salutaris.* Même maison d'édition. F. 1,50.

F. Brun. *Les Messes royales de H. Du Mont d'après la première édition de 1669, avec accompagnement à 3 parties.* Même maison d'édition. F. 2 la messe.

A. De Meester.

MONITUM

Quod inter ordinationes prosynodales hujusce anni, sub numero V, statuitur pro prima feria VI mensis, extendi debet ad festum SS. Cordis, ad Dominicam proxime sequentem et ad mensem Junium integrum.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Julii.

—

I

Paucis describe origines libri Psalmorum.

II

Quid est *Religio* quatenus de ea inquiritur tum in tractatu de vera Religione, tum in historia Religionum.

III

Explica notionem *dominii alti* quod reipublicæ competit in bona civium.

IV

Expone discrimen inter *jus in re* et *jus ad rem*.

V

Dijudica hoc dicterium: *Praxis differt a speculatione*.

VI

Quænam missæ in honorem B. Mariæ Virginis celebrari possunt tanquam votivæ?

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Evêque de Bruges. *Méditations théologiques*, 2 vol. Bruges. Beyaert. 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia*, in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio*. Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis. Beyaert. Pretium : 8 fr.; pro clero Belgico : 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage*. — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8. XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert. 1912. Prix : 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi*, Edit. altera. Brugis. van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18. XIV-252 p. Broché 1.25 fr.; relié en percaline, 1.50 fr.

C. Callewaert. *La réforme du Bréviaire, son esprit, ses prescriptions nouvelles*. — Documents et commentaire. (Extrait revisé des *Collationes Brugenses*, 1912). — Bruges. Beyaert: Ad. Maertens-Matthys. — In-8, 64 p. Prix : 0.50 frs.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii*. Brugis, Beyaert. In-8. LXXIV-376 pp. Fr. 6.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVIII, pag. 281).

—

III

De dono fortitudinis.

Post pietatem ascendendo ordine dignitatis venitur ad fortitudinem. Licet enim per comparationem ad actus, prout procedunt a suis principiis, præferatur donum pietatis dono fortitudinis, sicuti virtus justitiæ virtuti fortitudinis; tamen quantum ad materiam, pietati præstat fortitudo, quæ in arduis locum habet, pietas vero in communibus. Et similiter dicendum de utriusque donis directivis: scientiæ donum præstat ratione sui actus, nempe judicii, dono consilii, quod non in judicando sed in consulendo versatur; ratione vero materiæ, præfertur donum consilii, quod in solis arduis locum habet. Secundum ergo ordinem materiæ consilium (dirigens) et fortitudo (exequens) præferuntur scientiæ (quæ est dirigens) et pietati (quæ est exequens).

Et quamvis hæc dona bina et bina combinentur, tamen non statim in tractatu nostro adjungimus pietati scientiam, antequam agamus de fortitudine, tum quia

quatuor dona ad intellectum pertinentia sunt simpliciter digniora tribus reliquis, tum quia dona intellectualia opportunius una continua serie considerantur, quo melius eorum notio et ab invicem distinctio percipiatur, et aliunde non est inconveniens in explicandis separatim directivis donis ab executivis, uti experiemur.

Sit ergo de dono fortitudinis, eodem ordine dicendi iisdemque attentis ac supra de pietate et timore Domini.

Quod, primo, notionem attinet doni fortitudinis, pauca notamus præprimis ex B. Alberto M.

« Fortitudo donum, *sic ille* (1), præcipue respicit arduum. Arduum autem, et difficile, et laboriosum differunt: quia *arduum* respicit elevationem abstrahentem a conversatione communi, et ab eo quod desiderant plures, et ab eo quod ut finem qui est terminus operis consequentur plures. *Difficile* autem est, quod est excedens facultatem potentiæ non in infinitum. Sed *laboriosum* est, quod infert pœnam laboranti vel sustinenti illud. Unde donum fortitudinis præcipue respicit arduum; quia consilium est circa tale arduum, ideo regitur consilio ».

Paulo infra (2): « Fortitudo est proprie contra difficile et laboriosum... sed donum contra arduum quod elevat animum ultra ea quæ inferunt difficultatem ». E quibus ne concludas objectum virtutis fortitudinis non esse quoque arduum et præcellens, sed solummodo non esse *tale* arduum, quale supra definit B. Albertus et quod solum ipse arduum stricto sensu vocat. Nam, ut ipse advertit: « fortitudo donum in eodem actu sustinendi vel aggrediendi est cum fortitudine virtute, sed non secundum eamdem rationem confortat (3) ». Videlicet: « Virtus sustinet periculum, quando necesse est pati vel recedere a virtutis bono sicut quando quæritur

(1) In III *Sent.*, *dist.* 35, a. 12, *solutio.*
(2) *Ibid.*, ad 3m et 4m.
(3) *Ibid.*

fides, vel justitia,.... sed fortitudo donum ex superabundanti offert se statui in quo talia sæpius quæruntur, ut statui perfectionis consiliorum. Similiter non ex eadem ratione confortant se ad vincendum: quia fortitudo donum est ex abundanti, quia ipsum est sal perfectionis... sed fortitudo virtus confortat se ex bono virtutis necessariæ ad salutem (1) ».

Ibique scite animadvertit, quod de omnibus donis valens merito semel notamus, scilicet inde non sequi donum hoc nonnisi perfectis competere, « quia perfecti habent in actu, et communiter omnes in gratia existentes habent in habitu ».

Tandem eodem loco addit quomodo donum fortitudinis maneat in patria, nempe secundum substantiam, et secundum actum alium ac in via. « Per substantiam, sicut optimo pugnanti militi, quando redit ad imperatorem, arma non auferuntur: non ut coram imperatore pugnet in eis, sed ut sint ut decor victoriæ præcedentis. Per actum autem manet qui est firmissima adhæsio hujus boni quod erat finis pugnæ et ardui quod aggressus est ». Sicut nempe omnis virtutis est ita insequi bonum, ut, postquam habitum est, in illo permaneat seu inhæreat.

Eamdem fere notionem doni fortitudinis ac B. Albertus, tradit S. Bonaventura, his verbis:

« Fortitudo quantum est de sua prima ratione attenditur respectu ardui. Arduum autem dicitur aliquid dupliciter. Aut quia est aliquid laboriosum, et difficile, quodammodo excellens, et aggravans facultatem ipsius potentiæ. Aut quia est ultra necessitatem, et excedit statum communem. Et fortitudo habet attendi respectu utriusque, sed respectu primi attenditur, et ordinatur secundum necessitatem præcepti, respectu secundi secundum libertatem consilii. Et primum spectat ad fortitudinem virtutem, secundum vero ad fortitudinem

(1) *Ibid.*, art. 13, *solutio*.

donum. Quoniam autem arduitas maxime attenditur circa tolerantiam passionum, hinc est quod tam fortitudinis doni, quam fortitudinis virtutis est habilitare secundum principalem suì ordinationem ad sufferentiam passionum, sed aliter, et aliter. Quia sustinere, et aggredi passiones potest aliquis aut propter justitiæ et honestatis conservationem, aut propter perfectam Christi imitationem: ita quod primum spectat ad dictamen juris naturalis et honestatis moralis, secundum vero spectat ad consilii donum. Et quoniam imitatio Christi attenditur in crucifixione suì, secundum quod ipse dicit (Mat. 16): *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, etc. hinc est quod actus fortitudinis doni attenditur circa promptam et expeditam passionum tolerantiam, per hoc quod quodammodo nos mundo, et mundum nobis crucifigit. Juxta illud quod dicit Apostolus (Galat. 6): *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*. Et hoc est quod dicit Augustinus in libro *de Doctrina Christiana:* Assurgant deinceps ad fortitudinem, ut mundus eis crucifigatur, et ipsi mundo, et in hujus vitæ perversitate, et abundantia iniquitatis non refrigescat charitas. Et sic patet, quod fortitudinis doni actus consistit circa passionum tolerantiam secundum imitationem Christi: et hic est ejus actus principalis (1). »

---

(1) In III *Sent., dist.*, 35, q. V, *conclusio*. — Ad auctoritatem Augustini hic adductam quam et B. Albertus citat, apte notat idem Albertus M.: « Crucifigere se mundo dicitur duobus modis: scilicet materialiter, secundum ea in quibus est crucifixus generaliter, secundum quod dicit Apostolus *Gal.* V: *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis;* et sic est omnis virtutis. Dicitur etiam formaliter quasi secundum rationem, et sic sonat quoddam altum pertinens ad opus perfectionis: quia maxima pugna Christi fuit in cruce; et sic præcipue convenit fortitudini dono, quod plus implet quam teneatur, sicut Christus pro nobis fecit. Similiter sitis et esuries justitiæ [4ª *beatitudo*] accipitur secundum rationem justitiæ generalis tantum, et sic non appropriatur dono; vel secundum rationem sitis et famis quæ ex desiderio prorumpunt in exercitium difficillimum hostium... et sic competit dono fortitudinis. Unde duo dona adjuvant fortitudinem: secundum enim quod ipsa existit circa terribile timendum, timet timenda, et sic adjuvatur dono timore,

Ex hac explicatione deduces, cum ipso Bonaventura respondente ibidem ad objectiones:

1/ repressionem delectationum non esse actum proprium nec principalem doni fortitudinis, ut quidam objiciunt ex Augustino, sed quasi præambulum, quatenus « nemo promptus est et expeditus ad passionum tolerantiam secundum imitationem Christi, nisi qui carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixit. »

2/ « Excellentiori modo sustinet passiones, et excellentiori habitu, qui sustinet secundum Christi imitationem, quam qui propter justitiæ conservationem; et qui sustinet secundum consilii supererogationem, quam qui secundum præcepti obligationem. In uno enim istorum rectificatur, scilicet in actu virtutis fortitudinis. In alio autem non solum rectificatur, sed etiam altius elevatur et expeditur, scilicet in actu fortitudinis doni. »

3/ Unde differunt realiter hi duo actus et habitus, nempe virtutis et doni fortitudinis; et tamen nomine conveniunt, quod in aliis donis non contingit, quia virtus fortitudinis magis accedit ad perfectionem donorum, quoniam eadem ardua sustinet quæ donum, etsi non ita excellenter et prompte sicut facit donum ad imitationem Christi.

Ex his omnibus liquet S. Bonaventuram optime concordare cum B. Alberto M., ipsosque in hac doctrina invicem explicare atque complere.

Post ipsos, jam interrogemus Doctorem quoque Angelicum, qui sic loquitur (1):

« Fortitudo importat quandam animi firmitatem..... Et hæc quidem firmitas animi requiritur, et in bonis faciendis, et in malis perferendis, et præcipue in arduis bonis, vel malis. Homo autem secundum proprium et

---

ut jam ex reverentia talia timeat vel aggrediatur, quia hoc est altius. Ex parte autem illa qua audet audenda difficilia, adjuvatur dono fortitudinis ex firmitate adhæsionis summe ardui, quod nititur apprehendere et tenere. »

(1) 2. 2, q. 139, a. 1, in corp.

connaturalem sibi modum hanc firmitatem in utroque potest habere, ut non deficiat a bono propter difficultatem, vel alicujus ardui operis implendi, vel alicujus gravis mali perferendi. Et secundum hoc fortitudo ponitur virtus specialis, vel generalis,..... Sed ulterius a Spiritu sancto movetur animus hominis ad hoc quod proveniat ad finem cujuslibet operis inchoati, et evadat quæcumque pericula imminentia : quod quidem excedit naturam humanam. Quandoque enim non subest potestati hominis, ut consequatur finem sui operis, vel evadat mala seu pericula, cum quandoque opprimatur ab eis in morte. Sed hoc operatur Spiritus sanctus in homine, cum perducit eum ad vitam æternam, quæ est finis omnium bonorum operum, et evasio omnium periculorum. Et hujus rei infundit quamdam fiduciam menti Spiritus sanctus contrarium timorem excludens. Et secundum hoc fortitudo donum Spiritus sancti ponitur. »

Ad hæc, ait Cajetanus, adverte « donum fortitudinis non arctari ad materiam fortitudinis, ut est specialis virtus, sed extendi ad totam materiam fortitudinis, ut est virtus generalis, ut in (hoc) art. 1 ad 3^{m} habes, et excedere illam quoad finem tam respectu bonorum, quam malorum, ut in corp. ibidem habes. »

In altero articulo ejusdem quæstionis docet S. Thomas dono fortitudinis correspondere quartam beatitudinem. « Augustinus, *ait*, attribuit beatitudines donis secundum ordinem enumerationis, considerata tamen aliqua convenientia (1): et ideo quartam beatitudinem, scil. de esurie et siti justitiæ, attribuit quarto dono, scilicet dono fortitudinis (2). Est tamen ibi aliqua convenientia, quia... fortitudo in arduis consistit; est autem valde arduum quod aliquis non solum opera

(1) Id jam diximus agendo de dono pietatis.

(2) Quartum donum est fortitudo, si tertium ascendendo ponas donum scientiæ, utpote combinatum cum pietate, cujus est directivum, vide notata initio hujus articuli.

virtuosa faciat, quæ communiter dicuntur opera justitiæ, sed quod faciat ea cum insatiabili quodam desiderio, quod potest significari per famem et sitim justitiæ. »

In attribuenda quarta beatitudine dono fortitudinis concordat S. Thomas cum Alberto M., ut modo supra vidimus (1), et cum Bonaventura, in *Breviloquio* (2).

Expositis jam sententiis trium Doctorum principum, videamus nunc quousque hi inter se consentiant vel discrepent ab invicem.

Primo quidem, consentiunt omnes tres in hoc, quod objectum virtutis et doni fortitudinis sit arduum et præcellens, faciendum vel perferendum, cum hac sola differentia vix notabili quod Bonaventura istud objectum potius in passione quam in actione, in sustinendis magis quam in agendis constituat.

Secundo, conveniunt omnes tres in hoc quod donum excedit virtutem, sive generalem, sive specialem; aliis verbis, quod arduum sit objectum fortitudinis, alia ratione in dono, alia in virtute, et in illo quidem ratione altiori et præcellenti.

Tertio, in modo et ratione, quibus virtutem excedit donum, assignandis, consentit Bonaventura cum Alberto, siquidem uterque assignat hanc rationem in arduo, quatenus est ultra necessitatem virtutis et excedit statum communem. Hæc sola parva discrepantia est, qua tamen sibi invicem non contradicunt, quod S. Bonaventura, magis in perferenda passione arduum constituens, tandem reducit rationem ardui, dono fortitudinis propriam, ad tolerantiam passionum secundum imitationem Christi.

Doctor vero Angelicus videtur primo saltem intuitu ab utroque, Bonaventura nempe et Alberto, longius discedere, non quidem contradictoriam, sed diversam seu disparatam quasi rationem afferens. Attamen rem

---

(1) Nempe in nota (1), pag. 420.
(2) Parte V, c. VI.

penitius inspiciendo cum utroque prius citato Doctore conciliari posse videtur S. Thomas. Re quidem vera, quod dicit doni fortitudinis proprium esse facere et sustinere ardua cum fiducia, a Spiritu sancto menti infusa, quæ excludat timorem nenon obtineatur finis operis inchoati, et nenon evadantur pericula, in re ipsa refert et explicat quod ait Albertus, cum describit arduum, qua proprium doni fortitudinis objectum ejusque rationem formalem, dicens: arduum istud respicere *elevationem abstrahentem* a conversatione communi, et ab eo quod desiderant plures, et *ab eo quod ut finem, qui est terminus operis, consequentur plures*. Ut uno verbo dicit Cajetanus, supra: donum fortitudinis excedit fortitudinis virtutem *quoad finem*.

Pariter, in re ipsa non dissonat idem dictum S. Thomæ ab eo quod Bonaventura, expressione licet valde diversa, enuntiat, cum actum proprium et principalem doni fortitudinis reponit in sustinendis passionibus ad imitationem Christi: Christus enim ita passus est summe ardua, ut et omnia pericula evaderet mortem ipsam vincendo, et summa cum fiducia et securitate opus suum redemptionis humanæ ad finem perduceret.

Hæc de notione doni fortitudinis sufficiant. De B. Rusbrochii doctrina heic nihil addimus, sed dicemus postea; cum enim ipse donum fortitudinis unice in ordine ad contemplationem consideret, breviter jam percurremus diversas functiones doni fortitudinis, suo loco dicturi de præclaris documentis admirabilis Contemplatoris.

Itaque, recurrendo semper ad expositionem S. Bonaventuræ, in *Breviloquio* (1):

1ª *Functio* doni fortitudinis est expeditissime *repellere obliquitatem vitii acediæ*, quæ mentem reddit ad bona invalidam, ut loquitur S. Bonaventura.

Hæc quidem functio ex ipsa notione fusius explicata doni fortitudinis tam clare elucet, ut nihil sit addendum.

---

(1) Vid. hoc tomo, p. 124 et sqq.

Idque valet et de aliis functionibus plerisque, quas ideo brevissime expediemus.

2ª *Functio* doni fortitudinis est *expedire irascibilem in adversis*. Quod rursum fere ex terminis intelligitur.

3ª *Functio* est expedire *officium virtutis fortitudinis*.

4ª *Functio* est expedire *in patiendo* conformiter ad Christum. Movit autem Christum ad patiendum etiam *virtutis strenuitas*, *ut vigorosa in perferendo*, quod fit per donum fortitudinis. Et hic quidem actus est principalis doni ejusdem, secundum Bonaventuram, tolerare passiones secundum imitationem Christi.

5ª *Functio* expedit *in agendo,* id est, in vita activa interiore, præparatoria ad contemplativam ; nec tantum ad declinandum a malo, sed etiam ad proficiendum in bono, eoque duplici, necessitatis et supererogationis. Atqui « circa secundum expedimur per consilium dirigens, et fortitudinem exequentem », ut loquitur idem Doctor Seraphicus. Quod quidem de dono fortitudinis exequente luculenter ex notione tradita ejusdem doni patet, et de dono consilii dirigente infra amplius declarabitur.

6ª *Functio*. In ordine ad vitam hierarchicam et contemplativam, oportet primum purgari, et inter alia quidem *ab infirmitate seu impotentia*. Hoc autem præstat donum fortitudinis.

7ª *Functio*. In vita mixta perfecta, contemplationis et actionis, « activa... debet habere... *fortitudinem ad sustinendum*, » et hujus directivum, consilium. Sic Seraphicus supra.

Nunc quædam addamus ex B. Rusbrochio qui, uti diximus, donum fortitudinis unice in ordine ad contemplationem considerat.

Ut autem ejus doctrinam penitius perspiciamus, oportet attendere ipsum ita distribuere dona in ordine ad vitam perfectam ut, præter summum sapientiæ donum quod ad perfectionem contemplationis pertinet, aliorum sex donorum tria assignet vitæ activæ seu externæ, ut

ait (1) : scilicet dona timoris, pietatis et scientiæ ; alia tria attribuet vitæ magis interiori seu affectivæ, quæ propius ad contemplativam accedit, nempe dona fortitudinis, consilii et intellectus.

Ita, in *Comment. in tab. fœderis* (2), ubi septem lucernas candelabri aurei figurare docet septem dona Spiritus sancti, supremam lucernam in ipsius hastilis vertice positam significare dicit ipsum Spiritum sanctum et summum sapientiæ donum ; sex vero alias lucernas, quarum tres a dextris, tres a sinistris positæ sunt illius quæ hastili imposita est, figurare docet alia sex dona Spiritus sancti : « A parte dextera, *ait*, suscipiemus tria suprema dona, atque hæc ornabunt vitam nostram internam ; a parte vero sinistra, tria alia dona, quibus ornabitur vita nostra externa (3). » Eaque dona ordine dignitatis disponit, ita ut in dextera primum, hastili proximum sit donum intellectus (2ª lucerna), dein consilii (4ª lucerna), et in parte extrema fortitudinis donum (6ª lucerna). In sinistra, proximum hastili scientiæ donum (3ª lucerna), dein pietatis (5ª lucerna), extremum timoris donum (7ª lucerna).

Similiter *De ornatu spir. nuptiarum* tria timoris, pietatis, hujusque directivæ scientiæ dona refert ad vitam activam et externam (4). « Cæterum si propius ad Deum accedere et sublimiora accipere exercitia, vitæque gradum altiorem capessere velit, ab operibus ipsis ad causas operum, et a signis ad veritatem intro se recipiat et ingrediatur oportet. Atque ita actuum suorum dominus ac magister, et veritatis cognitor effectus, ad internam pertingit vitam, accipitque quartum a Deo donum, hoc est, fortitudinis spiritum (5). »

---

(1) Intellige : non activam illam ad extra, puta apostolicam, quæ contemplativam subsequitur eique adjungitur, sed activam quæ præparat ad contemplativam, et hoc sensu minus interna est, quamque eatenus opponit affectivæ et interiori.

(2) Cap. 24-31 ; et cf. *ibid.* c. 112 (ap. Surium).

(3) Loc. cit., c. 25 in fine (ap. Surium).

(4) Cap. 65 in fine.

(5) Cap. 66, initio.

Pariter in lib. *Regnum Deum amantium:* « Quemadmodum, *ait,* tria præcedentia dona hominem in vita activa foris et intus ornant, componunt, ordinant, perficiunt: ita hoc donum (fortitudinis) intus et foris exornat hominem in vita affectiva (1) ».

Igitur, ex mente Rusbrochii tria dona fortitudinis, consilii et intellectus ultra vitam activam ascendunt, pertinentque ad vitam internam, affectivam, adeoque propius conducunt ad contemplativam unionem; atque ex his fortitudo ad primum in hac vita interna gressum spectat.

Quibus attentis, clarescet explanatio doni fortitudinis, quam ex eodem Rusbrochio subjicimus, eaque facile intelligetur idem donum respicere præprimis in ordine ad contemplationem, uti diximus.

« Sequitur hinc sexta lucerna, ultimus candelabri nostri a dextra parte decor et ornamentum. Et figurate quidem lucerna hæc donum fortitudinis designat, quod intus nos movet, poscitque et exigit a nobis, ut ultra ea omnia, quæ Deo dissimilia et imparia sunt, semper animo sublevati simus (2); itemque docet nos, ut neque nosipsos, neque vires nostras alicujus pensi habeamus,

---

(1) Cap. 20, initio.

(2) Hæc explicat *De orn. spir. nupt.*, c. 66: « Quo [fortitudinis dono] communitus vincere potest adversa et prospera, lucrum et jacturam, spem et curam rerum temporalium, omnigenaque media et omnem multiplicitatem; atque hoc ipso a creaturis omnibus totus fit liber et expeditus. Ubi vero a cunctis simulacris ac imaginibus absolutus est, fit compos ac potens suiipsius, facileque ac nullo negotio ad unitatem pertingit ac internus efficitur, et citra ullum impedimentum interna cum devotione, sublimi affectu, laude, gratiarum actione et simplici intentione ad Deum sese convertit.... Sæpius a Deo interna consolatione et suavitate afficitur... etiam interna pace semper gaudet... [Attamen] minime in illis acquiescet ac immorabitur, sed per quævis potius dona omnemque consolationem transibit ac penetrabit, quo possit ad dilectum pertingere. Fortis igitur is est, qui cordis inquietas occupationes et res terrenas abjicit, deserit ac vincit. Duplici vero fortitudine præditus est, quisquis consolationem omnem et dona cœlestia pertransit ac superat. Talis nimirum creaturas omnes excellit, et magna virtute ac libertate per spiritalis donum fortitudinis sese possidet. »

vel ne de his quippiam magnifice sentiamus, sed u
sponte ac libere divinæ nos virtuti ac potentiæ trada
mus, in eaque omne posse nostrum, seu totam viriun
nostrarum facultatem fundemus, futuri hoc ipso in omn
pugna et concertatione securi. Cui si nos exaction
obtemperare velimus, libera voluntas nostra divinæ uni
tur virtuti ac potentiæ, atque inde veram nos sentimu
pœnitentiam, omnem dubitationem, diffidentiam, formi
dinem, et voluntatis inconstantiam ac mutabilitatem
nobis auferentem, et in dono fortitudinis nos firmanten
ac constabilientem. In hac porro fortitudine certan
spem concipimus, nunquam nos in mortiferum aliquo
vitium lapsuros: unde tum sexta exoritur virtus princi
palis (1), quæ est honesta magnanimitas: qua prædit
nullo negotio contemnimus quidquid vitiosum est, e
caduca ac labentia cuncta parvipendimus. Non enin
isthæc curamus, neque formidamus quemquam, nec i
aliquo spem præcipue collocamus nisi in Deo: neminen
neque magnum, neque potentem ducimus, nisi Deum
Animi namque honestas cum divina virtute conjuncta
ultra omnes nos creaturas evehit, poscitque a nobis u
Deo famulemur, gratesque laudesque agamus, et eun
adoremus. Atque ita in sexta lucerna nostra vitæ æterna
oleum continemus. Cumque Deum animo libero, sublati
ac erectis viribus, et cunctis actibus nostris laudamus
jam plane vividi, robusti ac invicti et insuperabile
sumus: quantoque tum acrius impugnamur ac tenta
mur, eo sumus robustiores: quandoquidem Dei certa
mus virtute, quæ prorsus insuperabilis est. Et sempe
quidem ac perpetuo excelsus animus noster reverent
ac honorifica cum laude sursum tendet ad Deum, sicqu
reges uncti erimus, et ex omni certamine palman
semper feremus, vivumque nostræ salutis oleum repon
tabimus: modo tamen rectæ intentionis ellychnium il

(1) Vide supra, hoc tomo, pag. 200, nota (1), quæ de virtute principa
hoc sensu apud Rusbrochium notavimus.

impositum habeamus, ita ut magnanimitas nostra plane sentiat, longe majori Deum Opt. Max. tum laude, tum honore dignum esse, quam creaturæ omnes illi exhibere queant. Neque enim satis eum pro dignitate laudare valemus. Cum enim illius contemplamur magnitudinem ac majestatem, tam nos simplices efficimur, ut modum omnem amittamus, et quanam ratione Deum laudibus evehere debeamus, incertum nobis sit. Et ita quidem laudando, in illius laude semper deficimus: et deficiendo, spiritus noster gaudium sentit, et salutem, ac beatitudinem: et hinc ellychnium nostrum virtute nova accenditur: simulque animus noster denuo impetu quodam concitatur: et ita nos continenter novæ laudis oleum apportamus, dicimusque cum virgine Matre: *Magnificat,* id est, magnifice laudat *anima mea Dominum.* (Luc. I). *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Quæ nimirum vita plane cælestis est (1). »

Hanc suam doctrinam de dono fortitudinis fusius evolvit, quam ut eam referre possimus, in lib. *Regnum Deum amantium,* c. XX-XXIV, quem ad locum remittimus lectorem, tantummodo summa ibidem expositarum rerum adjecta.

Videlicet c. XX exponit quomodo donum fortitudinis hominem ultra res creatas omnes ad divinam Trinitatem elevat, quomodo ex eodem dono inflammatur affectus atque laus et honor Deo exhibetur, augescit affectus et desiderium, ex hoc ipso desiderio cor *vulneratur* et dolore conficitur; nonnumquam vero, contra, oritur *jubilum* et spiritualis quædam insania.

C. XXI explicat quid requiratur ut excellenter exerceatur donum fortitudinis, et contra, quatuor impedimenta huic exercitio obstantia demonstrat.

C. XXII præcelsos actus ex eodem dono manantes explanat, inter quos est fames ac esuries justitiæ, de qua Christus quarta beatitudine ait: *Beati qui esuriunt*

---

(1) *Comment. in tab. fœderis,* c. XXX (ap. Surium).

et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Additque quomodo hoc donum perfectissime fuerit in Christo.

C. XXIII ostendit hoc dono excellenter exercito hominem adipisci perfectam arbitrii seu voluntatis libertatem, quæ quatuor modis quamdam refert ignis similitudinem.

Tandem c. XXIV rursum quomodo perfectum exercitium doni fortitudinis obtineatur, edocet, necnon quatuor præpedientia, aliaque quatuor, non solum impedientia, sed quodammodo eripientia quidquid virtutis est, exponit.

Hæc omnia apud Rusbrochium vitam contemplativam prælibare legenti ultro manifestum erit; quapropter ad hunc tractatum nostrum, qui de donis est in ordine ad contemplativam unionem, præprimis pertinent et sedulo considerari merentur, ita ut nonnisi inviti ea non exscribamus integra.

(Continuabitur).

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Maii propositas.

—

I

Q. *Paucis expone sensum visionis quæ præcedit aperitionem septimi sigilli, et quæ describitur in cap. VII Apocalypseos.*

R. Supra (pp. 348 ss.) determinavimus, modo generali, sensum visionis libri cum septem sigillis quæ describitur in Apocalypsi, cc. IV-VIII, 1. Diximus in specie per aperitionem sex priorum sigillorum symbolice repræsentari ea omnia quæ ultimum judicium præcedent et præparabunt: postquam Evangelium prædicatum fuerit in universo orbe, erunt cruenta bella in mundo, fames et pestilentiæ, fient persecutiones cruentæ contra Christianos, et perturbabitur tota natura creata. Hisce omnibus terrore percellentur homines et dicent montibus et petris: « Cadite super nos et abscondite nos a facie (Dei) sedentis super thronum, et ab ira Agni (Christi): quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: et quis poterit stare? ». Cum aperitione ergo sexti sigilli jam instat judicium ultimum, ultima et universalis calamitas: solvetur ultimum sigillum, liber aperietur, fiet ipsum judicium ultimum. Hæc tamen non statim referuntur, sed narratio interrumpitur *duplici interludio* jam explicando (1).

I. Joannes videt quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ, continentes adhuc sed paratos ad laxandos quatuor ventos, qui terræ universæ desolationem afferent. Ab altero quodam angelo jubentur ventos continere, usquedum ipse signo quodam Dei vivi, quod manu tenet, in frontibus signaverit servos Dei.

---

(1) Cfr. opera citata supra p. 348, in specie CEULEMANS, *o. c.*

Indubium est hisce designari hos Dei electos esse salvandos a tempestate quæ imminet (1).

Quinam sint qui sic ab Angelo signantur statim additur: ex singula 12 tribuum Israël (2) duodecim millia, omnes ergo simul 144.000. — Hisce designantur, ut videtur, ii electi ex *Judæo-Christianis* qui durantibus omnibus istis eventibus et persecutionibus quæ finem mundi præcedent, fideles Christo et fidei permanebunt, et sic immunes servabuntur ab ultima et universali calamitate qua iste mundus transitorius finem accipiet et qua impii in finem punientur (3). Cfr. dicenda ad II interludium.

---

(1) Cfr. Ezechiel, IX, 4 ubi etiam salvandi e strage signantur littera hebraica *Thav*.

(2) Mirum est in hac enumeratione tribuum Israël non occurrere tribum *Dan*, et mirum quoque est post enumeratam tribum *Manasse* (v. 6) infra citari tribum *Joseph* (v. 8): etenim Manasses erat filius Joseph, et ideo in eo continebatur; et si Manasses citatur, quare non citatur *Ephraïm*, alter filius Joseph? — Omissis variis aliis solutionibus hujus vel harum difficultatum, hæc omnino præferenda videtur quæ omnia simul explicat: Joannes in v. 6 scripserit: ΔΑΝ, et aliquis amanuensis posterior male legens ΜΑΝ putaverit esse abbreviationem pro *Manasse*.

(3) Beelen, *Het Nieuwe Testament*, in h. l., opinatur hac visione præsignificari Judæo-Christianos ecclesiæ Jerosolymitanæ non esse perituros cum Judæis, dum civitas, a. 70, a Romanis destrueretur. — Equidem verum est, teste Eusebio, in Hist. Eccl., l. III, c. V, Christianos istos, a Domino præmonitos de civitate egressos esse et migrasse in Pellam, ultra Jordanem, antequam civitas obsideretur et destrueretur; ast an pauci isti Christiani obvie intelliguntur designari per 144.000 illos ex omni tribu filiorum Israël? — præterea indubium videtur Apocalypsim non *ante*, ut Beelen æstimat, sed *post* a. 70 fuisse scriptam. — Si recta est interpretatio quam supra stabilire conati sumus, si vere tota visio libri cum septem sigillis de eventibus finem mundi et ultimum judicium præcedentibus intelligenda est, tunc indubium quoque videtur duplex hoc interludium, in cap. VII descriptum ad eumdem finem mundi referri. — Si quis tamen interpretationem primi interludii, a Beelen propositam admitteret, bene posset relationem inter primum et secundum interludium intelligere eo fere modo quo sermo apocalypticus Christi, a Synopticis relatus, intelligitur: sicut Christus loquitur tum de destructione Jerusalem, tum de fine mundi, qui destructione Jerusalem typice præsignificatur, ita quoque Joannes in primo interludio de destructione Jerusalem, in altero vero de fine mundi ageret.

II. Joannes videt turbam magnam, non jam, sicut turba in primo interludio descripta, numerabilem, sed quam dinumerare nemo poterat, desumptam non jam ex tribubus Israël, sed ex omnibus gentibus et tribubus et linguis (1). — In oppositione ad præcedentia isti videntur intelligendi *Ethnico-Christiani,* qui et ipsi fortes manebunt in fide sua: amicti sunt stolis albis, symbolo beatitudinis cœlestis; gerunt palmas in manibus suis, symbolum victoriæ reportatæ; Deo et Christo fideles permanserunt, et clamant voce magna: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum et Agno; venerunt de tribulatione magna (ἐκ τῆς θλίψεως τῆς μεγάλης), i. e. in contextu: ex magnis illis tribulationibus et cruentis persecutionibus supra descriptis; ipsi laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni: justitiam adepti per merita Christi, in justitia sua permanserunt (2). — Isti omnes in æternum fruentur protectione divina (« habitabit super illos ») et felicitate cœlesti.

Sit ergo *conclusio:*

Duplici visione descripta in c. VII, et quæ in visione libri cum septem sigillis interponitur inter aperitionem sexti et septimi sigilli, symbolice repræsentatur quomodo durantibus ultimis calamitatibus et persecutionibus, multi, tum ex Judæo- tum ex Ethnico-Christianis, fideles permanebunt Deo et Christo, adeoque ab ultima et universali calamitate quæ in judicio ultimo instat impiis, salvabuntur et cœlestem beatitudinem obtinebunt.

A. Vander Heeren.

---

(1) Ex his apparet immerito a nonnullis, ut a Cornelio a Lapide identificari hos electos de quibus in vv. 9 ss. cum electis 144.000 de quibus supra.

(2) Non videntur intelligi præcise *martyres:* de hisce potius diceretur eos stolas suas dealbasse in sanguine *suo;* quod autem laverunt eas in sanguine Agni, illud competit omnibus justificatis, secundum illud: Christus « dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo » (I, 5).

II

Q. *Explica quomodo immunitas a concupiscentia, licet sit humanæ naturæ positive indebita, dici possit* integritas naturæ.

R. I. Loquimur hìc de immunitate a concupiscentia et proinde de illo dono quod sensu stricto vocatur *donum integritatis*. Attamen *integritas naturæ* seu *status naturæ integræ* dicitur quandoque status hominis ante peccatum quatenus comprehendebat *omnia* dona *præternaturalia* per quæ natura humana *in suo statu* perficiebatur seu per quæ naturales defectus auferebantur a natura humana: illa dona erant immortalitas, immunitas ab ærumnis physicis, scientia per accidens infusa: de quibus sermo redibit infrà (1).

1. Immunitas a concupiscentia hìc formaliter significat (2) immunitatem ab omni motu appetitus sensitivi et etiam intellectivi præveniente omnino judicium rationis aut voluntatis imperium, vel illis repugnante (3);

---

(1) Cf. PIGNATARO, *De Deo Creatore*, Romæ, 1905, p. 286. S. BONAVENTURA, in II, dist. 29, a. 2, q. 2, dicit probabilius esse quod Adam habuerit prius tempore naturalia quam gratuita, h. e. quod Adam fuerit creatus cum donis præternaturalibus tantum, et postea recepit gratiam sanctificantem cum aliis donis simpliciter supernaturalibus. Oppositam sententiam tenet S. THOMAS, 1, q. 93, a. 1; 2-2, q. 5, a. 1; hæc sententia nunc communiter docetur. Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.*, t. I, p. 273 s.

(2) Quando Cajetanus, in 1-2, q. 109, a. 2, n. VII dicit quod « vigor rationis ad conservandum statum rationi in nullo dissonum non est portio originalis justitiæ » loquitur de formali ratione illius vigoris et non de entitate qua verificatur. Dicit nempe: ratio formalis illius vigoris animæ non pertinet ad rationem formalem justitiæ originalis (quæ est simpliciter supernaturalis); sed non negat Cajetanus quod ille vigor obtineatur de facto per dona quæ pertinent ad justitiam originalem. Quapropter Cajetani mentem non assecutus est SUAREZ, *De opere sex dierum*, L. III, c. 12, n. 13.

(3) Sumitur proinde *concupiscentia* in sensu latissimo, et non in sensu stricto quam intelligit v. gr. S. Thomas, *Compendium theologiæ*, c. 186. His locis sermo est de concupiscentia *inordinata*. Quandoque eodem vocabulo designatur appetitus quin sit inordinatus. Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, n. 655.

est igitur perfecta subjectio appetitus ad rationis judicium et voluntatis imperium. Jamvero prædicta immunitas non connaturaliter fluit ex ipsis principiis humanæ naturæ: e contrario, homini naturale est ut appetitus sensitivus in proprium objectum tendat statim ac illud ipsi obvium fit, independenter a judicio rationis et imperium voluntatis; inde naturale est homini ut patiatur motus inordinatos appetitus sensitivi, ad quos etiam connaturaliter sequuntur motus inordinati in voluntate. Quapropter humanæ naturæ *positive indebita* est immunitas a concupiscentia (1).

2. Attamen si consideratur ipsa perfectio quæ est essentia prædictæ immunitatis, apparet illam *non superare nec transcendere ordinem perfectionis quæ competit humanæ naturæ:* etenim ipse ordo in operando, seu, in casu, perfecta subjectio activitatis partis inferioris ad activitatem partis superioris in homine, est bonum *proportionatum ipsi humanæ naturæ*, est status consonus naturæ rationali: præcise porro propter hoc *integritas naturæ* vel status *naturæ integræ* vocatur immunitas a concupiscentia. Inde recte Cajetanus: « Vigor iste [quo vires inferiores perfecte subjiciuntur rationi]... *essentialiter* est *naturalis,* quia vigor est superioris partis animæ nostræ secundum naturam rationalem ad solum et omne bonum rationi proportionatum se extendens: ideo sic adjunctis puris naturalibus constituit statum naturæ integræ; et per ipsius deperditionem natura est corrupta » (2).

Ex dictis bene intelligitur cur ablatio immunitatis a concupiscentia dici queat et sit *naturæ* corruptio vel vulneratio: si illa immunitas esset aliquid essentialiter *supernaturale,* ejus ablatio esset spoliatio doni mere

---

(1) Cf. JUNGMANN, *De Deo Creatore,* n. 277 ss.; PIGNATARO, *o. c.*, Romæ, 1905, p. 303 ss., 325 ss.; VAN NOORT, *De Deo Creatore,* Amstelodami, 1912, n. 199 ss.

(2) In 1-2, q. 109, a. 2, n. VII.

gratuiti et transcendentis naturam, nec haberet rationem ipsius *naturæ vulnerationis* aut *corruptionis*. Proinde naturæ vulneratio est destitutio ordinis debiti inter varias animæ facultates, est destructio harmoniæ virium animæ ad exercitium virtutum naturalium quæ correspondent tendentiæ naturali humanæ animæ ad bonum morale (1).

II. Quum immunitas, de qua sermo est, non physice sequatur ex ipsis humanæ naturæ principiis, oportet ut obtineatur per aliquid *superadditum* puræ naturæ, ideoque per aliquid *supernaturale quoad modum*.

Quid est hoc? (2).

1. Si de *possibilitate* sermo sit, integritas naturæ obtineri potest partim per internos habitus *per accidens infusos* (proinde supernaturales quoad modum), partim per specialem Dei providentiam ac protectionem. « Quod enim attinet internam dispositionem, sicut homo per diuturnum et constans exercitium virtutum adeo potest inferiorem appetitum rationi subjicere, ut jam vix contra eam moveatur neque ullam perturbationem creet, ita potuit Deus singulis facultatibus hominis eos habitus præternaturaliter infundere, quibus disponeretur ratio ad quiete considerandum, recte judicandum, convenienter imperandum; voluntas ad sequendam rectam rationem delectabiliter et ad movendum appetitum fortiter; appetitus ad obediendum prompte et suaviter (3).

Cui internæ dispositioni adjungenda est externa Dei providentia ac protectio qua arceri possunt omnia quæ motus inordinatos cierent.

2. Si de *facto* agitur, nempe de dono quo primus homo Adam fuit a concupiscentia immunis, censemus ipsi infusos fuisse illos habitus, de quibus statim

---

(1) Cf. Cajetanus, in 1-2, q. 85, a. 3; *Collat. Brug.*, t. X, p. 462 ss.

(2) Varias sententias habes expositas apud Suarez, *o. c.*, n. 11. Hic nos exponimus quod tenendum videtur.

(3) Pesch, *Prælectiones dogmaticæ*, t. III, Friburgi Br., 1895, n. 197. Cf. Suarez, *o. c.*, n. 18.

locuti sumus, ipsumque speciali Dei protectione fuisse custoditum.

Sed animadvertendum prædictam integritatem fuisse de facto subordinatam ordinationi mentis primi hominis ad Deum per *charitatem supernaturalem*. Quapropter humanæ naturæ integritas, prout in præsenti rerum ordine habita, ad ipsam *originalem justitiam pertinet* (1).

In hoc sensu loquitur Cajetanus: « Vigor iste [quo vires inferiores perfecte subjiciuntur rationi] est *possessive gratuitus,* quia non habetur nisi in conjunctione ad statum gratuitum originalis justitiæ » (2).

Præterea ipsa dona essentialiter supernaturalia, scilicet gratia sanctificans, virtutes infusæ, dona Spiritus Sancti, licet per se non sufficiant ad conferendam immunitatem a concupiscentia, cooperari tamen possunt ad hunc effectum: etenim virtutes infusæ, maxime theologicæ, si rite exercentur, efficaciter concurrunt ad hoc ut homo rationis dominium stabiliat in appetitum sensitivum. Censemus proinde donum integritatis, prout de facto fuit concessum, complecti etiam dona essentialiter supernaturalia, licet hæc *non ingrediantur formalem rationem naturæ integritatis*. Idem dicendum est de aliis donis quæ alios naturales defectus humanæ naturæ auferebant, v. gr. de immortalitate et de im-

---

(1) In justitia originali donum integritatis se habet ut elementum *materiale,* inde privatio illius doni, seu concupiscentia, est elementum materiale peccati originalis. Cf. *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 641. — Cajetanus, 1-2, q. 109, a. 2, n. VII, docet donum integritatis, præcise propter suam conjunctionem cum justitia originali fuisse perfectius quam fuisset absque illa, nominatim in hoc quod, propter justitiam originalem, non potuit homo peccare venialiter priusquam peccet mortaliter; e contrario, si fuisset in statu naturæ integræ absque justitia originali potuisset peccare venialiter priusquam mortaliter peccet. Inde quatuor status ratione saltem distincti enumerantur a Cajetano: 1/ status naturæ puræ; 2/ status consonus naturæ rationali, ut scilicet servetur rectitudo rationalis in omnibus partibus animæ; 3/ status doni justitiæ originalis, gratia gratum faciente seclusa secundum rem vel rationem; 4/ status gratiæ gratum facientis. *O. c.*, l. c., n. III.

(2) *O. c.*, n. VII.

munitate a morbis, ærumnisque: etenim perfecta corporis sanitas et vigor possunt etiam cooperari ad removendam appetitus inordinationem: sed immunitas a concupiscentia proprie et proxime dependet a perfecto voluntatis imperio quod in animæ vigore residet. Etiam animæ vigor, supernaturalis quoad modum, est præcipua causa immortalitatis (1). Ex immortalitate etiam consequitur integritas naturæ (2), quatenus est continuatio vitæ humanæ in suo ordine omnino perfectæ.

Adnotatio. 1. Baius nomine *integritatis naturæ* non intelligit tantum immunitatem a concupiscentia sed totam primi hominis rectitudinem (3); hæc certo complectebatur dona simpliciter et entitative supernaturalia. Quapropter ex hoc quod damnata fuit hæc Baii propositio: « Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio » (4), non potest *concludi* quod integritas naturæ, stricte sumpta pro immunitate a concupiscentia, sit indebita naturæ exaltatio.

2. Propter connexionem quam indicavimus existere de facto inter hominis elevationem ad ordinem supernaturalem et donum integritatis, recte dicitur quod illo dono ipsa « elevatio hominis reddebatur sensibilis » (5); integritas enim est effectus sensibilis et externus prædictæ elevationis.

3. Diximus immunitatem a concupiscentia, formaliter consideratam, esse *essentialiter naturalem* et *supernaturalem quoad modum* quo producitur; hanc etiam *præ-*

---

(1) Cf. S. Bonaventura, in II, dist. 19, a. 3, q. 2; S. Thomas, I, q. 97, a. 1 et 4.

(2) Integritas naturæ sumitur tunc latiori sensu, prout complectitur omnia dona præternaturalia. Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *o. c.*, t. II, p. 113.

(3) Baius, *De prima hominis justitia*, c. 1. Cf. Scheeben in opere quod edidit: Casinius, *Quid est homo*, Moguntiæ, 1862, p. 7.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 207 ss.

(5) Illmus ac Revmus Waffelaert, *o. c.*, t. VIII, p. 518, n. 332; *Méditations théologiques*, Bruges, 1910, t. II, p. 58. n. 34.

ternaturalem dici posse videtur. Licet quoad essentiam sit naturalis, non inest tamen naturaliter humanæ naturæ puræ; et si consideratur ipsa immunitas (abstrahendo a modo quo obtinetur) hæc invenitur (analogice) in natura angelica, quatenus hæc natura a concupiscentia est necessario libera. Sub hoc respectu donum integritatis dici potest præternaturale simul ac supernaturale quoad modum (1).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Quinam, juxta disciplinam Benedictinam, sunt denuntiandi?*

R. *Prænota* quæstionem tangere personas denuntiandas *uti sollicitantes*, idque vi dispositionis *juris positivi*, in hac re latæ. Seponitur nempe quæstio quinam et quousque denuntiari debeant *ex jure naturali;* item abstrahimus a quæstione quosnam et quousque denuntiandos urgeat jus positivum, *ex alio capite* quam ex capite sollicitationis.

Quo notato respondetur: *Omnes et soli sacerdotes per seipsos sollicitantes, quantumvis emendati vel et, practice saltem et passim loquendo, convicti et jam puniti, exceptis defunctis.*

1° *Omnes sacerdotes*, cujuscumque dignitatis et præeminentiæ (2), quantumvis jurisdictione et approbatione destituti (3).

Disputatur utrum denuntiandi sint *Episcopi;* probabiliter autem negatur, adeo ut denuntiatio non sit urgenda. Ratio est quia, juxta Constitutiones Gregorii XV et Benedicti XIV, denuntiatio est facienda

(1) Cf. Mercier, O. P., *Le préternaturel*, in *Revue thomiste*, 1908, t. XV, p. 701 ss.

(2) Cf. Constit. Gregorii XV, par. 4 et Benedicti XIV, par. 1.

(3) Decr. 1661, ad 5m; Constit. Bened. XIV, par. 2.

coram Ordinariis vel Inquisitoribus generalibus, hisque mandatur ut in sollicitantes animadvertant: quæ non conveniunt Episcopis, utpote quorum causæ criminales graviores sunt deferendæ ipsi S. Pontifici, a quo solo, juxta Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 5, *De Reform.*, cognoscantur et terminentur (1).

2° *Soli:* non igitur laici vel clerici sacerdotio inferiores. Soli namque designantur *sacerdotes*, et, maxime in re odiosa, ultra terminos non est extendenda disciplina (2).

3° *Per seipsos* sollicitantes, ad exclusionem illorum qui interpretes dumtaxat fuerunt vel nuntii sollicitationis, eamve mandantes aut consulentes (3).

4° Etiam *emendati* denuntiari debent, quemadmodum id non obscure eruitur ex decreto C. S. O., 26 Julii 1628 (4), denuntiationem urgente etiam ubi constat sollicantem *sponte comparuisse*. Et sane, uti ratiocinantur *Analecta eccl.*, 1898, p. 504, « forum judiciale

---

(1) Argumenta sententiæ negantis urgent BALLER.-PALM., o. c., V, n. 1090, necnon ROTA, o. c., n. 263; sententiæ affirmantis obligationem argumenta urget BERARDI, o. c., n. 22, cui favent *Anal. eccl.* 1898, p. 503. Profectò non negatur omnis obligatio denuntiandi Episcopum dicti criminis reum; sola negatur obligatio *in jure positivo* sancita contra sollicitantes, salva manente obligatione ex jure naturali oriunda.

(2) Rursus non contendimus laicos vel clericos sacerdotio inferiores, si confessiones audire præsumerent et hac occasione sollicitarent, non fore denuntiandos; hoc tantùm intendimus, eos non esse denuntiandos *qua sollicitantes, ex jure positivo*. Ex jure scil. naturali, attenta ratione boni publici, sponte exsurget onus denuntiandi hujusmodi sacramentorum abusores et fidelium corruptores; ulterius ex ipso jure positivo, et ob solam ministerii sacri usurpationem, denuntiandi essent, non ex capite sollicitationis, sed titulo suspicionis de hæresi. Cf. decr. 10 Martii 1677 (apud POTESTAS, *Examen eccles.*, tom. II, P. 2ª, n. 226), ubi denuntiandi declarantur tanquam suspecti de hæresi, « qui non ordinati sacerdotes... Sacramentum Pœnitentiæ præsumpserint ministrare christifidelibus, etiamsi nondum ad absolutionem venerint ».

(3) Decr. 1661, ad 6ᵐ et 7ᵐ Hic autem iterum applicantur, proportione servata, quæ modò notavimus circa episcopos et clericos sacramento Pœnitentiæ abutentes.

(4) *N. R. th.*, VIII, p. 359.

intendit bonum publicum (non vero solam delinquentis salutem) ac impedire ac punire delicta, et per delictorum punitionem incutere timorem, non modò delinquenti, sed aliis omnibus » (1).

5° Quod spectat confessarios *convictos* et a judice *punitos* jam: certum est illos esse denuntiandos, si *novum* inde a punitione crimen admiserint, vel si convicti fuerint de sollicitatione *alterius* pœnitentis (2). Quodsi constaret sacerdotem esse convictum et punitum de ipso illo crimine de cujus denuntiatione facienda agitur, theoretice saltem probabile videtur eum non amplius esse denuntiandum, cum fini legis plenè satisfactum esse censeatur; practice tamen rarò abstineri poterit ex hoc capite a denuntiatione facienda, cum, attento stricto secreto in hujusmodi causis servando, vix unquam constet ob quodnam crimen convictus fuerit et punitus sacerdos.

Excipitur sacerdos *defunctus*. Equidem PLANCHARD, o. c., p. 26, docuit, post SALMANT., o. c., tr. XXI, cap. IV, n. 68-71, denuntiationis onus non cessare post mortem sollicitantis; sed constat de contrario ex responso S. Pœnitentiariæ, 24 Aprilis 1884 (N. R. th., XVI, p. 451), necnon ex decreto C. S. O., 6 Martii 1839

---

(1) Huic solutioni patrocinantur Auctores plerique. Cf. præter *Anal. eccl.*, BALLER.-PALM., l. c., n. 1132, ubi etiam provocat ad decr. Alex. VII, 8 Julii 1660; DOLHAGARAY, l. c., p. 232 s.; BUCCERONI, o. c., n. 43; PLANCHARD, o. c., p. 26; LAHOUSSE, o. c., n. 270 et alii ibidem citati. Contra BERARDI, o. c., n. 284 ss., tuetur sententiam benigniorem, pro solo tamen casu quo sacerdos ita emendatus apparet ut reincidentia non videatur timenda.

Notetur iterùm hic agi de obligatione *juris positivi*: coram jure naturali potest sustineri sententia a denuntiatione excusans.

(2) Cf. decr. 1661, ad 13^{m}, ubi denuntiandus declaratur sacerdos « qui propter sollicitationem *alterius* abjuravit », i. e. qui sese purgavit de hæresi suspicione: quod supponit eum in judicium esse vocatum et de crimine convictum.

Integrum etiam manet denuntiationis onus, licet crimen aliquod jam noscatur ab alio denuntiatum; juvat enim ut accedat alterum testimonium de eodem crimine, ad hoc ut plenius de ipso constet coram judice.

(Collectanea², n. 882) (1), suamque sententiam retractavit laudatus PLANCHARD, apud *N. R. th.*, XVI, p. 446 ss.

IV

Q. *Coram quonam et quomodo est facienda denuntiatio?*

R. **Ad I. Coram quonam?**

Facienda est denuntiatio coram *S. Officio* vel coram *Ordinario*. Intelligitur autem regulariter Ordinarius *loci* in quo versatur *pœnitens*, licet confessarius denuntiandus ad aliam diœcesim pertineat. Ad loci Ordinarium spectat susceptam denuntiationem transmittere ad S. Officium vel ad Ordinarium proprium confessarii denuntiati: cujus erit processum instruere et ferre sententiam. Si id præstare commodè possit ac velit pœnitens, potest denuntiationem instituere coram Ordinario proprio confessarii, a quo denuntiatio excipiatur et processus instauretur.

Quæ disciplina de adeundo S. Officio vel Ordinario valet non solum pro denuntiando confessario sæculari, sed etiam pro denuntiando confessario *regulari:* prælati regulares non sunt ad hoc qualificati ut denuntiationes subditorum recipiant.

Ad II^m. Quomodo?

A. **Disciplina vigens.**

Datur *duplex* species denuntiationis: *juridicæ* nempe, in forma juris, et *extrajudicialis*.

1° **Juridica** denuntiatio duplici modo fieri potest:

Vel a/, et hæc est regula ordinaria, personaliter et

(1) In hoc decreto 1839 additur: « dummodò sollicitatio cum certa ac formali hæresi non conjungatur ». Nimirum *hæretici*, ad tramites juris, denuntiandi sunt etiam *defuncti*, et a S. Officio contra illos inquirendum est etiam post mortem, sive ad effectum bona confiscandi, sive ad scandala vel damna reparanda ex hæresi forsan secuta. Sollicitantes autem qua tales non sunt tractandi uti hæretici; in jure habentur uti de hæresi suspecti tantùm.

viva voce, ab ipsa persona sollicitata vel sollicitationis conscia, « *coram Episcopo*, ejusve delegato, *cum interventu ecclesiastici viri*, qui *notarii* partes teneat (1), et cum juramento et subscriptione sui nominis ». Instr. C. S. O., 20 Febr. 1866, n. 6.

Vel b/, viva pariter voce et personaliter, coram *confessario vel alio ecclesiastico viro,* ad hoc ab Episcopo deputando (2), *absque interventu notarii* (3), sive hunc delegatum adeat persona denuntians, sive ad hanc accedat deputatus (4).

Porro *notetur* quod, quamvis nomine Ordinarii passim veniant *Vicarii Generales*, juridicam denuntiationem excipere non possunt nisi de speciali mandato Episcopi. Potest autem, uti docet HEINER (5), Vicarius Generalis, absente vel impedito Episcopo, confessarium vel alium sacerdotem deputare ad denuntiationem recipiendam, ad normam dictorum (6).

2° **Extrajudicialis** denuntiatio instituitur absque descriptis formalitatibus, sive per oralem declarationem extra juridicam formam factam, sive per litteras ad Episcopum directas, sive per aliud medium ex quo substantia facti et identitas confessarii sollicitantis innotescere queant. *Judiciaria* denuntiatio requiritur ut

---

(1) Notarius adjungitur ut omnis suspicio removeatur quod depositio fuerit ab Episcopo adulterata.

(2) Potestas confessarium vel alium sacerdotem ad excipiendam sollicitationem, absque interventu notarii, deputandi, agnoscitur in Instr. 1866, n. 8, et jam olim agnoscebatur in Instructionibus C. S. O. 27 Sept. 1624, et Julii 1725, relatas apud GIRALDI, l. c., p. 642 et 643.

(3) Ad Instr. 1866 adnectitur formula juxta quam formiter interroganda est a deputato persona sollicitans. *N. R. th.*, VIII, p. 355. Inserenda est mentio delegationis acceptæ.

(4) Sic autem deputati receptam denuntiationem « continuò ad ipsum Episcopum a quo fuerunt deputati, caute transmittant. neque confecti actus exemplum vel vestigium aliquod sibi retineant ». Instr. 1866, n. 8.

(5) *Der kirchliche Strafprozess,* Köln, 1912, ubi provocat ad decr. C. S. O., 20 Martii 1901. Cf. etiam GENNARI-BOUDINHON, *Questions, Morale,* qu. 200.

(6) In alium sensum exstat decisio C. S. O., 14 Julii 1753, apud GIRALDI, l. c., p. 643.

processus *ad normam juris* instauretur (1), utque ad pœnas in jure (speciatim in Constitutione Gregorii XV) statutas infligendas deveniatur. *Extrajudicialis* sufficit pro judicio *ex informata conscientia* (2); sufficit etiam « ut *inchoetur* processus et inquisitioni adversus denuntiatum initium detur..., non autem ut ad aliquem actum præjudicialem contra ipsum deveniatur » (3).

B. **Norma agendi.**

1° *Practice* hæc sit *regula:* Scribat persona denuntiandi obligationi obnoxia ad Episcopum (4), idque propria manu (5), ac in litteris rite subsignatis (6), nitidè exponat sollicitationis factum (7), indicato loco delicti ac nomine necnon munere confessarii noxii, non omissa propria directione (adres), paratamque sese profiteatur ut instructionibus ab Episcopo dandas prompte

---

(1) Episcopus debet juridice procedere, quando processum instaurat ex commissione et delegatione S. Sedis, cui delata fuerit denuntiatio.

(2) Potest Episcopus, ad tramites C. Trid., Sess. XIV, cap, 1, *de Reform.*, quemadmodnm in nostris regionibus sæpius fieri solet, procedere ex informata conscientia, quando causam tractat *ex potestate ordinaria*, quæ potestas Ipsi, utpote nativo Inquisitori in causis fidei pro sua diœcesi, est agnoscenda. Supponitur crimen occultum et gravem adesse causam ut formæ juridicæ non observentur. Notum est Episcopum ex informata conscientia non posse aliam pœnam infligere quam suspensionem ab « ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ». *Conc. Trid.*, l. c.

(3) Planchard, o. c., p 40, coll. Berardi, o. c., n. 216, et *Anal. eccl.*, 1898, p. 504.

(4) Scribi potest ad *S. Officium*, sed præstat recurrere ad Episcopum, excepto casu quo in recursu ad Episcopum periculum esse posset lœdendi sigillum.

(5) Sane in confectione epistolæ dirigi et adjuvari potest a confessario, vel etiam, si opus sit, ab eo accipere formulam juxta quam litteras conficiat.

(6) « Denuntiationes *anonymæ* contra sollicitantis ad turpia nullam vim habent ». Ita Instr. 1866, n. 6.

(7) Ad normam exemplaris a S. Officio exarati pro recipienda denuntiatione, narrare debet « quæ ad sollicitationes ei factas attinent, seu verba fuerint, seu scripta, seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices ac singula adjuncta, necnon utrum in actu confessionis, an prius, vel post sacramentalem absolutionem ea evenerint ».

morem gerat. Ipsius Episcopi est judicare de necessitate vel opportunitate judiciariam vel saltem oralem et personalem exquirendi denuntiationem, ac de hoc, in casu, monere epistolæ denuntiatoriæ auctorem.

Quodsi citra grave incommodum non posset dicta persona coram Episcopo præsentem se sistere, id in litteris inserat, ut Episcopus possit alterum judiciariæ denuntiationis modum eligere, sacerdotem ad illam deputando; item, si graves rationes obstent etiam huic alteri denuntiandi modo, non omittat hoc notare: quo attento poterit Episcopus concedere ut *in confessionali* (utique extra confessionis actum) excipiatur denuntiatio (1), vel, si aliunde satis confidere possit epistolæ auctori factaque narrata in dubium vocari nequeant, poterit ab omni ulteriori inquisitione abstinere et sententiam ferre ex informata conscientia, vel tandem poterit rem deferre ad S. Sedem (2).

2° *Exceptionaliter*, si persona denuntiationi faciendæ obstricta scribere non valeat vel scribere renuat:

Tunc vel personaliter adeat Episcopum, vel, si id facere non possit, graviter reformidet aut non velit, scribat *ipse confessarius* (3), non quidem ut denuntiationem peragat loco pœnitentis — ad quod propria aucto-

---

(1) Cf. Berardi, o. c., n. 99 ss ; Gennari-Boudinhon, o. c., qu. 203, ubi notatur: « La pénitente pourrait y raconter une première fois le cas avec tous ses détails, pour que le confesseur délégué puisse rédiger à loisir un rapport, suivant le modèle indiqué par le S. Office (voir plus haut). Une seconde fois, après le double serment requis, la pénitente entendrait la lecture du rapport et l'approuverait, y apposant enfin sa signature ou du moins, si elle est illettrée, y faisant une croix ».

(2) Hic recursus ad S. Sedem urget quando processus est instaurandus *juridice*, et formæ juridicæ servari nequeunt in denuntiatione facienda. Episcopus enim in illis normis a jure communi inductis, extra urgentis necessitatis casum, dispensare non valet. Cf. Rota, o. c., n. 455; Theol. Mechl., o. c., p. 167.

(3) Ad hoc stricte non tenetur confessarius, sed, uti dicit Instructio 1866, n. 7, « laudandus est confessarius qui operam suam pœnitenti non denegaverit ».

ritate et inconsulto Episcopo non est properandum (1) — sed ut Episcopum informet, ipsum certiorem reddendo, sub pseudonominibus (2), de sollicitationis facto, simul ac de impossibilitate in qua versatur pœnitens comparendi ac scribendi, ac postulando ut opportunas instructiones dare dignetur (3). Id etiam in litteris inserat utrum pœnitens paratus sit necne ad denuntiationem faciendam coram delegato Episcopi, absque notarii interventu, saltem si delegandus sit confessarius: qui denuntiationis modus rarius est gravibus difficultatibus obnoxius, eo vel magis quod Episcopus possit concedere ut in ipso confessionali peragatur denuntiatio, ad normam dictorum, quodque sufficiat depositionem factam a pœnitente, litterarum ignaro, subsignari simplici crucis signo.

Episcopus, ex sua parte, a confessario rem edoctus, modum eliget quem aptiorem judicaverit, pro varia hypothesi, deputanto confessarium ad sollicitationem formiter excipiendam, vel, si hoc fieri nequit, a confessario postulando ut ipse, vice pœnitentis, denuntiationem perficiat, vel S. Sedem consulet, quem recursum ad S. Sedem vidimus esse necessarium quando processus juridice est instaurandus. Quod autem spectat remedium in hoc consistens quod confessarius onus in se assumat perficendi: ad hoc remedium nonnisi rarò et cautissime recurret Episcopus, quando scil., posita pœnitentis

(1) Passim gravissima incommoda prohibent quominus confessarius pœnitenti se substituat in denuntiatione perficienda, et præ cæteris periculum ne a pœnitente illudatur — ut non semel contigit — et sic imprudenter cooperetur falsæ denunctiationi confratris innoxii.

(2) In hac Episcopi consultatione, sedulò omittenda est mentio tam personæ sollicitatæ quam personæ sollicitantis, cujus cæteroquin alterius nomen supponitur ignotum confessario, cum, extra casum quo ad denuntionem excipiendam delegatur, graviter prohibeatur illud a pœnitente exquirere.

(3) Instr. 1866, n. 7, ubi notatur recursum illum consulendi gratia, directè institui posse etiam apud S. Officium, i. e. apud Cardinalem Secretarium vel Assessorem S. Officiii, vel apud S. Pœnitentiariam, scripto directo ad Card. M. Pœnitentiarium.

incapacitate scribendi, et omni dubio remoto circa ejusdem sinceritatem, bonum publicum exigit ut in sacerdotem sollicitationis graviter suspectum animadvertatur (1).

Nota. Pœnitens, si ad Episcopum scripserit et sollicitationis factum rite exposuerit, vel per medium confessarium scribendum curaverit, paratumque se exhibuerit ut pro posse staret mandatis Episcopi, absolvi potest, siquidem censetur oneri denuntiandi, in quantum hic et nunc urget, satisfecisse.

Quodsi absque causa proportionata onus illud adimplere detrectet, puta ex nimia verecundia, vel panico timore, vel quia exaggeratè timet ne consensus sollicitanti forte præstitus innotescat, ita ut denuntiationem peragere nolit, nequidem coram confessario ad hoc deputato, nec huic permittere ut in hisce vices suas suppleat, non potest absolvi pœnitens, et post mensem incurret excommunicationem, nisi eum S. Sedes, de hoc consulenda, vel, in casu urgenti, Episcopus a denuntiandi obligatione dispensaverit eamve suspenderit (2).

V

Q. *Quomodo procedet confessarius cum sacerdote pœnitente, quem in confessione reum reperit criminis sollicitationis?*

R. A. Pœnitens ille sacerdos *per se* potest a quocum-

---

(1) Caveat confessarius ne ad denuntiationem faciendam procedat nisi de licentia pœnitentis; non exquirat etiam nomen sacerdotis sollicitantis, sed postulet a pœnitente ut nomen illud scribat vel a tertia persona scribendum curet in charta separata, epistolæ includenda. Conetur etiam adducere pœnitentem ut epistolam denuntiatoriam a confessario conscriptam, si potest, saltem subsignet, vel ad minus crucis signum apponat.

(2) Cf. S. Alph., l. VI, n. 699, in fine; Ballerini-Palm., o. c., V, n. 1151; Dolhagaray, l. c., 1913, p. 50 s.; Berardi, o. c., n. 356 ss.; Rota, o. c., n. 455 et Planchard, o. c., p. 48, cum nota.

que confessario absolvi, modò aliunde sit ritè dispositus; sollicitationis namque crimini per se non est adnexa neque censura neque reservatio, uti notat C. S. O., in decreto 13 Septembris 1859, ad 3m (1).

Per accidens contingere potest hujusmodi sacerdotem pœnitentem *casui reservato* esse obnoxium, pro speciali natura peccati ad quod sollicitaverit, puta si reperiatur pœnitentem in primo gradu affinem ad *incestum* sollicitasse et cum ea reipsa perpetrasse, vel alium pœnitentem ad *sodomiam* provocasse et cum eo consummavisse vel attentavisse: ex quo duplici capite casus Episcopo reservatus, in diœcesi Brugensi, incurreretur. Fiet etiam, et hoc sedulò attendat sacerdotis confessarius, quod pœnitentem sollicitatum et in peccato turpi complicem illicitè *absolverit* vel absolvere finxerit, ex hoc capite contracta *censura* specialissimè reservata S. Pontifici, de qua alibi agitur (2).

B. In supposito quod sacerdos pœnitens non contraxerit censuram nec casum reservatum, vel quod ab illis absolvere valeat confessarius, sive vi principiorum generalium, sive vi peculiaris facultatis :

1° Miserum sacerdotem non absolvat confessarius antequam ob ejus oculos posuerit enormitatem criminis et abominationem abusus sacramenti, quod in perniciem pœnitentium ministrare non erubuerit, ipse pastor animorum in lupum conversus.

Quodsi eum « verè pœnitentem, si pondere peccatorum, si dolore oppressum invenerit, dilatet viscera misericordiæ... animumque viresque augeat confitenti :

---

(1) *Collectaneæ*, n. 1181.

(2) Non est etiam inauditum, quemadmodum notat PLANCHARD, o. c., p. 45, sollicitantem *censuram* incurrere ob *hæresim*, « quando nempe, sive personæ sollicitatæ renisus vincere resistentiam ejusque conscientiæ lumen extinguere, sive suarum sollicitationum infamiam quodammodo tegere atque excusare speret, hæreticas prorsus propositiones atque assertiones profert, v. gr.: Ecclesiæ non credendum dum talia prohibet, atque a Deo, auctore naturæ, hujus naturæ instinctus reprobari non posse, cælibatum esse contra voluntatem Dei... et similia ».

adjuvet ipsum in peccatorum accusatione, fiduciam ingerat de præteritorum remissione, spem de meliori fruge et perseverantia in futurum; conscientia facinorum et confusione dejectum erigere conetur » (1).

2° « Exigendum est ut, meliori quo fieri poterit modo, sollicitans scandalum sollicitatis illatum reparet; et quatenus ad eum denuò accesserint, sincerum dolorem de anteactis exprimat et ad alium confessarium remittat » (2).

Hanc obligationem a personæ sollicitatæ confessionibus audiendis in posterum abstinendi, contra sacerdotes sollicitantes non urget *jus positivum*, nisi denuntiati et criminis convicti id in mandatis acceperint a S. Sede vel ab Episcopo; sed ipsum *jus naturale* exigit ut illa obligatio imponatur ad relapsus præcavendos, et ad honorem tuendum Sacramenti Pœnitentiæ: quod et valet pro mox dicendis sub 3°.

3° Si sacerdos pœnitens ad confessionem redeat recidivus, et post pœnitentiam pluries et respectu plurium pœnitentium ad vomitum reversus, absolvi nequit, salva signi extraordinarii contritionis præsentia, nisi prævie promiserit officium dimittere confessarii, quod constat pro ipso constituere occasionem proximam peccandi quasi continuam, vel saltem translationem postulare ad alium locum ubi speratur minoribus exponendum esse periculis, vel, si gravissima incommoda physicæ desertioni occasionis obstant, ad minus promiserit efficaciora adhibere remedia quibus occasio proxima reddatur remota, fervidiores scil. orationes fundendas, assiduam meditationem, macerationes et alia virtutis sacerdotalis adminicula a zeloso confessario pro opportunitate proponenda et inculcanda.

A. De Smet.

---

(1) Planchard, o. c., p. 43.
(2) *Ibidem*, p. 44.

VI

Q. *Exposez la première prière du Canon,* Te igitur, *et les cérémonies qui s'y rapportent.*

R. I. La première prière du Canon actuel (1) est une prière d'impétration et d'intercession. En sa qualité de délégué de l'Église Universelle et spécialement au nom des assistants (2) — c'est la raison du pluriel — le célébrant s'adresse directement à Dieu le Père en faisant appel à sa clémence *(Te... clementissime Pater).* Mais comme l'efficacité de nos prières repose sur les mérites du divin Rédempteur, le prêtre s'adresse à Dieu *par Jésus-Christ, le Fils de Dieu, Notre Seigneur.* Dans l'attitude du suppliant (c'est-à-dire du condamné au supplice = *supplices*) nous demandons avec instance, *rogamus et petimus*, que Dieu daigne *agréer* et conséquemment *bénir* la matière du sacrifice, le pain et le vin, qui sont des dons *(dona)* que nous avons reçus de sa libéralité, et que nous offrons en retour *(munera)* (3), pour qu'ils deviennent par la transsubstantiation — grâce à la bénédiction divine — le vrai, *saint et immaculé sacrifice* de la Nouvelle Loi, qui deviendra à son tour — par l'effet de la même bénédiction demandée —

---

(1) Nous disons le Canon *actuel.* Car il n'est pas douteux que primitivement le canon débutât par la préface. Voir par exemple le Sacramentaire Gélasien (éd. Wilson, p. 234); S. Cyprien, *De domin. oratione,* c. 31; S. Augustin, *Epist.* 59, *ad Paulin.*

(2) Toutes les prières du canon remontent à une époque où l'usage de l'offrande faite par les fidèles était en pleine vogue; et il est probable que les expressions « quæ tibi offerimus » « pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt » etc., ont spécialement en vue les assistants, c'est-à-dire ceux qui ont participé à l'offrande.

(3) L'idée que le pain et le vin offerts à la messe sont des dons de Dieu qui par le sacrifice font retour à leur auteur se rencontre dans beaucoup de liturgies. Nous la retrouvons plus loin dans le canon romain: « offerimus... *de tuis donis ac datis* Hostiam... » ainsi que dans un certain nombre de secrètes surtout anciennes. Voir p. ex. le Sacramentaire Léonien (éd. Feltoe) p. 8 (XVIII); p. 10 (XXIII); p. 17 (XXXIII); p. 28 (XII) XVIII, XXIII, XXXVIII.

une source d'abondantes grâces pour tous ceux pour qui *nous offrons* ce sacrifice.

Ce que nous demandons, dans cette première prière, c'est le fruit général du sacrifice. Car nous l'offrons en tout premier lieu pour l'Église *de Dieu*, *sainte* et *catholique* « répandue par tout l'univers » comme disent beaucoup de textes des premiers siècles (1), afin d'obtenir pour elle : *la paix* en vue du tranquille accomplissement de sa mission divine ; l'*union* entre tous ses enfants fidèles et le retour des frères séparés, de façon qu'il n'y ait plus « qu'un seul troupeau et qu'un seul pasteur » ; la *conservation,* par la protection contre les attaques des ennemis ; et enfin la *direction* donnée par l'Esprit Saint pour conduire efficacement tous les membres de l'Église à leur destination suprême. Et comme l'Église du Christ est une société hiérarchique, nous mentionnons spécialement dans l'offrande du sacrifice et l'impétration des grâces, d'abord le monarque et le centre de l'Église universelle, le premier des *serviteurs* de Dieu, notre saint *Père le Pape* N., ainsi que *notre Évêque*, le chef et le centre de cette partie organique de l'Église qu'est le diocèse, et enfin tous les membres de l'Église, c'est-à-dire tous les *orthodoxes, tous ceux qui professent la* vraie *foi catholique et apostolique.*

Comme elle est belle cette prière, dans sa grandiose simplicité ; comme elle est vraiment « catholique » et nous élève immédiatement au-dessus des préoccupations trop souvent individualistes de nos prières personnelles non liturgiques. Puissions-nous en être bien pénétrés !

La prière *Te igitur* occupait déjà sa place actuelle avant S. Grégoire. Il semble néanmoins que ce ne soit pas sa place primitive. La particule *igitur* doit la rattacher intimement à

---

(1) Voir p. ex. S. Optat., *contra Parmenianum* II, 12 ; S. Augustin *Epp.* 49, 2 ; 52, 1 ; 87, 1 ; 142, 2 ; *Sermo* 25, 7 ; *Enarratio in Psalm.* 26, 13. Comp. « regere digneris *toto orbe terrarum* ».

une formule précédente : or la liaison avec le *Sanctus* ou le *Benedictus* n'est ni intime, ni même facile à découvrir.

D'autre part, d'après les plus anciennes attestations, le canon primitif doit avoir été une prière *d'action de grâces,* une Εὐχαριστία continue, qui débutait certainement par notre préface actuelle. On suppose que le *Sanctus* (qui peut-être n'est pas primitif) se rattachait directement, par une formule de transition (dans le genre du *Vere Sanctus* ou *Vere Benedictus* des liturgies gallicane et mozarabe), au *Qui pridie.* Plus tard l'unité primitive se serait disloquée et on aurait inséré des prières d'invocation ou *d'intercession :* telles le *Te igitur,* les *Memento* etc. Le *Te igitur* aurait été primitivement, d'après les uns, une prière d'offrande, se rattachant aux *preces fidelium* (1) ; d'après d'autres, une sorte d'épiclèse de rechange qui à certaines messes aurait suivi immédiatement le récit de l'institution (2).

II. Les **cérémonies** prescrites par les rubriques ne font que mieux ressortir la profonde signification de cette prière.

Après la récitation du *Sanctus*, « le prêtre debout devant le milieu de l'autel et tourné vers lui, étend les mains tout en les élevant un peu, tandis qu'il lève les yeux vers Dieu [le crucifix] et les abaisse sans retard et dévotement, et [continuant à décrire un cercle avec les mains] (3) il rejoint celles-ci et les pose sur le [bord de] l'autel, puis [le corps] profondément incliné, il commence [alors seulement] le canon, disant secrètement *Te igitur* etc. En disant : *uti accepta habeas, et benedicas* etc. il baise d'abord l'autel au milieu [en plaçant les mains de chaque côté du corporal], puis se redresse et joint les mains devant la poitrine [comme il le fait avant toute

---

(1) Voir supra p. 86.

(2) Sur ces hypothèses intéressantes voir le *Diction. d'archéol. et de Liturgie* v° *Canon* (D. F. Cabrol) t. II, col. 1847-1905 ; A. Fortescue, *The mass,* chap. III, et surtout l'étude très fouillée et très suggestive de Dom P. Cagin, *L'Eucharistie, canon primitif de la messe,* 1912.

(3) Voir à ce sujet *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 213 ss.

bénédiction]. En disant *hæc † dona*, *hæc † munera*, *hæc sancta † sacrificia*, il fait de la main droite [la gauche reposant sur l'autel à côté du corporal] trois signes de croix, à la fois sur l'hostie et le calice (1). » (*Ritus celebrandi*, VIII, 1).

Le célébrant va commencer la grande prière consécratoire (2). En présence de l'insondable mystère que, ministre indigne, il va accomplir, il sent, mieux que jamais, sa misère et son néant. Il sait qu'il n'a de secours à attendre que de Dieu seul : dans une ardente supplication il *élève* vers le Très-Haut les mains et les yeux en même temps que le cœur, pour s'*abaisser* immédiatement dans une attitude humiliée et suppliante (3). Puis, confiant dans une prière qu'il sait appuyée par l'intercession de l'Homme-Dieu, il se redresse comme il convient au sacrificateur et appelle sur le pain et le vin, par les mérites de la *croix*, la *bénédiction* que dans un *baiser*, plein de respect et d'amour, il a demandée à Jésus-Christ représenté par l'autel (4).

---

(1) Sur la signification et la manière de faire ces signes de croix, voir *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 626-628.

(2) Le canon, durant lequel va se renouveler le sacrifice de la croix, commence par la lettre **T** (*Te igitur*). C'est l'ancienne forme de la croix. La piété des enlumineurs a commencé par attacher à ce Tau l'image du Christ crucifié. En se développant, cette représentation primitive est devenue peu à peu le tableau complet et indépendant de la scène du Calvaire, que nous trouvons encore aujourd'hui sur la page qui précède immédiatement le commencement du Canon. Au moyen âge le prêtre avait l'habitude de baiser cette croix avant de commencer le *Te igitur*. Dans certains missels on avait même, au dire de Durand (*Rationale*, XXV, 10), ajouté la représentation de Dieu le Père en majesté, c'est-à-dire assis sur le trône céleste, comme l'avait vu Isaïe dans la vision à laquelle est emprunté le *Sanctus, Sanctus* etc. qui vient d'être récité. Certains prêtres baisaient l'une et l'autre image (DURAND, *ibid.*). Le baiser de l'autel, inconnu dans la liturgie des Chartreux, des Carmes, des Dominicains, mentionné pour la première fois au XIIIe siècle par Sicard de Crémone (*Mitrale*, III, 6) ne proviendrait-il pas de ce baiser du livre?

(3) Les *Ordines Romani*, Is, n. 16 et IIs, n. 10, nous montrent que le clergé assistant le Pape gardait cette attitude (permanent inclinati) jusque vers la fin du canon.

(4) Comparez le baiser de l'autel aux mots « ex hac altaris participatione ». cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 513.

En prononçant le nom du Pape régnant, on fait une légère inclination de tête vers le livre (1). Si le siège pontifical est vacant, la mention et le nom du Pape sont omis. Aux mots *Et Antistite nostro* N., on prononce le prénom du « Patriarche, archevêque ou évêque ordinaire dans son propre diocèse (2) — à l'exclusion de tout autre supérieur, — même si le prêtre célébrant est tout à fait exempt ou sous la juridiction d'un autre évêque » (3). Un prêtre qui est à l'étranger doit donc nommer l'évêque du diocèse dans lequel il célèbre, et omettre le nom de l'évêque du diocèse auquel il appartient. Mais pour qu'il puisse être nommé dans le canon (4), le supérieur ecclésiastique doit être à la fois *Evêque*, c'est-à-dire avoir reçu la consécration épiscopale, et *Ordinaire du diocèse*, c'est-à-dire avoir la juridiction épiscopale ordinaire sur le diocèse dans lequel on célèbre. On omettra donc les mots: *Et antistite nostro* N. dans le diocèse où le siège épiscopal est vacant (5), ou occupé par un Ordinaire qui a pris possession mais n'a pas encore été consacré; dans le diocèse ou territoire de mission à la tête duquel se trouve un chef hiérarchique qui, tout en ayant reçu la consécration épiscopale, n'administre pas le territoire comme évêque propre ou diocésain mais seulement comme Vicaire, Préfet ou Administrateur apostolique ou comme Vicaire capitulaire (6).

C. CALLEWAERT.

---

(1) Décr. S. Congr. des Rites. n. 2915, 5. Voir *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 215.

(2) Décr. S. C. R., nn. 924, 6; 1827, 1; 1333, 9.

(3) *Ritus celebrandi*, t. VIII, n. 2.

(4) La même règle doit être appliquée en ce qui concerne la prière pour l'évêque insérée dans les Preces feriales de l'office. Mais ici le clerc astreint à l'office doit nommer « son » évêque, c'est-à-dire l'évêque du diocèse auquel il appartient, même s'il est à l'étranger, au moins tant qu'il suit le calendrier de « son » diocèse. Voir notre étude *La réforme du Bréviaire*, Bruges, 1912, p. 23, note 3.

(5) *Ritus celebrandi*, VIII, n. 2.

(6) Décr. S. C. Rites, nn. 2274, 5; 3047, 4; 22 mars 1912, ad 4 (cf. *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 346, note 3).

LA DURÉE ET LE CARACTÈRE DU CARÊME ANCIEN DANS L'ÉGLISE LATINE

(Voir *Collat. Brug.*, pp. 90 ss.; 311 ss.).

—

B. Les historiens du carême se sont peu occupés de l'usage primitif de l'Église d'**Espagne**. Voici la simple note que M. Vacandard y consacrait assez récemment : « Pour l'Espagne du IVe siècle, nous avons le témoignage de Priscillien qui parle d'un jeûne de quarante jours en souvenir du jeûne du Sauveur au désert. Il s'agit sans doute d'un chiffre rond qui pouvait se réduire à trente-six jours. En tout cas, au VIIe siècle, on ne jeûnait que trente-six jours » (1). Il n'est pas impossible, croyons-nous, d'arriver à des résultats plus précis et plus exacts.

Les *Tractatus Origenes*, découverts et publiés par Mgr Batiffol (2), sont en réalité des homélies prêchées par Grégoire, qui fut évêque d'Elvire, en Espagne, durant la dernière moitié du IVe siècle. Or, si nous n'y rencontrons aucune mention d'un jeûne quadragésimal quelconque, nous y voyons toutefois le prédicateur consacrer tout le *Tractatus IX* (pp. 96-104), c'est-à-dire toute une homélie sur le chap. XII de l'Exode, à exposer le « *Paschæ sacramentum quod nunc in dominici corporis passione celebratur* » (3). Après avoir appliqué par

(1) Art. *Carême* dans *Diction. d'arch. et de liturgie*, II2, col. 2143, note 7.

(2) *Tractatus Origenis de libris SS. Scripturarum*, Paris, Picard, 1900.

(3) A noter que Grégoire répète à deux reprises (pp. 99 et 103) « *pascha* ex passione nomen accepisse ». Voir p. 96.

interprétation toutes les prescriptions rituelles concernant l'agneau pascal à diverses circonstances de la passion du Christ (1), il termine par une péroraison qui nous montre dans la fête annuelle du *Pascha Domini* la célébration de la rédemption du monde par la mort du Sauveur, couronnée par Sa glorieuse résurrection (2). C'est exactement le « triduum sacré » de S. Augustin. Tout comme l'évêque d'Hippone, le prédicateur d'Elvire considère ce triduum « pascal » comme une seule solennité, où la commémoration de la passion et de la mort du Christ l'emporte de loin sur la célébration de la résurrection.

Une nouvelle preuve de cette manière de voir nous est fournie par l'intéressant Tractatus « *Arca Noe* », que Dom A. Wilmart a publié en l'attribuant à Grégoire d'Elvire, et qui doit dater d'avant 360-362 (3). Bien qu'il ne soit pas douteux que la fête de Pentecôte se célébrât le cinquantième jour à compter depuis la résurrection, l'auteur compte la « cinquantaine » depuis la passion du Sauveur: « Pentecosten, id est quinquagesima die *post passionem dominicæ crucis* » (4).

Telle était la grande solennité à laquelle la « quadragesima » devait servir de préparation. Et celle-ci nous apparaît comme une institution solidement établie, au dernier quart du quatrième siècle, au moment des luttes

---

(1) Comparez encore *Tractatus XII*, p. 136.

(2) « Qua de re, dilectissimi fratres, hoc pascha Domini... consecratum per Xpisti sanguinem, ordinatum ad futuram resurrectionem, quis non cum omni religione et votivo pavore suscipiat, quippe cum scriptura dicat Pascha Domini est, hoc est passio Domini. Qua passione redemptus est mundus, prostratus est diabolus, clarificatus est Xpisti triumphus. Hoc est, inquam, venerabile ac salutiferum sacramentum paschæ, quod sol justitiæ Xpistus mortis quidem legem occidit, sed novum nobis diem solis æstu clariorem resurgendo monstravit... Hoc ergo tanti muneris sacramentum qui legitima obervatione celebrat, consors est apostolorum... » *Ouvr. cité*, p. 103-104.

(3) *Arca Noe* dans *Revue Bénédictine*, t. XXVI, 1909, pp. 1-12.

(4) *Ibid.*, p. 10.

Priscillianistes. Les preuves de l'observation du carême nous sont fournies par les adversaires du Priscillianisme comme par ses partisans.

D'une part, le concile de Saragosse, réuni en 380 contre les agissements des Priscillianistes, défend dans son 2e canon, de s'absenter de l'église « de quadragesimarum diebus » et de tenir des réunions séparées dans des « villæ alienæ ».

D'autre part, le quatrième des onze *Tractatus* priscillianistes, découverts et publiés en 1889 par M. G. Schepss (1), nous fournit des renseignements intéressants sur la durée et la pratique du carême dans le camp des Priscillianistes.

En effet le *Tractatus Paschæ*, d'abord, n'est autre chose qu'un sermon prêché par un Priscillianiste (Instantius) au commencement du carême. Dans un style entortillé et obscur, le prédicateur fait à ses ouailles des recommandations qui se rapprochent beaucoup des exhortations de S. Augustin, tout en dénotant un ascétisme moins pratique mais plus mystique. Il convient, dit-il en substance, de servir le Seigneur tous les jours. Mais Dieu a établi « le glorieux jour des *pâques* » qui « commémore la *passion* que le Seigneur a souffertе pour nous », afin de nous inculquer d'une façon spéciale la nécessité d'être tout à Lui. L'orateur croit donc devoir rappeler ceci à ses auditeurs au

(1) *Priscilliani quæ supersunt* ed. G. Schepss (*Corp. script. eccles. Latin.* Vienne, 1889). En publiant les traités, découverts par lui dans un manuscrit de Wurzbourg, M. G. Schepss en attribua la paternité à Priscillien lui-même. Cette manière de voir fut partagée par la généralité des historiens. Mais voici que, dans un plaidoyer aussi documenté que convaincu « *Pro Instantio* », Dom G. Morin vient de se prononcer, avec l'autorité que tout le monde lui reconnaît, « contre l'attribution à Priscillien des opuscules du manuscrit de Wurzbourg » (*Revue Bénédict.* avril 1913, p. 153-175). L'auteur des onze traités serait l'évêque Instantius, un des adeptes les plus autorisés de Priscillien. Il ne faudrait pas s'étonner de voir la thèse du savant Bénédictin supplanter rapidement l'opinion du professeur de Wurzbourg.

commencement du carême « inchoantibus suscipiendæ *paschæ* diebus *quadragensimarum* ». « L'observation de ces jours solennels » nous avertit que durant ce temps les bons doivent tendre à une plus grande perfection et les pécheurs se convertir, afin que « la Pâque du Seigneur arrivant » le fidèle se réjouisse d'avoir observé la loi divine, que le pécheur retrouve le salut et que le catéchumène ne perde pas la confiance d'arriver à la rémission de ses fautes. Il faut donc *purifier son âme* par la lutte contre les mauvais instincts, jeûner en renonçant à la passion du lucre, aux rixes et aux dissensions. Car si la pratique propre à ces jours recherche la renonciation aux délices et les multiples prostrations qui endurcissent le corps, le jeûne que le Seigneur exige consiste dans la pratique des bonnes œuvres. Considérez en effet que la *Pâque du Seigneur c'est l'immolation du Christ*, qui s'est humilié en prenant notre nature avec toutes ses misères, afin de nous délivrer par sa croix de tous les maux de la domination terrestre. Baptisés, nous sommes morts et avons été ensevelis avec le Christ; catéchumènes, nous désirons l'être: nous devons donc venir « *au jour de la Pâque* » en imitant la retraite de quarante jours que le Seigneur a célébrée en jeûnant au désert, « *quadragenta dierum* erimum (1) Domini in evangelio jejunantis imitati » (p. 60). Telle fut la quarantaine de jeûne de Moïse sur le Sinai; tel fut le jeûne de Josué traversant le Jourdain pour entrer dans la Terre promise; tel le jeûne ininterrompu de Jésus-Christ dans le désert: c'est en jeûnant et en résistant à la triple tentation que Jésus se prépara à la « passion » par laquelle il allait nous sauver.

Poursuivons. Le *Tractatus Exodi* (2) est une homélie

---

(1) Cette expression étrange ne serait-elle pas à rapprocher de la prohibition faite par le concile de Saragosse (can. 1 et 2) de passer le temps de préparation aux fêtes de l'Épiphanie et du Pascha loin de l'église, dans les montagnes et les villæ alienæ?

(2) Cf. Edit. Schepss, p. 69-81.

sur le chap. XII de l'Exode, chapitre qui vient d'être lu dans l'assemblée des fidèles (1). Le prédicateur y explique la signification mystique et chrétienne du « paschale mysterium » (p. 71) de l'ancienne Loi, et des prescriptions mosaïques concernant l'agneau pascal. Le « pascha Domini » c'est le Christ, c'est « l'immolation du Christ » (p. 71, l. 18), c'est « le Christ qui s'offre en montant pour nous sur le gibet » (p. 72, l. 27). Et cette Pâque du Seigneur est célébrée par les chrétiens notamment par les vigiles pascales (p. 80, l. 9).

D'après ces indications, la fête annuelle du « mysterium paschale » comportait essentiellement la célébration anniversaire de notre rédemption par la mort du Christ. Elle comprenait avant tout le Vendredi-Saint, mais s'étendait aussi au samedi, ainsi qu'à la nuit du dimanche durant laquelle le baptême était administré, et de solennelles vigiles étaient célébrées. Le jour ou la fête de Pâques désigne donc le triduum sacré dont parle S. Augustin. C'est à cette fête que l'on se préparait par un carême qui comptait exactement quarante jours, et comportait des prières, des prostrations, des prédications, un jeûne corporel et surtout spirituel, une purification plus intense de l'âme. La manière dont il est parlé du jeûne montre à l'évidence que la quarantaine ne se calculait nullement sur le nombre des jours de jeûne strict, et n'excluait donc pas les dimanches. La quadragesima par conséquent devait commencer, tout comme en Afrique, au sixième dimanche avant Pâques et se terminer la veille du Vendredi-Saint.

---

(1) Voir par exemple p. 72, l. 21 ; p. 80, l. 5 et 17. Le *Tractatus Genesis* (p. 62-68) est également l'explication d'une lecture liturgique : voir p. 67, l. 12. On peut se demander avec raison si les mots « ad fidem *legimus* » (p. 61, l. 16) du *Tractatus Paschæ,* n'indiquent pas, eux aussi, que le passage évangélique commenté là avait été lu à cette même réunion liturgique où l'orateur prenait la parole. Dans ce cas, le *Tractatus Paschæ* aurait été prêché le premier dimanche du carême. Car c'est ce dimanche que la liturgie espagnole, aussi bien que la liturgie romaine, fait lire l'évangile du jeûne et de la triple tentation du Sauveur.

Ces constatations sont confirmées par la *Peregrinatio ad loca sancta* (1) le récit de voyage d'une pèlerine espagnole — Etheria, Egeria ou Eucheria — qui fit vers la fin du IVe siècle (2), le voyage de Terre Sainte. Avant de décrire en détail les observances quadragésimales propres à l'église de Jérusalem, elle met en relief la différence de durée qui existe entre le carême espagnol et celui de la Ville Sainte: le premier est une véritable « quarantaine », l'autre au contraire s'étend sur huit semaines. « Item dies paschales, cum venerint, celebrantur sic. Nam sicut apud nos [en Espagne] *quadragesimæ* ante Pascha attenduntur: ita hic [à Jérusalem] *octo septimanæ* attenduntur ante pascha ». Ensuite la pèlerine expose longuement en quoi consiste la différence: dans le comput quadragésimal, on ne tient pas compte, *à Jérusalem,* des jours qui ne sont pas jeûnés, c'est-à-dire des dimanches et des samedis (sauf le Samedi-Saint); on arrive ainsi, en huit semaines, à un total de 41 jours qu'on appelle « eortæ [ἑορτή] id est quadragesima ». Le soin que met Eucheria à signaler ce calcul montre qu'il était quelque chose de nouveau pour elle, et qu'en Espagne la quarantaine était ininterrompue.

Une seconde différence est encore à noter: les deux derniers jours de la Semaine Sainte, à Jérusalem, font partie du carême. Cela tient à une évolution opérée dans la signification du terme « pascha », qui, en Orient, s'appliquait déjà — parfois même en première ligne — au mystère de la résurrection. Dans la *Peregrinatio*, le mot *pascha* ou *paschalis* s'entend tantôt des jours du carême préparatoire à la Pâque, (p. 84), ou de toute la Semaine Sainte (3), ou encore des vigiles pascales (pp. 85, 98),

---

(1) *S. Hilarii tractatus et S. Silviæ Aquitanæ Peregrinatio ad loca sancta,* ed. Gamurrini, Romæ, 1887, p. 84.

(2) La plus récente étude sur la date de la *Peregrinatio* est celle de Dom G. Morin dans la *Revue Bénéd.* 1913, p. 174-186.

(3) « Septimana paschale, quam hic appellant septimana major ». Ed. Gamurrini, p. 90.

et tantôt de la fête de la résurrection et des jours suivants (dies paschales, p. 99) jusqu'au jour octave (octavæ Paschæ, p. 100).

A s'en tenir à ce seul document on pourrait donc se demander si, en Espagne, c'était au Vendredi-Saint ou au Dimanche de la résurrection que la « quarantaine » servait de préparation et venait prendre fin.

Des incertitudes analogues, voire même des contradictions au moins apparentes ne sont d'ailleurs pas rares dans les documents des premiers siècles qui suivent. Car tandis que le mot *Pascha* s'éloigne de sa signification primitive pour s'attacher davantage à la célébration joyeuse de la résurrection du Sauveur, le jeûne rigoureux est inculqué et considéré de plus en plus comme la pratique caractéristique du carême ; le jeûne quadragésimal se distingue dès lors de moins en moins du jeûne primitif très sévère des deux derniers jours de la Semaine sainte. La pratique chrétienne autant que la terminologie courante tendent donc à faire considérer le carême comme une préparation à la Pâque de la résurrection plus qu'à la solennité de la passion du Sauveur ; en même temps la différence s'accentue entre les dimanches du carême et les jours de jeûne strictement dit. On ne s'étonnera donc pas de voir des pratiques, des appréciations et des locutions différentes se juxtaposer ou se superposer les unes aux autres.

On le constate parfaitement dans l'ancienne liturgie mozarabe que les précieuses publications de Dom M. Férotin nous permettent d'apprécier beaucoup mieux que par le passé. Les trente « missæ de Quadragesima » du *Liber Mozarabicus Sacramentorum* (1) sont très suggestives à ce point de vue. Une dizaine

(1) Tome VI des *Monumenta Ecclesiæ liturgica*, Paris, Firmin-Didot, 1912 ; col. 151-252.

au moins de ces messes rappellent les jeûnes de Moïse, d'Élie et de Jésus-Christ et insistent sur la nécessité d'imiter ces jeûnes qui avaient duré exactement quarante jours. On ne jeûnait pas les dimanches. La « quadragesima » était solennellement inaugurée le sixième dimanche avant Pâques, tandis que le « jeûne » commençait le lundi suivant. Le carême était une période ininterrompue de mortification, d'ascèse et de purification qui préparait les fidèles, d'après certains textes à la célébration de la « Passion » du Sauveur, d'après d'autres, à la solennité du Pascha. Ce mot désigne tantôt la commémoration de la passion, qui commençait le soir du Jeudi-Saint, tantôt la fête de la résurrection. Nous avons donc ici encore le carême ancien avec sa période ininterrompue de quarante jours précédant immédiatement le Vendredi Saint, mais avec une tendance très prononcée à englober les deux derniers jours de la Semaine Sainte (1).

La liturgie mozarabe avait quelques formules très intéressantes pour annoncer les fêtes de l'année ecclésiastique. Dom M. Férotin et Dom G. Morin nous donnent notamment trois formules pour l'annonce des « Pasce solemnia ». Or dans celle que Dom Férotin regarde à bon droit comme la plus ancienne, on détermine avec précision les jours de l' « initium Quadragesime » de la « Cena » et de la « Passio », mais pas celui de la résurrection (2). Dans les deux formules plus récentes, le jour de la « Resurrectio » est annoncé à la suite des autres dates (3); signe manifeste, semble-t-il, d'une évolution dans la terminologie et la liturgie.

Dans le traité *De Pascha* (Migne P. L., t. 72, col. 49-52) de S. Martin de Braga († 580), on peut constater

---

(1) Nous fournirons ailleurs les preuves de ces assertions concernant l'ancienne liturgie mozarabe.

(2) Dom M. Ferotin, *Le liber Ordinum* (Monumenta Ecclesiæ liturgica, t. V) col. 527-528, Paris, 1904.

(3) Dom G. Morin, *Le liber Comicus*, p. 409 et 424.

que la « Pâque » est au moins autant la commémoraison de la passion que de la résurrection. Au siècle suivant, S. Isidore de Séville, au chap. LXXXVII *De ecclesiasticis dogmatibus*, entend la fête de Pâques de la « solennité de la résurrection du Seigneur ». Et cependant, chose curieuse, lorsqu'il veut expliquer plus longuement le caractère du « saint jour de Pâques » dans son ouvrage *De ecclesiasticis officiis*, ch. XXXII, il se contente de grouper une série de textes empruntés à la lettre 55e *ad Januarium*, dans laquelle S. Augustin explique le « sacramentum Paschæ » d'après la signification primitive. Les extraits parlent d'ailleurs des trois jours de la mort, de la sépulture et de la résurrection du Christ.

(A suivre).

C. Callewaert.

DE JUBILÆO ANNI 1903 (1).

III. Privilegia.

Duplex conceditur intuitu Jubilæi lucrandi privilegium: *primum* consistens in facultate fidelibus facta sibi eligendi, servatis servandis, confessarium; *alterum* huc spectans quod confessariis, ad effectum lucrandi jubilæum electis, variæ conceduntur facultates quibus nonnulla impedimenta, fideles a pleniori consecutione indulgentiæ jubilaris retardantia, e medio tollere valeant (2).

§ 1. Facultas eligendi confessarium.

A. **Moniales** possunt confessionem instituere, in ordine ad lucrandum Jubilæum, apud *quemlibet* confessarium, modò approbatus sit *specialiter pro monialibus*.

Intelliguntur autem, uti eruitur ex tenore Bullæ et ex responso S. Pœnitentiariæ, 3 Apr. 1904, ad 7^{m}, non tantùm moniales stricte dictæ, sed etiam religiosæ vota dumtaxat simplicia professæ, quæ in communitate vivunt ac habent confessarium ordinarium, confessarium scil. « ab Ordinario designatum qui ad eas accedit ut earum confessiones unus excipiat » (3).

Pro monialibus igitur et aliis religiosis mulieribus in communitate viventibus requiritur, in confessario jubilari, specialis approbatio pro monialibus (4). Hanc

---

(1) Cf. suprà, p. 401 ss.

(2) Pro ampliori intellectu hujus brevis compendii remittimus ad *Collat. Brug.*, t. VI, p. 197 ss., 271 ss., 324 ss., et t. IX, p. 544 ss.

(3) Textum responsi S. Pœnit. exhibet *R. th. fr.*, 1904, p. 288 ss. Notetur autem illud responsum afficere jubilæum anni 1904, pro quo iidem ac in præsenti Bulla termini usurpantur.

(4) In Jubilæo extensionis anni 1901, hæc specialis approbatio requirebatur tantum in confessario electo *a monialibus stricte dictis*. Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 197 s.

autem sic intellige ut respectu cujuscumque religiosæ idoneus existat qualiscumque monialium confessarius; et sic posset monialis stricte dicta eligere confessarium monialium cum votis simplicibus (1), et posset monialis claustrata eligere confessarium religiosarum non claustralium.

B. « **Reliquis christifidelibus** utriusque sexus, tum laicis, tum ecclesiasticis sæcularibus vel regularibus, cujusvis Ordinis et instituti, etiam specialiter nominandi », licentia datur « ut sibi ad hunc effectum (in ordine scil. ad lucrandum jubilæum) eligere possint *quemlibet* presbyterum confessarium sæcularem seu regularem ex *actu approbatis* »: quatenus nimirum tam regulares quam sæculares adire possint quemcumque confessarium *ab Ordinario loci* approbatum (2), relicta de cætero facultate regularibus, confessarium proprii Ordinis eligere volentibus, adeundi, etiam in ordine ad lucrandum Jubilæum, « confessarium *a Prælato regulari* ad suorum religiosorum audiendas confessiones approbatum » (3).

Nulla hic peculiaris approbatio requiritur, puta specialiter concessa pro jubilæo; sufficit approbatio communis et solita. Supponitur autem confessarius adiri in territorio jurisdictionis suæ, et, si a muliere eligatur, supponitur approbatus pro utroque sexu; supponitur etiam non eligi confessarium in peccato turpi complicem, respectu cujus in vigore manet disciplina Benedictina, uti monetur in ipso tenore Bullæ.

Notetur quod, ad tramites responsi S. Pœnitentiariæ, 5 Junii 1901, ad 3^{m}, « libera electio confessarii, quæ ad

---

(1) Aliter *Irish eccles. Record*, 1913, p. 633.

(2) Quæ dicta sunt de necessitate approbationis Episcopi loci intelligenda sunt ad normam principiorum generalium, juxta quæ illi qui gaudent jurisdictione *ordinaria*, illa approbatione non egent, ac valent in confessarios, etiam in ordine ad lucrandum jubilæum, eligi a respective subditis, ubicumque ipsos versari contingit.

(3) Cf. Bullam *Temporis quidem*, apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 108, coll. p. 200, et responso S. Pœnit. 30 Jan. 1886, ad 11^{m}, apud *N. R. th.*, XVIII, p. 89 ss.

effectum Jubilæi... conceditur regularibus et monialibus, potest ab his... exerceri *pluries*, donec perfecerint opera ad Jubilæum requisita » (1).

§ 2. Facultates Confessariorum.

Confessarii in ordine ad lucrandum jubilæum electi, gaudent 1° facultate absolvendi a censuris et casibus reservatis ; 2° commutandi vota, et 3° dispensandi super irregularitate, salvis restrictionibus et cautelis mox describendis.

A. *De Facultate* **absolvendi a reservatis.**

Absolvere possunt præfati confessarii 1° a *censuris* a jure, sive communi sive particulari, *reservatis* Ordinario aut S. Pontifici, sive simpliciter sive specialiter ; et 2° a *casibus ratione sui reservatis*, sive episcopalibus sive, in quantum dentur, pontificiis.

Exceptio fit a/ pro censura adnexa absolutioni complicis, necnon pro casu falsæ denuntiationis confessarii, quæ noscuntur specialissime reservari S. Sedi, ad tramites Constitutionis *Sacramentum Pœnitentiæ*, cui expresse declaratur non derogari (2).

Exceptio fit b/ quoad illos qui ab « Apostolica Sede vel aliquo Prælato seu Judice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint », quatenus absolvi nequeant « nisi infra prædictum tempus satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint » (3).

Indulgetur tamen in præsenti Bulla jubilari, secus ac in Bullis anni 1901 et 1904, « quodsi infra præfinitum

---

(1) *Collat. Brug.*, t. VI, p. 479 ss.; idem docet S. Pœnitentiaria in suprà relato responso 3 Apr. 1904, ad 8m.

(2) Manet etiam in pleno vigore obligatio, ibidem statuta et sancita, denuntiandi confessarios sollicitantes, nec ab ea absolvere potest confessarius jubilaris.

(3) Hanc clausulam fusè explicatam invenies apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 273 ss.

terminum, judicio confessarii, satisfacere non potuerint, absolvi » possint « in foro conscientiæ ad effectum dumtaxat assequendi indulgentias Jubilæi, injuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterunt »; ubi nota absolutionem non esse nisi *ad effectum* tantùm, adeo ut non auferatur censura, cui obnoxius manet sic absolutus, sed unicè removeatur effectus censuræ, licita scil. reddita Sacramenti Pœnitentiæ susceptione, ne impediatur jubilaris indulgentiæ consecutio.

Cautelæ servandæ sunt consuetæ: circa *pœnitentiæ* injunctionem, pœnitentiæ scil. juridicæ, ratione absolutionis a censuris, et sacramentalis, ratione sacramentalis absolutionis a peccatis; et circa reliqua *de jure injungenda,* in specie quatenus exigenda sit scandalorum reparatio vel reparationis promissio, separatio a sectis vetitis, si in eis partes habuerit pœnitens, aut separationis instituendæ promissio, vel quatenus, si de hæresi agatur, abjurentur prius et retractentur errores (1).

B. *De Facultate* **commutandi vota.**

Possunt confessarii jubilares *vota quæcumque,* etiam jurata et Sedi Apostolicæ reservata, in alia pia opera *commutare*, i. e. aliud opus moraliter æquale substituendo in locum operis a vovente promissi, æqualitate scil. in commutatione servata, non quidem mathematica, sed morali (2).

Excipiuntur: a/ *votum castitatis,* etiam simplex et privatum, modò sit S. Sedi reservatum, modò scilicet certum sit ac perfectum, tam ex parte materiæ quam ex parte actus vovendi, juxta notiones datas apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 328 s., vel emissum, esto ad tempus, in congregatione a S. Sede approbata (VERMEERSCH, *De Religiosis*, II, n. 140); b/ *votum religionis*, i. e. votum ingrediendi religionem stricte dictam, cum votis solemnibus, ita ut in concessione non excipiatur votum

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 276 ss.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 327, coll. p. 333 s.

ingrediendi congregationem votorum simplicium, sicut nec votum incertum aut quomodocumque non perfectum; c/ *vota obligationis* « quæ a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agitur de præjudicio tertii » (1); d/ *vota pœnalia,* « quæ præservativa a peccato nuncupantur », quæ nimirum non sunt facta unice in vindictam et punitionem peccati sed in præservationem ab illo, quale est votum illius qui vovet jejunium si peccatum luxuriæ admiserit, eo fine ut efficacius a peccando removeatur : hæc nempe vota pœnalia non possunt commutari, « nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrænet quam prior voti materia ».

C. *De Facultate* **dispensandi super irregularitate.** Juxta tenorem præsentis Bullæ, dispensare potest confessarius cum pœnitentibus « in sacris Ordinibus constitutis, etiam regularibus, super *occulta irregularitate* ad exercitium eorumdem Ordinum et ad superiorum assecutionem dumtaxat contracta » ; denegata facultate, etiam pro solo foro conscientiæ, dispensandi « super alia quavis irregularitate, sive ex delicto sive ex defectu, sive publica vel occulta aut nota, aliave incapacitate aut inhabilitate quoquo modo contracta ».

Hisce autem censetur concedi facultas dispensandi super *sola* irregularitate (occulta) quæ contracta sit *ob violationem censurarum.* Hujus nimirum restrictionis mentio, attento textu et contextu, videtur subaudienda et supplenda, quia, si ly *dumtaxat* non afficit dictam restrictionem supplendam, quo spectet non intelligitur; cæterum in Bulla jubilari anni 1904, ubi aliàs identicus usurpatur tenor, inseritur dicta restrictio (2), adeo ut meritò suspicentur nonnulli (3) incisum illud *ob censu-*

---

(1) *Ibidem,* p. 330 s.

(2) *Collat. Brug.,* t. IX, p. 150. Cf. etiam Bullam jubilarem anni 1901 (*Collat. Brug.,* t VI, p. 109 s.), in qua, ferè identico usurpato tenore, pariter inseritur ejusdem restrictionis explicita mentio.

(3) Cf. *Irish ecclesiastical Record,* 1913, p. 636.

rarum violationem (immediatè ante vocem *dumtaxat*), ex incuria amanuensis vel typographi excidisse.

Porro irregularitas *ob violationem censurarum* incurritur a clerico qui, censura ligatus, scienter et temerè exercet actum proprium Ordinis sibi prohibitum, aut a sacerdote celebrante in loco interdicto (1).

Dispensatione, vi præsentium elargita, habiles redduntur pœnitentes non tantùm ad legitimum exercitium ordinum susceptorum, sed etiam ad superiorum ordinum assecutionem.

Notanda circa exercitium facultatum.

1° *Eo ipso* quod sacerdos debitis in conditionibus in confessarium eligitur, *ipso facto,* ex directa S. Sedis concessione, constituitur pro illo pœnitente confessarius jubilaris et descriptis Jubilæi facultatibus potitur respectu pœnitentis a quo eligitur.

2° Ad hoc ut per dictam electionem ipsi obveniant illa privilegia, oportet, quemadmodum ex suprà dictis abunde liquet, ut a pœnitente eligatur *in ordine ad lucrandum jubilæum,* ab habente scil. animum serium et sincerum indulgentiam consequendi et opera ad id præscripta adimplendi, et cum illo animo ad confessionem accedente. Attamen nota etiam hic applicandum esse principium in Bulla jubilari anni 1901 inculcatum, quatenus, « si qui post obtentas absolutiones a censuris, aut votorum commutationes seu dispensationes prædictas, serium illud ac sincerum ad id aliàs requisitum propositum ejusdem Jubilæi lucrandi, ac cætera necessaria opera adimplendi *mutaverint;*..... nihilominus hujusmodi absolutiones, commutationes et dispensationes cum prædicta animi dispositione obtentæ, in suo vigore » persistant.

3° Potest confessarius facultatibus uti *pluries* cum eodem pœnitente, jubilæum lucrari intendente, quous-

(1) Explicationem videsis apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 324 s., et ll. cc.

que illud, inabsolutis operibus præscriptis, nondum est lucratus. Quod authentice declaravit S. Pœnitentiaria, in responso suprà citato 3 Aprilis 1904, ad 8m.

Alia est quæstio utrum, in hypothesi de qua suprà, p. 402, quod valeat pluries lucrifieri jubilæum, pœnitens, semel jam jubilæum lucratus et hac occasione favoribus fruitus, iisdem privilegiis frui possit iterata vice, in confessione instituta in ordine ad alteram vel tertiam indulgentiæ jubilaris consecutionem : cui quæstioni respondendum videtur negando, attentis olim disputatis apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 204 ss., necnon documentis allatis apud *N. R. th.*, XVIII, p. 30 s.; et hæc est quæstio quæ tangitur suprà p. 402, sub a, quando dicitur privilegia non posse pœnitentibus nisi semel, i. e. *prima vice*, in ordine scil. ad primam jubilæi consecutionem.

4° Confessarius nequit a reservatis absolvere, vota commutare vel in irregularitate dispensa e nisi *in actu sacramentalis confessionis tantùm*, et non aliter, i. e. in confessione instituta in ordine ad suscipiendam sacramentalem absolutionem (1).

Eo ipso non suffragatur absolutio censuræ vel irregularitatis dispensatio nisi *in solo foro conscientiæ :* quod non impedit tamen quominus absolvantur, exceptis excipiendis, censuræ publicè notæ.

5° *Censura* et *reservatio* adnexa peccatis *bona fide omissis* in confessione, in ordine ad jubilæum lucrandum instituta eaque valida, aufertur per absolutionem, adeo

---

1 Non requiritur tamen quod ipsa absolutio sacramentalis sequatur nisi pro ipsa remissione peccati : adeo ut, dilata absolutione sacramentali vel negata, possint censuræ auferri, vota commutari et dispensari irregularitas, ac etiam auferri valeat reservatio a peccato ratione sui reservato.

Notetur etiam ablatas censeri censuras, ablatam reservationem peccati, commutata vota et dispensatam irregularitatem, quando impertita quidem fuit absolutio sacramentalis, sed *nulliter*, ob vitium substantiale in confessione *bona fide* admissum, puta ob defectum involuntarium attritionis. Non ita si confessio esset *sacrilega*. Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 280.

ut peccata omissa jam a communi confessario absolvi valeant.

Non valet idem pro *commutatione votorum:* si nempe pœnitens, in confessione ad effectum lucrandi jubilæum instituta, neglexit commutationem postulare in votis emissis, non ideo cadunt hujusmodi vota sub potestate communis confessarii a quo commutari possint.

6° Quod spectat *formulas* in exercendis facultatibus adhibendas, cf. elenchum formularum adnexum fasciculo mensis Aug.-Sept. *Collat. Brug.*, anni 1901.

A. De Smet.

S. Congregatio Indicis

Decretum quo quædam prohibentur opera (1).

Decreto 5 maii 1913 in Indicem relata sunt quæ sequuntur opera:

Annales de Philosophie Chrétienne *(fondées par A. Bonnetty), Secrétaire de Rédaction L. Laberthonnière, Paris, 1905-1913.*

Henri Brémond, *Sainte Chantal* (1572-1641). *Collection « Les Saints », Paris, 1912.*

Ce qu'on a fait de l'Église. *Étude d'histoire religieuse, avec une supplique à S. S. le Pape Pie X, Paris.*

(1) *Acta Apost. Sedis,* 1913, t. V, p. 216.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

Manuale precum in usum theologorum. Editio tertia. Friburgi Brisgoviæ, Herder, 1912. In-18, XVI-512 p. Pretium: linteo religat. Fr. 5,25; corio relig. Fr. 7,90.

Libellus precum numeris multis commendandus clericis et sacerdotibus. Non solum enim typographicis arte ac nitore, necnon usus practici commoditate inter consimiles multos eminet, sed et materiarum delectu. Exhibet namque orationes quotidianas, preces ad missam, communionem et confessionem, meditationes plurimas, necnon hymnos et preces pro festivitatibus anni ecclesiastici, ex fontibus liturgicis aut omnino commendandis depromptos, cum appendice de ordinibus conferendis.

C. CALLEWAERT.

J. Mahieu. *De Jubelaflaat van 1913.*

Z. E. H. Kan. Mahieu heeft ter gelegenheid van den jubilé van dit jaar zijn werkje eerst in 1904 verschenen opnieuw uitgegeven. Het bevat in 't kort de leering over de aflaten, in 't bijzonder over den jubelaflaat, en de voorwaarden en voorrechten van den huidigen jubilé: daarop volgt een aanhangsel over christelijk leven. Dit grondig en bondig boekje is zeer geschikt om onder ons christen volk eene klaardere kennis te brengen van dit kostbaar deelnemen in de geestelijke schatten der H. Kerk, en tevens eene meerdere achting ervoor en eene grootere zorg, vooral om eenen buitengewonen aflaat, zooals den jubilé, te verdienen. Het werkje wordt verkocht door en ten voordeele van Sint-Amanduswerk in 't Groot Seminarie van Brugge. Fr. 4 voor 25 exempl., fr. 10 voor 100, fr. 21 voor 250.

J. Frassinetti. *Het gastmaal der goddelijke liefde.* Uit het italiaansch vertaald door FR. RAYNERIUS SNEL, O. F. M. Brussel, Boekhandel van het Allerh. Sacrament, Waversche Steenweg, 205. Fr. 1 per ex.; fr. 9 per 12; 60 per 100.

Frassinetti is bij vele priesters geen onbekende: Zij kennen hem als een moedigen voorstaander der dagelijksche Communie die veertig jaren voor het decreet van 1905 dezelfde heilzame leer in vele schriften verdedigde. De vlaamsche vertaling van dit werkje zal hun dus welkom zijn: zij zullen er voor hen zelven en voor hunne geloovigen een gezond voedsel vinden en eene krachtige aansporing tot het dikwijls en vruchtbaar gebruiken der H. Eucharistie (1).

A. LEGRAND.

(1) De volgorde in de verdeeling kon meer logisch zijn. Zie b. v. hoofdstuk II, De Weldaden... uit het Gastmaal... Logisch zou de hoofdverdeeling moeten bestaan uit de vier aangehaalde uitwerkselen die dan naar beliefte kunnen onderverdeeld zijn. — Onder de noodige gesteltenissen, bl. 80 en vv. mocht wel een woordje bijgevoegd over de oprechte meening.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Augusti-Septembris.

—

I

Paucis expone sensum generalem psalmi II: *Quare fremuerunt Gentes...*, eumque transscribe per strophas, versus et membra parallela, juxta sensum et textum originalem.

II

Quid in apologetica vocatur methodus immanentiæ?

III

Indicatis variis restrictionibus quibus limitatur perfectum jus dominii, ostende qua ratione *perfectum* nihilominus vocetur et sit.

IV

Ex dictis sequentem casum resolve: Titius minorennis, nixus jure perfecti dominii quod habet in bona sua, primo quidem tutorem suum pluries impedivit ab exercitio legalis tutelæ seu administrationis illorum bonorum; deinde vero, sui juris factus, domum suam combussit; postea leviter se exposuit gravi criminis suspicioni, unde propria familiæque fama passa est naufragium; et tandem omnes inutiliter consumpsit facultates, ita solvendis debitis se imparem reddendo. — Utrum et quare limites prætergressus est dominii sui?

V

Ostende ex S. Thomæ *Summa theologica* I, qu. 44, a. 4, Deum esse causam finalem hominis.

VI

De *quibusnam Sanctis* celebrari possunt missæ votivæ et *quænam Sanctorum missæ* pro votivis sumendæ sunt?

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques*, 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia*, in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium : 8 fr.; pro clero Belgico : 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix : 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi*, Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

C. Callewaert. *La réforme du Bréviaire, son esprit, ses prescriptions nouvelles.* — Documents et commentaire. (Extrait revisé des *Collationes Brugenses*, 1912). — Bruges, Beyaert; Ad. Maertens-Matthys. — In-8, 64 p. Prix : 0,50 frs.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii.* Brugis, Beyaert. In-8, LXXXIV-376 pp. Fr. 6.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVIII, pag. 430).

—

IV

De dono scientiæ.

Notionem doni scientiæ sic exponit Albertus M. (1): « Scientia est lumen divinum ad operabilia pertinentia ad hanc vitam [ad quæ tenentur omnes (2)] et ideo dicit in littera (Magister Sententiarum) quod docet bene conversari in medio pravæ et perversæ nationis. » Sic autem, ut dixit supra (3), non manet in patria, sed ibi ejus actus est « potius rationem justitiæ in actu rationis omnium operabilium intueri. »

Rursum: « Scientia donum, *ait* (4), est lumen acceptum a Deo simplex, in quo videntur rationes operabilium

(1) In III *Sent.*, *dist.* 35, art. 3, *solutio*.

(2) Uti dixit supra, *dist.* 34, a. 2, ad q. 2 in fine; ubi advertit: secundum ea quæ non omnes obligant, id efficere donum consilii. Et hoc discrimen utriusque doni, scientiæ et consilii, rursus indicat, ead. *dist.* 34, a. 3, *sol.* in fine.

(3) *Dist.* 34, art. 5.

(4) *Dist.* 35, art. 4, *sol.*

pertinentium ad vitam... lumen, sicut fides ad credibilia, simplex similitudo divinæ veritatis et justitiæ, sub quo videntur rationes divinæ operabilium per nos, quæ pertinent ad modum vivendi sancte et meritorie. » Et sic distinguit donum scientiæ a dono sapientiæ, quæ non est de operabilibus; et a prudentia quæ non innititur lumine divino ad conversandum secundum rationes divinas, sed lumine rationis secundum rationes honestatis humanæ. Sunt quidem prudentia et scientia de iisdem, sed non ratione una.

Hæc non ita intellige ac si prudentia infusa non innitatur ratione fide illuminata, sed quod in prudentia infusa ratio non sit illuminata speciali lumine divino doni scientiæ et, illustrata licet lumine fidei, tamen non dirigat secundum principia superiora fidei, excedentia rationem naturalem, sed secundum rationes honestatis naturalis, quæ quidem, illustrante fide, certius et perfectius supernaturaliter applicat.

Tandem addit: « Unus est solus actus substantialis (doni scientiæ), qui est regere in operibus sanctitatis in medio pravæ et perversæ nationis (1). »

S. Bonaventura eamdem doctrinam explanat, in hunc modum:

« Scientiæ quadruplex est differentia. Quædam est quæ consistit in intellectu pure speculativo: et hæc est fundata supra principia rationis; et hæc est scientia acquisita de quacumque creatura, sicut scientia humanæ Philosophiæ. Quædam autem est, quæ consistit in intellectu inclinato ab affectu: et hæc est fundata supra principia fidei, quæ quidem sunt articuli, et tamen acquisita; et hæc est scientia sacræ Scripturæ (2), quam nullus habere potest, nisi saltem habeat fidem informem. Quædam autem est, quæ consistit in intel-

(1) Ead. *dist.* 35, a. 4, *ad ult.*

(2) Scientiam S. Scripturæ intellige sensu lato pro universa scientia theologica, seu tota scientia rerum revelatarum fidei innixa.

lectu, sive ratione, in quantum inclinat affectum ad operationem: et hæc fundata est supra principia juris naturalis, quæ ordinatur ad rectitudinem et honestatem vitæ; et hujusmodi est scientia virtutis prudentiæ. Quædam autem scientia est, quæ consistit in intellectu secundum quod est inclinatus, et inclinans: inclinatus, inquam, a fide, et inclinans ad bonam operationem, et hæc fundatur supra principia fidei, et habet ortum a dono gratiæ; et talis est scientia, quæ est donum Spiritus Sancti. Et ex hoc patet, quis sit actus proprius hujus doni. Est enim actus ejus dirigere ad agenda secundum præexigentiam regulæ ipsius fidei, cujus est dirigere ad opera misericordiæ, ut non tantum bona pro bonis reddat, secundum quod dictat lex naturæ, sed etiam bona pro malis, secundum quod dictat lex gratiæ, ad exemplar ipsius Jesu Christi, in quo fuit gratiæ abundantia. Et ideo ad ipsam scientiam non solummodo pertinet dirigere in agendis, sed etiam ex consequenti pertinet nosse ea, quæ sunt fidei, tamquam fundamentum suæ directionis, et ulterius nosse humanitatem Christi, tamquam exemplar sui regiminis: ita quod hic triplex actus conveniat ei secundum triplicem respectum: unus videlicet respectu objecti motivi, alter vero respectu sui fundamenti, et tertius est exemplaris excitativi. Et quia principalis actus accipitur ex parte objecti, hinc est quod præcipuus actus doni scientiæ est dirigere circa actionem (1). »

Consequenter ad hanc doctrinam, idem Bonaventura in *Breviloquio* supra cit. donum scientiæ correspondere dicit prudentiæ, seu expedire ad prudentiam, a qua tamen idem donum rite distinguit: « quia prudentia, *ait* (2), dirigit secundum principia juris naturalis, ad ea quæ honesta sunt; sed scientiæ donum dirigit per principia fidei et juris divini ad ea quæ sunt sancta:

(1) In III, *dist.* 35, q. II, *conclusio*.
(2) Ead. *dist.* 35, q. II, ad 3m.

unde quodammodo altior est actus ipsius doni scientiæ, quam virtutis prudentiæ, et supra principia magis elevata fundari debet; et propter hoc, habita virtute prudentiæ, non superfluit donum scientiæ. » Quæ quidem omnino conveniunt cum dictis B. Alberti M., ut supra, et eamdem de prudentia infusa appellant animadversionem ibi factam.

Heic quoque recole doctrinam supra expositam S. Doctoris de dono pietatis, quomodo secundum triplicem actum, ut exsequens, combinatur cum dono scientiæ secundum triplicem actum correspondentem, ut directivo pietatis.

S. Thomas rursum ab utroque citato Doctore quadamtenus recedit.

Donum scientiæ respondere dicit, non prudentiæ sed fidei (1); et primo ac principaliter respicere speculationem, sicut et fides primo ac principaliter in speculatione consistit, in quantum inhæret primæ Veritati; adeoque actum principalem doni scientiæ constituit in judicio recto et certo de credendis, discernendo credenda a non credendis. « Secundario autem se extendit etiam ad operationem, secundum quod per scientiam credibilium, et eorum quæ ad credibilia consequuntur, dirigimur in agendis. » Sicut et fides ad operationem se extendit, quia Veritas prima est etiam ultimus finis, propter quem operamur (2).

Quomodo donum scientiæ principaliter referatur ad fidem, sic ostendit: « Ad hoc quod intellectus humanus perfecte assentiat veritati fidei, duo requiruntur.

---

(1) Prudentiæ correspondere dicit donum consilii, ut videbimus. Quod autem ad fidem referat duo dona, nempe intellectus et scientiæ, nullum quidem est inconveniens: licet enim dona sint perfectiora virtutibus moralibus, non tamen theologicis, sed contra, et « magis omnia dona ad perfectionem theologicarum virtutum ordinantur sicut ad finem. Et ideo non est inconveniens, si diversa dona ad unam virtutem theologicam ordinentur ». Ita, 2. 2, q. 9, a. 1, ad 3^{m}.

(2) Vid. 2. 2, q. 9, a. 3, in corp.

Quorum unum est quod sane capiat ea quæ proponuntur: quod pertinet ad donum intellectus..... Aliud autem est ut habeat certum et rectum judicium de eis, discernendo scilicet credenda a non credendis: et ad hoc necessarium est donum scientiæ (1). »

Ibidem, ad 1m, bene advertit, in ordine ad naturam propriam hujus doni declarandam, concordans in hoc cum magistro suo Alberto, ut supra: « In Deo est certum judicium veritatis absque omni discursu per simplicem intuitum... et ideo divina scientia non est discursiva vel ratiocinativa, sed absoluta et simplex: cui similis est scientia quæ ponitur donum Spiritus sancti, cum sit quædam participativa similitudo illius. »

Et infra (2): « Sicut dictum est (q. VIII, a. 5) de dono intellectus, non quicumque intelligit, habet donum intellectus, sed qui intelligit quasi ex habitu gratiæ: ita etiam de dono scientiæ est intelligendum, quod illi soli donum scientiæ habeant, qui ex infusione gratiæ rectum judicium habent circa credenda et agenda, ita quod in nullo devient a rectitudine justitiæ. »

Porro, distinguit donum scientiæ a dono intellectus, ut e supra dictis manifestum est.

Item a scientia gratis data: « Circa credenda duplex scientia potest haberi. Una quidem per quam homo scit quid credere debeat, discernens credenda a non credendis: et secundum hoc scientia est donum, et convenit omnibus sanctis. Alia vero est scientia circa credenda, per quam homo non solum scit quid credi debeat, sed etiam scit fidem manifestare, et alios ad credendum inducere, et contradictores convincere: et ista scientia ponitur inter gratias gratis datas, quæ non datur omnibus sed quibusdam (3). »

Heic quæri potest utrum et quomodo differat donum

---

(1) Ead. q. 9, a. 1, in corp.
(2) Ead. q. 9, a. 3, ad 3m.
(3) Ibid., a. 1, ad 2m.

scientiæ a scientia theologica seu Scripturæ, ut loquitur Bonaventura, eaque sive infusa, sive acquisita.

Ad hoc respondemus scientiam theologicam infusam non differre natura ac origine a scientia gratis data, adeoque utramque distingui suo objecto a dono scientiæ, ut supra. Est et aliud discrimen, quod notavit S. Thomas, scilicet donum scientiæ omnibus justis infundi, scientiam vero infusam extra ordinem dari quibusdam tantum. Addamus aliquam gratiam gratis datam, præsertim ad intellectum pertinentem, non dari in modum habitus, sed tantum in modum luminis transeuntis, imo dari non posse in modum habitus ut fit de gratia prophetiæ, et etiam sic distingui tum a scientia infusa, tum a dono scientiæ.

A scientia vero theologica acquisita differt donum scientiæ, tum objecto, ut supra, tum etiam natura et origine, ut patet: quamquam enim non excluditur a scientia acquisita illuminationis supernaturalis transeuntis adminiculum, tamen habitus ipse nec in se nec quoad modum infusus seu supernaturalis est; adeoque et a scientia gratis data distinguitur.

Porro, de distinctione doni scientiæ a virtute prudentiæ nihil heic expresse dicit S. Thomas. Atvero, cum actum principalem istius doni speculativum esse ponat, evidens est ejus mens, nempe illud omnino distinctum esse a prudentia, cujus actus principalis, scilicet præcipere, ad rationem practicam manifesto pertinet. In quantum vero scientiæ donum secundario et consequenter scientiam quoque practicam esse agnoscit, valent ea quæ de distinctione hujus doni a prudentia notat supra Bonaventura.

Tandem rite distinguit Angelicus donum scientiæ a sapientiæ dono, quæ est cognitio rerum divinarum et judicat per causam altissimam ac primam, dum scientiæ donum est solum circa res humanas, seu res creatas, et judicat per causas secundas (1). « Licet ea de quibus

(1) Vid. eamd. q. 9, art. 2, in corp.

est fides, sint res divinæ et æternæ, tamen ipsa fides est quoddam temporale in animo credentis. Et ideo scire quid credendum sit, pertinet ad donum scientiæ; scire autem ipsas res creditas secundum seipsas per quamdam unionem ad ipsas, pertinet ad donum sapientiæ. Unde donum sapientiæ magis respondet charitati, quæ unit mentem hominis Deo (1). »

Bene retinendum est medium cognoscendi in dono scientiæ esse res creatas. Unde intelliges nihil obstare quin dono scientiæ etiam res divinæ cognoscantur, dummodo per res creatas. Etenim « quilibet cognoscitivus habitus formaliter quidem respicit medium per quod aliquid cognoscitur, materialiter autem id quod per medium cognoscitur. Et quia id quod est formale, potius est..... ideo, cum homo per res creatas Deum cognoscit, magis videtur hoc pertinere ad scientiam, ad quam pertinet formaliter, quam ad sapientiam, ad quam pertinet materialiter; et e converso cum secundum res divinas judicamus de rebus creatis, magis hoc ad sapientiam quam ad scientiam pertinet (2). »

Totum complectitur brevibus verbis Cajetanus: « actum doni scientiæ consistere in judicio habente pro medio creaturas; pro objecto vero credendum et agendum; et ipsum judicium ex habitu, ita quod ad scientiam spectat ex habitu gratiæ gratum facientis judicare quid credendum et quid non credendum, et quid agendum et quid evitandum, secundum rationes inferiores: hæ sunt propriæ creaturarum causæ, ex quibus judicium fit (3). »

Hæc primo intuitu videntur adversari dictis B. Alberti M.: donum scientiæ esse lumen sub quo videntur *rationes divinæ* operabilium per nos; et: lumen divinum ad conversandum *secundum rationes divinas*. Ast ita non

---

(1) Ibid., ad 1m.
(2) Ad 3m.
(3) Super q. 9, initio.

est. Aliud enim est *secundum rationes inferiores* judicare, seu judicio habente *pro medio creaturas,* quid credendum sit, et agendum; aliud vero, consequenter ad hoc judicium « per scientiam credibilium et eorum quæ ad credibilia consequuntur, dirigi in agendis » ut loquitur supra S. Thomas: hoc enim jam est dirigi « secundum præexigentiam regulæ ipsius fidei » ut ait Bonaventura, seu secundum rationes divinas, de quibus dicit Albertus.

In ultimo articulo, nempe quarto, hujus q. 9, agit S. Thomas de beatitudine correspondente dono scientiæ; et docet huic dono, secundum quod in speculatione consistit, non respondere aliquam beatitudinem, quia beatitudo hominis in contemplatione solius Dei consistit, ideoque aliqua beatitudo pertinens ad contemplationem attribuitur intellectui et sapientiæ, quæ sunt circa divina; non vero scientiæ, quæ est circa res creatas. Secundum vero quod donum scientiæ etiam practica scientia est seu rectum judicium de creaturis, in ordine ad debitum earum usum, sic eidem attribuit beatitudinem luctus, quatenus per idem donum homini innotescit damnum, quod ex creaturis obvenit illi, qui haud recte de iis judicat et iisdem perverse utitur, ideoque luget, qui hoc damnum vel expertus est, vel saltem ejusdem damni sibi vel aliis impendentis, per donum scientiæ conscius est.

In hac attributione beatitudinis tertiæ dono scientiæ tertio (1), consentit, post Augustinum, cum reliquis Doctoribus, inter quos Bonaventura, in *Breviloquio* (2), et Rusbrochius, ut mox videbimus.

Ex his videmus in quo tandem differat, et in quibus conformis sit doctrina S. Thomæ de dono scientiæ, cum doctrina Alberti M. et Bonaventuræ.

Discrepantia fere sola hæc est, quod S. Thomas *primo ac principaliter* speculativam, illi vero contra,

---

(1) Vid. supra notata de ordine donorum, p. 417 et 426.
(2) Parte V, c. 6.

practicam esse scientiam istius doni volunt; consentiunt omnes in hoc quod etiam practicam esse agnoscunt. Videtur S. Thomas primario respexisse objectum immediatum doni scientiæ, ut fundamentum scientiæ practicæ; secundario vero, objectum motivum ulterius operationum; dum alii præcipue hoc objectum motivum attenderunt, secundario vero fundamentum speculativum directionis operationum.

Nobis videtur discrepantiam illam haud esse magni momenti. Cum autem donum scientiæ, sicut et fides, tandem in ordine ad rectam ac sanctam operationem infunditur, consideratio magis practica doni scientiæ, nempe ut est scientia practica, qualem considerationem instituunt Albertus et Bonaventura, præcipua hac in re esse nobis videtur; quidquid sit de explicatione speculativa notionis ejusdem doni, utrum primario necne ad hanc notionem pertineat scientia speculativa, anvero practica; quam quidem notionem tradere præprimis voluisse videtur S. Thomas.

Rusbrochius quoque donum scientiæ sub respectu scientiæ practicæ præsertim considerat, et mirabilem in modum etiam quæ subtiliora sunt in expositione citatorum Doctorum refert ac recolligit.

Sic, simul indicans discrimen doni intellectus a dono scientiæ, hoc rite describit his verbis (1): « Ut... donum intellectus... internum nostrum ad Deum accessum exornat et illustrat, dum nos intro vocat, sive exigit a nobis ut intro ingrediamur, docetque nos Deum contemplari et contueri in seipso et multifariis donis ipsius: eodem modo scientiæ donum..... nos foris dirigit, docetque tum nosipsos, tum omnes virtuosarum actionum modos distincte ac discriminatim attendere et considerare.

« Attamen utraque hæc, una eademque veritas operatur, et intro nos vocans ad Deum, et foras dirigens ac

(1) *Comment. in tab. fœderis*, c. 27 (ap. Surium).

mittens ad nosipsos. In ipso igitur supernaturali nostro ad Deum cum intellectualibus formis seu imaginibus accessu, lumen istud donum intellectus appellatur: eo quod sublevet nos, ac intellectum nostrum supra illius naturam illustret et ornet. Ubi vero cum formis seu imaginibus sensibilibus ad sacram Scripturam, ad vitam ac gesta Sanctorum, et ad cuncta demum creata a Deo et condita, rationabiliter egredimur, omniaque hæc cum interna supernaturalis scientiæ plenitudine adspicimus et consideramus: jam idem lumen, scientiæ donum dicitur, eo quod instituat nos, ut foris rationabiliter vitam ducere et conversari, resque sensibiles rationabiliter ac spiritualiter intelligere debeamus. Quanto autem ad Deum accessus, eo qui ad creaturas fit, exitu præclarior ac sublimior est: tanto itidem intellectus donum, scientiæ dono celsius ac nobilius est. Ac nihilominus utroque hoc dono præditi ut simus oportet: non enim absque externa virtutum studiosa seu virtuosa vita intus ad Deum accedere valebimus. »

Alio in loco (1): « Tertia, *ait*, (lucerna) est scientia et rerum omnium discreta sive distincta cognitio. » Et rursum (2): « Rogandus nobis est Pater noster cœlestis..... adhæc, ut largiatur nobis scientiæ spiritum, quo tum coram ipso, tum hominibus quibuscumque semper ingrediamur et simus honesti moribus, et verbis veraces, in agendo, omittendo, patiendo, atque in omnibus bene compositi, ut non modo nemini scandalo simus, sed etiam modis omnibus cuncti ex nobis ad meliora provocentur ac emendentur. » Iterumque (3) definit: « Scientiæ ac discretionis donum, quo instructus fit rationabilis, novitque quid agendum, quid omittendum, ubi dandum et accipiendum sit. »

Fusius vero de eodem scientiæ dono agit in libro

---

(1) Eod. *Comment. in tab. fœderis*, c. 112 (Surius).
(2) *De septem gradibus amoris*, c. 7.
(3) *De ornatu spir. nupt.*, l. II, c. 65.

Regnum Deum amantium inscripto, ubi primo illud sic definit (1): « Est autem hæc scientia lumen quoddam supernaturale, vi animæ rationali infusum, uti homo juxta supremam perfectionem, rationalem exigat ac prosequatur vitam. Ex hac scientia vera nascitur discretio sive moderatio.... ut scias quo tempore, quam ob causam, cui et quantum, id est, quam multum vel quam parum, et qua ratione singula quæque præstanda et curanda sint. »

Deinde fusius exponit, eodem capite, quomodo hæc discretio sive moderatio sit parens atque perfectio virtutum moralium, et qua ratione huic discretionis seu scientiæ dono respondeat quarta beatitudo luctus:

« Ipsa hominem considerare facit, quid ad Dei cedat honorem, et quæ proximi vel necessitas, vel utilitas sit, et ut singulis debeat satisfacere. Hinc vero sui cognitio proficiscitur, puta quod animadvertit et re ipsa experitur, sæpenumero deesse se Deo in exhibenda reverentia, honore, laude, veneratione, ac vero humilitatis famulatu: itemque crebro deesse se proximis: ex charitatis tepore, incuria ac negligentia. Inde porro oritur suiipsius omniumque actuum suorum displicentia ac animi mœror, eo quod se nec Deo, nec cuiquam satisfacere, neque quod jure deberet, præstare cognoscit. Id nimirum facit, eum tam seipsum, quam omnes actiones suas parvipendere. Cognitio nostriipsorum considerare nos facit unde venerimus, ubi simus, quo venturi simus. Venimus quidem a Deo, sumus autem in exilio: amans etenim desiderium semper adspirat ad Deum, cupitque esse cum Deo: atque ea re semper degit in exilio. Secundum corpus foris in multigenis versamur pœnis ac doloribus famis, sitis, frigoris, æstus, morborum, et id genus multiplicium malorum ac defectuum. Sæpe ab hostibus tartareis, sæpe ab hominibus graviter divexamur ac impugnamur. Et hæc

(1) Cap. 18.

omnia divinitus infusa scientia cognoscere nos docet, ne majoris quam oportet nos faciamus, neque immodice exhilaremur aut lætemur in rebus fluxis et caducis, neque in cunctis actibus nostris; sed doleamus potius atque tristemur, quod Dei inutiles servi simus, et cunctis in virtutibus plurimum nobis desit. Et hoc summum ac præcipuum est istius doni scientiæ divinitus infusæ. De talibus loquebatur Christus, ubi ait: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (MATTH. 5). Qui lugent ac dolent deficere sese in præstando ac exhibendo Deo servitio et honore, tametsi faciunt quidquid possunt, id ex amore ac fidelitate ipsorum erga Deum virtutesque proficiscitur. Tales etiamsi virtutes omnes, quæ unquam peractæ sint, soli efficerent, nimis parum eis videretur: eo quod illi quem amant, plus multo cupiunt, favent, optantque honoris et servitii impendi, quam a cunctis possit præstari mortalibus. Ergo ipsi beati illi lugentes sunt, qui in sempiterno Dei regno consolabuntur. »

Demum, in cap. seq. XIX, addit quomodo scientiæ donum perfecte exerceatur; et assignat quatuor hujus exercitii impedimenta, et alia quatuor quæ omnem virtutem subruunt. Hæc, ne æquo fusius rem prosequamur, omittimus, idque eo meliori jure quod sponte sua fluunt ex descriptione doni scientiæ quam ex Rusbrochio retulimus, et in eadem manifesto continentur, ut ei patebit qui et hæc legere voluerit.

Hunc tractatulum de scientiæ dono absolvimus, redeundo ad textum supra recitatum et sæpius jam invocatum S. Bonaventuræ (1) de functionibus donorum, ut septemplicem functionem doni scientiæ brevissime indicemus.

1ª *Functio,* nempe expediendi contra obliquitates vitiorum, scientiæ est « contra iram, quæ quasi est quædam insania. » Ita Bonaventura, l. cit.; cui con-

(1) Supra, hoc tomo XVIII, pag. 124 et sqq.

sentit Rusbrochius qui inter impedimenta scientiæ, omnem virtutem evertentia, ut modo supra, hoc indicat: « Animus iracundus, iræ insania fervens ac ebulliens, scientia destituitur. »

2ª *Functio* donorum est expedire vires naturales. Jamvero vis rationalis indiget expediri in veritatis speculatione, electione et executione. Expeditur autem « per scientiæ donum ad electum exequendum, per donum enim scientiæ recte conversamur in medio nationis pravæ et perversæ. » Sic Bonaventura, conformiter ad notionem a se expositam doni scientiæ; qua de re supra satis.

3ª *Functio* expedit virtutum officia. Refertur autem a S. Bonaventura « scientia ad prudentiam, » intellectus vero ad fidem, dum S. Thomas utrumque donum, intellectus et scientiæ, refert, ut vidimus, ad fidem. Qua de re fusius actum est in exponenda notione doni scientiæ.

4ª *Functio* respicit expeditionem in patiendo conformiter ad Christum. Movit autem Christum ad patiendum... « etiam nostra necessitas, ad quam cognoscendam necessaria est scientia; ad quam miserandam superadditur pietas. » Combinatur nempe donum scientiæ, ut directivum in ordine ad executionem, cum pietatis dono, ut proxime executivo, quemadmodum notavimus jam loquendo de quarta functione doni pietatis, et explicat S. Bonaventura exponendo notionem et tres actus doni tum scientiæ, tum pietatis, sibi invicem correspondentes; quam doctrinam retulimus agendo de his donis.

5ª *Functio* pertinet ad expediendum in agendo. Atqui: « necesse etiam habemus expediri ad proficiendum in bono duplici, vel necessitatis, vel supererogationis. Circa primum expedimur per scientiam et pietatem, ita quod unum est dirigens et aliud exequens... » Qua de re sufficiant, quæ de quinta functione doni pietatis exposuimus.

6ª *Functio* est expedire in contemplando, seu in vita

hierarchica ducente ad contemplationem. Et donum quidem scientiæ ad primum stadium pertinet in quantum purgat ab ignorantia.

7ª *Functio,* qua expedimur in actione et contemplatione, seu in vita mixta perfecta, quod scientiæ donum attinet, respicit vitam activam, quæ versatur in agendis et sustinendis, quæque habere debet pietatem ad agendum, et hujus directivam scientiam. Qua de re rursum confer quæ de septima functione doni pietatis dicta sunt.

(Continuabitur).

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Junii propositas.

—

I

Q. *Paucis expone argumentum generale visionis septem tubarum quæ describitur in Apocalypsi, cc. VIII, 2-XI.*

R. Hæc visio, ut in re difficili dicendum videtur, tum quoad dispositionem litterariam, tum quoad sensum suum generalem, parallela est cum visione libri cum septem sigillis quæ in cc. IV-VIII, 1 descripta fuit (1).

Quod **dispositionem litterariam** spectat, utraque visio incipit per *introductionem* aliquam (cc. IV-V — VIII, 2-6); — deinde successive describuntur in prima visione quidem, *aperitio septem sigillorum* et varii *eventus* qui singuli sigilli aperitionem comitantur (VI-VIII, 1), in altera vero visione successive canitur *septem tubis*, et iterum varii *eventus* describuntur (VIII, 7-XI); — in prima visione valde similia sunt et arcte inter se cohærent quæ de *quatuor prioribus sigillis* describuntur, (VI, 1-8) (2), sicut in altera visione magnam inter se similitudinem habent et aliquod totum efformant ea quæ de *quatuor prioribus tubis* describuntur (VIII, 7-12) (3); —

---

(1) Hujus visionis interpretationem vide supra, pp. 348 ss., 431 ss.

(2) Revera aperitio quatuor priorum sigillorum introducitur eodem modo ab uno ex quatuor animalibus dicente: *Veni et vide;* — singula vice videt Joannes aliquem *equum* cui insidet *eques*. — Trium ultimorum sigillorum aperitio jam non sic introducitur, et eventus ipsi respondens jam non est egressus equi cum equite.

(3) Revera descriptio eventuum ad 4 priores tubas est omnino parallela: *tertia* pars terræ comburitur..., *tertia* pars maris fit sanguis..., *tertia* pars fluminum fit absinthium..., *tertia* pars solis et lunæ et stellarum percu-

tandem sicut in prima visione inter aperitionem *sexti et septimi sigilli* interponitur *duplex interludium* (VII) sic quoque inter cantum *sextæ et septimæ tubæ duplex interludium* interponitur (X-XI, 13).

Quod vero spectat **sensum generalem visionis**, putamus, sicut supra visione septem sigillorum, ita hic quoque visione septem tubarum symbolice describi ea quæ secundum Christi adventum et finem mundi præcedent et præparabunt, ita ut cantus ultimæ tubæ introducat ipsum judicium ultimum (1).

Visio introducitur in c. VIII, vv. 2-6: Septem angelis dantur septem tubæ, et dum orant sancti et angelus quidam projicit ignem in terram, symbolum iræ divinæ, ipsi sese ut tuba canant præparant.

Deinde successive *canunt septem angeli*, et ad singulas sex priores tubas describuntur varii eventus qui contingunt.

Ad *primæ* tubæ cantum fit clades magna in partem *terræ* (2); ad *secundæ* cantum fit clades in partem *maris;* ad *tertiam* clades in *flumina et fontes;* ad *quartam* tubam fit clades in *corpora cœlestia:* istæ calamitates immediate afficiunt naturam inanimatam, sed mediate tamen naturam animatam ipsosque homines attingunt (VIII, 7-12). — Vers. 13 est transitio ad *tres ultimas tubas:* aquila (angelus?) pronuntiat *triplex væ*, quod triplici ultimæ tubæ respondebit.

Ad *quintam* tubam, describitur *plaga locustarum* qua

---

titur..... Præterea illæ quatuor calamitates afficiunt naturam *inanimatum*. — Tandem illa quæ de quatuor tubis referuntur *aliquod totum* efficiunt, siquidem calamitates, earum occasione contingentes, afficiunt terram et mare et flumina et corpora cœlestia: totum proinde universum.

1. Unde adhæremus *systemati recapitulationis*, quatenus visio septem tubarum *non* est *continuatio* visionis septem sigillorum, sed easdem res iterum novo symbolismo describit. Unde quoque notabis in textu Apocalypseos non connectendos, sed contra omnino separandos esse ab invicem v. 1 et v. 2 capitis VIII.

2. *Tertia* pars terræ, maris, fluminum, etc. non sunt, ut patet, mathematice sumenda.

affliguntur homines (IX, 1-11), et advertitur quod « Væ unum abiit, et ecce veniunt adhuc duo væ post hæc » (v. 12).

Ad *sextam* tubam, describitur invasio exercitus numerosi valde, quo magna pars hominum occiditur (vv. 13-19).

Harum autem descriptionum sensus quam maxime varios indicant varii auctores ; præplacet omnia audire, sensu parallelo cum dictis de visione libri cum septem sigillis, de variis calamitatibus quæ contingent in mundo (4 priores tubæ), de discordiis (5ª tuba) et bellis (6ª tuba) quæ exsurgent inter homines, aliisque eventibus qui finem mundi et ultimum judicium præcedent. — Istis omnibus invitis manent multi homines impii et peccatis omnigenis immersi (vv. 20-21).

Visio septem tubarum, in c. X-XI, 13, interrumpitur *duplici visione intermedia :*

In *primo interludio*, c. X, describitur Christus in manu sua tenens libellum (1-4), et jurans instare omnium rerum consummationem et cum cantu septimæ tubæ judicium ultimum locum habiturum esse : « *Quia tempus non erit amplius ; sed in diebus vocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos Prophetas* » (vv. 5-7). Hunc librum jubetur Joannes devorare, quo significatur ipsum adhuc debere prophetare (v. 11), eritque liber ipsi dulcis in ore et amarus in ventre : quo significatur gratum fore ipsi accipere revelationes, sed grave tantas calamitates prænuntiare (vv. 8-11).

In *altero interludio*, c. X-XI, 13, describitur quomodo Joannes jubetur metiri templum (ipsum sanctuarium, np. Sanctum et Sanctum sanctorum) et altare et adorantes in eo (i. e. atrium in quo adsunt adoratores, nim. atrium sacerdotum, Israëlitarum et mulierum) : hac actione metiendi significatur hæc loca non esse destruenda, sed conservanda ; nam atrium (exterius, quod vocabatur gentilium) non est metiendum, sed destruetur

a gentibus sicut ipsa civitas. Hæc civitas ea est in qua Dominus crucifixus est, et proinde designatur non ut Roma, sed ut *Jerusalem*, (v. 8). Hæc civitas vocatur Sodoma et Ægyptus, non ut sæpe dicunt propter impietatem incolarum, sed ut videtur quatenus civitas ista sicut quondam Sodoma et Ægyptus propter peccata sua a Deo punietur (1). — Hæc destructio civitatis Jerusalem a gentibus a nonnullis intelligitur de destructione civitatis Jerusalem a Romanis (2), sed immerito, ut videtur: etenim in toto cap. XI nulla mentio fit obsessionis civitatis; item agitur de excidio omnino partiali tantum civitatis (decima pars civitatis cadet, v. 13), et de occisione omnino partiali incolarum (septem millia occidentur, v. 13); imo isti occidentur non per exercitum inimicum, sed per terræ motum (v. 13); tandem ipsum *templum* expresse excipitur a destructione futura (v. 1): quomodo hæc omnia quadrant in destructionem Jerusalem a Romanis a. 70 peractam? — Melius videtur hæc omnia iterum intelligere de civitate illa nova Jerusalem, sensu spirituali, quæ est *Ecclesia: in fine mundi*, dum increduli multa mala patientur, ipsa Ecclesia iique qui ad eam pertinent salvi erunt: unde visio hæc parallela est cum duplici ista visione, relata ante aperitionem septimi sigilli, 140.000 signatorum ex omni tribu Israel et turbæ innumerabilis ex omni populo: sicut ibi, ita et hic describitur status Ecclesiæ dum omnia illa mala descripta occasione sex tubarum præcedentium implentur (3).

Dum mala descripta in c. XI contingunt, apparent *duo testes* missi a Christo habentes triplicem potestatem miraculosam puniendi adversarios suos (vv. 3-6). Isti per tres annos cum dimidio prædicabunt (v. 3), deinde

---

(1) Cfr. Is. I, 9. III, 19, Rom. IX, 29; Ezech. XVI, 48-50.

(2) Ita Beelen.

(3) Hoc fere sensu hanc partem visionis interpretatur Vigouroux-Bacuez-Brassac, *Manuel biblique*, t. IV, in h. l.

occidentur a Bestia abyssi et per tempus brevissimum (3 dies cum dimidio, v. 7 s.) corpora eorum jacebunt absque sepultura, ad gaudium omnium impiorum (vv. 9-10), tandem resurgent et in cœlum ascendent (vv. 11-12).

Merito æstimat *Beelen* hunc locum inter obscurissimos Apocalypseos, et potissimum obscurus esse debet si ipsum vult de excidio Jerusalem a Romanis, a. 70, intelligere: in hoc enim excidio de duobus testibus nil scimus; quare intelligere debet textum sensu magis generali de Christianis qui tunc temporis in Jerusalem occisi sunt propter professionem fidei. — Sententia *communior* locum intelligit de *Elia* et *Henoch* qui in fine temporum venient in mundum; juxta nonnullos tum antiquos tum recentes melius intelligerentur *Elias* et *Moyses* (1). — Sententia forte magis probabilis videbitur quam proponit *Vigouroux* (2), Eliam et Moysen symbolice repræsentare omnes *prædicatores et missionarios fidei christianæ*, qui *in fine mundi* exibunt et occidentur, ita ut impietas brevi tempore videri possit victoriam retulisse (vv. 8 s.); sed ex hac ultima persecutione iterum resurget Ecclesia.

Post duplex istud interludium *septima tuba* canit, seu venit *tertium væ* (v. 14): in interpretatione quam præferendam duximus, hic locum habet omnium rerum finis et judicium ultimum. Revera cœlum resonat vocibus, et Seniores cantant laudem Deo: « *Gratias agimus tibi, Domine Deus Omnipotens, qui es et qui eras* (3), *quia accepisti virtutem tuam magnam et regnasti. Et iratæ sunt*

---

(1) Revera potestas quæ his duobus testibus tribuitur in Apocalypsi, bene respondet potestati quam dum viverent Elias et Moyses exercuerunt. Cfr. vv. 3-6: Habent, sicut olim *Elias*, potestatem occidendi adversarios per ignem, et potestatem claudendi cœlum ne plueret (cfr. III Reg. XVII, 1, IV Reg. IV, Eccli. XLVIII, 3, Luc. IV, 25, Jac. V, 17) et, sicut olim *Moyses*, potestatem convertendi aquam in sanguinem, et percutiendi terram omni plaga.

(2) *O.* et *l. c.*

(3) Verba: *et qui venturus est* quæ in Vulgata leguntur, non sunt authentica. Revera Deus judex jam non est venturus.

gentes, et advenit ira tua, et tempus mortuorum judicari et reddere mercedem servis suis prophetis, et sanctis, et timentibus nomen tuum, pusillis et magnis, et exterminandi eos qui corruperunt terram » (vv. 15-18). Et apparet in cœlo arca Dei, tamquam symbolum definitivi fœderis Dei cum sanctis suis, et per fulgura, voces tonitrui et terræmotum et grandinem magnam significatur ruina impiorum (v. 19).

Sit ergo brevis **conclusio** dictorum:

Visio septem tubarum, quoad *constructionem litterariam* parallela cum visione libri cum septem sigillis, quoad *sensum* etiam cum ipsa convenit: dum canunt sex priores tubæ, symbolice describuntur omnes istæ calamitates quæ finem mundi præcedent et judicium ultimum præparabunt; — ab istis calamitatibus et ab ultima et universali calamitate quæ instat impiis, salvabitur Ecclesia, etsi forte per breve tempus videri poterit devicta; — tandem canente ultima tuba, fit judicium, et mali pœnas, boni autem mercedem accipiunt.

A. Vander Heeren.

II

Q. *Utrum Adam in statu innocentiæ indiguerit gratia actuali interna excitante?*

R. *Negative* respondendum censemus, secundum thesim quam alibi propugnavimus (1), qua asseritur hominem justum, etiam in statu naturæ lapsæ, non indigere gratia actuali interna excitante ad *singulos* actus supernaturales.

Specialiter hîc nunc sermo est de protoparenti in statu innocentiæ, proinde in statu naturæ *integræ*, et statuimus Adamum, in hoc statu, non indiguisse gratia

(1) *Tractatus de divina gratia*, Brugis, 1910, n. 338. Eamdem sententiam nuper rite propugnavit Merkelbach, in *Revue ecclésiastique de Liége*, 1913, t. VIII, p. 240 ss.

interna excitante ad perseverandum, nempe ad omnia observanda præcepta et ad omnia vitanda peccata et hoc etiam per longissimum tempus (1).

1. Quæstionis statum ulterius nitide exponit Bellarminus: « Nobis enim tria Dei dona necessaria sunt. Primo, habitus gratiæ gratum facientis, per quam efficimur filii Dei per adoptionem. Secundo cooperatio Dei, cum bene operamur. Sicut enim in rebus naturalibus non satis est, si habeamus potentias operativas, sed egemus cooperatione Dei per auxilium generale, sic etiam in operibus supernaturalibus, non satis est si habeamus habitus gratiæ et virtutum, sed egemus cooperatione Dei per auxilium supernaturale. Tertio, motio Dei per internas suggestiones et inspirationes, item directio et protectio, quibus fit ut utamur duobus prioribus donis... Jam igitur primus homo ante peccatum sine dubio habuit duo priora dona, neque de hoc ulla est discordia inter nos; de solo tertio est controversia » (2).

Ex dictis patet non agi nunc de ipsa *cooperatione* Dei, quæ ad singulos actus creaturarum requiritur, quia et quatenus creatura operando transit de potentia ad actum, seu transit de statu inactivitatis ad statum activitatis. Unde si quis ad actualis gratiæ rationem pertinere censet illam motionem physicam qua homo præcise movetur in eliciendo omnem actum salutarem, ille etiam dicet requiri actualem gratiam ad omnes actus salutares. Sed quidquid sit de hac re (3), de alia nunc agitur hîc.

---

(1) Hanc conclusionem explicite propugnant Molina, *Concordia*, q. XIV, a. 13, disp. 4; Bellarminus, *De gratia primi hominis*, c. 4; *De novis controversiis inter Patres quosdam ex ordine Prædicatorum et P. Ludovicum Molinam ex societate Jesu*, § 6, ap. Le Bachelet, *Auctarium Bellarminianum*, Paris, Beauchesne, 1913, p. 111; Becanus, *Summa Theologiæ*, Tractatus III, *De angelis*, cap. 2, q. 5.

(2) *De novis controversiis*, l. c.

(3) Cf. Card. Billot, *De virtutibus infusis*, Romæ, 1901, p. 174, n. 1; *De gratia Christi*, Prati, 1912, p. 111 ss.; Ill^mus^ ac Rev^mus^ Waffelaert, *Collat. Brug.*, suprà p. 13 ss., qui aliam sententiam propugnat.

Nomine enim gratiæ *excitantis* non intelligimus nunc motionem reducentem in actum habitus supernaturales elicientes actum deliberatum, sed tantum motionem ad actum *indeliberatum*.

Datur enim in anima justi motio Dei quæ consistit in actuosa suggestione, qua Deus intellectum aperit et cor tangit, motio qua Deus immediate et physice prædeterminat in intellectu et in voluntate actus *indeliberatos*, nempe illustrationes intellectus et inspirationes voluntatis. Hæc motio est auxilium *novum* et *speciale*, quo novæ vires tribuuntur homini ad recte agendum; huic autem motioni potest homo *consentire*, sed potest etiam ab ea dissentire: unde patet prædictam motionem non esse formaliter *cooperationem Dei in ipso actu salutari eliciendo per virtutes infusas;* sed esse motionem formaliter *excitantem* et præviam (etiam tempore) ad actum deliberatum eliciendum (1).

2. Hoc autem speciali auxilio *non indiguisse* Adamum in statu innocentiæ censemus: dicimus *non indiguisse;* non negamus posse habuisse vel de facto habuisse.

Gratiæ excitantis, specialis nempe auxilii, quod suprà descripsimus, necessitas est moralis, non physica: in tantum enim est necessaria gratia illa, in quantum homo difficultatem experitur in recte agendo, in quantum nempe homo vel per ignorantiam aut obscuritatem in cognoscendo, vel per impulsionem ad malum morale, retardatur aut impeditur a bono opere. Sed illam difficultatem non patiebatur Adam in statu innocentiæ: erat enim supernaturalibus et præternaturalibus donis ornatus: ratio fruebatur fide et etiam scientia per accidens infusa; sub ratione autem perfecte continebatur appetitus sensitivus imo et totum corpus, ita ut imperio

---

(1) *De divina gratia*, n. 279. Ex dictis non sequitur dari *realem* distinctionem inter gratiam excitantem et adjuvantem. Gratia *adjuvans* non est ipsa physica Dei cooperatio in actu deliberato. Cf. *o. c.*, n. 292. Cf. Card. Billot, *o. c.*, p 39 s., p. 166 ss., coll. p. 34 ss.

rectissimo voluntatis omnia subjicerentur (1): his igitur instructis viribus poterat homo omnia sua officia adimplere, et tentationes vincere, *absque ulla interna pugna vel difficultate:* proinde non indigebat novo et speciali auxilio, nempe gratia interna excitante.

Quæ conclusio confirmatur doctrina S. Bonaventuræ (2), qui tenet hominem, in statu naturæ integræ, posse tentationi diabolicæ resistere absque *appositione novæ gratiæ,* nempe absque novo auxilio superaddito ad ipsum donum integritatis: ratio est quia tunc liberum arbitrium pleno vigore fruebatur. Confirmatur etiam doctrina S. Thomæ (3), qui docet hominem in *statu naturæ integræ* posse vitare omne peccatum, etiam sine gratia habituali (4), et nullo alio indigere præter connaturalem Dei conservationem; in statu vero naturæ lapsæ indigere, præter gratiam sanctificantem, divino auxilio ipsum dirigente ac protegente contra tentationum impulsus (5).

Nec dicas: licet Adam habuerit omnes habitus supernaturales infusos et etiam præternaturales, tamen ejus voluntas ut potuerit bonum velle indiguit excitari ab intellectu; atqui hæc est gratia excitans; ergo.

R. *Conc. Maj.*

Nego Min. Nam omnis cogitatio a qua originem habet actus salutaris voluntatis non est illa gratia excitans de qua loquimur.

Etenim 1/ quoad virtutes *theologicas:* justus, præsertim si possidet habitum acquisitum sæpe cogitandi de veritatibus revelatis et exercendi fidem, poterit, aspiciendo v. gr. res pulchras, sive naturales sive arte

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 434 ss.

(2) In II, dist. 24, P. I, a. 1, q. 2 (Edit. Quaracchi, t. II, p. 557).

(3) 1, q. 109, a. 8.

(4) Gratia habitualis est realiter distincta a dono integritatis, saltem inadæquate, etiam in præsenti ordine Providentiæ. Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 437.

(5) 1, q. 109, a. 10.

factas, ascendere mente ad Deum, tamquam primam earum causam, Deumque, quem *fide* cognoscit, adorare, laudare, amare, quin requiratur *specialis* et supernaturalis excitatio a Deo (1): ita illæ res et aspectus naturalis ipsarum sunt homini *occasio* qua excitatur in ipso virtus fidei et charitatis.

2. Quoad virtutes *morales:* illarum exercitium dependet a judicio ultimo practico, elicito a prudentia supernaturali (2): illud judicium potest esse actuale, vel virtuale (3): jamvero homini justo, præsertim si habet etiam *acquisitos* virtutum habitus, poterit tale judicium efformare vel ex lectione pia, quam facit, vel ex verbis aut exemplis aliorum hominum: *non alia, nec specialis excitatio* requiritur ut tum virtus prudentiæ, tum aliæ virtutes, ab hac dependentes, in actum exeant.

Omnes quidem nostræ cogitationes a divina Providentia dependent, sed non ideo sunt gratia excitans: cogitationes quæ homini occasio fiunt peccandi, etiam a divina Providentia dependent.

Præterea multa sunt, quæ vocantur gratiæ externæ, quia de facto cooperantur ad hominis salutem, eumque excitant ad bene agendum et tamen non sunt *interna gratia excitans*, de qua agimus.

J. Van der Meersch.

---

(1) Iterum nota non agi de necessaria motione Dei in omni creaturarum operatione.

(2) De hoc judicio, cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 395.

(3) Si justus mane in meditatione statuit propositum (judicium practicum) faciendi mortificationem in prandio, poterit, tempore prandii, per solam memoriam illud propositum præsens habere et statim exsequi. Etiam ad supernaturaliter orandum sufficit intentio virtualis. Cf. Dignant, *De virtute religionis*, Brugis, 1896, n. 65.

III

Q. *Quid requiritur, tam ex parte delicti quam ex parte delinquentis, ut incurratur casus reservatus falsæ denuntiationis confessarii?*

R. I. **Ex parte delicti.**

Requiritur ut obtineant 1° elementa ipsum delictum constituentia, et 2° conditiones quæ ex parte delicti postulantur ad incurrendam reservationem delicto adnexam.

A. **Elementa delicti.**

locandus, tribue quæsumus, ut *intercedentibus omnibus sanctis tuis* (on peut songer à la liste des Saints du *Communicantes* et du *Nobis quoque*) universorum, quos *in oratione commendatos suscepimus* (la proclamation des noms) et omnium fidelium *nomina, beatæ prædestinationis liber* (allusion aux diptyques appelés *liber vitæ*) *adscripta* retineat ». On la trouve dans le *Sacramentaire Grégorien* (ed. Muratori, col. 386).

(1) Dans le missel de Stowe l'unique *Memento*, placé après le *Te igitur* prie non seulement pour les vivants mais aussi pour les défunts.

DE NOVA RITUALIS ROMANI EDITIONE

S. Congr. Rituum decreto, diei 11 junii 1913, SS. D. N. Pius Papa X approbat ac « typicam » declarat novam editionem (apud Pustet) Ritualis Romani « novissime recogniti, aucti ac diligenter revisi a S. Rituum Congregatione ». A pluribus jam mensibus ferebatur ingenti et strenuo labore præparari novam Ritualis revisionem. Et sane, post peractam feliciter Psalterii reformationem, aliasque mutationes, exspectabatur merito recognitio talis quæ dum morem gereret præcipuis decretis recentioribus, simul majori unitati et meliori ordini consuleret.

Dicebatur v. g. quod suppressis vel saltem notabiliter imminutis appendicibus priori et altera, benedictiones antiquiores et novissimæ debito ordine et capitibus distinctis insererentur in corpore ipsius tituli VIII: ast videmus aliquas tantum ex recentius approbatis fuisse in ipsis Appendicibus, absque numeris, additas. In votis erat ut ad omnes orationes extenderetur regula tam facilis quam logica recentius statuta pro Exequiis et Officio defunctorum: « conclusio longa Orationum adhibetur tantummodo in Missa et officio, extra vero semper brevis » (1); ut etiam uniformitas induceretur in multiplicitate et varietate Absolutionum pro defunctis, aut aliqua major determinatio quoad preces pro omnibus defunctis recitandis in recessu ad sacristiam (2): verum ritus pro defunctis, paucis tamen mutatis, assumpti fuerunt ex recentiori editione Vaticana *Officii defunctorum*. In votis adhuc plura alia, v. g. ut tandem Rituali summatim et clare insererentur rubricæ, quæ nunc ex innumeris generalibus aut particularibus decretis eruen-

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 629 s.
(2) *Ibid.*, t. XIV, p. 634 ss.

dæ sunt, circa materiam valde practicam, expositionem nempe et benedictionem SS. Sacramenti. Sed de his nil novi.

Non tanti igitur momenti sunt mutationes inductæ, sed generatim vere utiles. Ita, tit. II, in Ordine baptismi pro pluribus simul, notatur quænam sint repetenda « singulariter singulis », quænam vero dicenda « semel pro omnibus ». Diversis locis adnotatur forma feminina orationis dicendæ pro muliere. Tit. IV, quoad S. Communionem, jam non potest omitti « O sacrum convivium » (c. II, n. 6); indicatur ubinam sit addendum *Alleluia* tempore paschali et per octavam Corporis Christi (cap. II, n. 6; cap. IV, n. 21); quomodo sit danda benedictio (c. II, n. 9); præscribitur nunc conclusio longa ad orationem *Spiritum nobis* post S. Communionem tempore paschali recitandam (c. II, n. 7); in singulari nunc notantur *Misereatur tui*... et *Indulgentiam* ante Communionem infirmi (c. IV, n. 14) (1) sed idem non explicite indicatur pro iisdem orationibus ante Extremam Unctionem (c. V, n. 1), quamvis sane eadem regula sit servanda. Licet ex authentice reformato responso ad dub. 12, decreti n. 2740, S. Communio extra missam dari possit in stola *alba* (2), rubrica antiqua (c. II, n. 1) immutata mansit: « stola coloris Officio illius diei convenientis », sine ulla mentione recentioris disciplinæ. Additur pro Extrema Unctione formula in casu veræ necessitatis (t. V, c. I, n. 20); in Litaniis SS. Nominis inseritur invocatio: « *Per Sanctissimæ Eucharistiæ institutionem tuam, m. n.* »; post Litanias Lauretanas adduntur orationes B. M. V. pro diversitate temporis. Tandem in appendicibus exhibentur novæ Benedictionum formulæ et nonnulla ex recentibus decretis v. g. de S. Communione promiscuo ritu suscipienda, vel infirmis non jejunis danda, etc.

C. Callewaert.

---

(1) Juxta decretum n. 4193, IV, 1; cf. *Collat. Brug.*, t. XII, 144, 146.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 287-288.

S. Congregatio S. Officii

(Sectio de Indulgentiis).

I

S. Vincentii Ferreri preces ad sanctum vitæ mortalis exitum a Deo implorandum indulgentia 300 dierum ditantur, semel in die lucranda et defunctis applicabili (1). Sic sonant:

Miserere mei, Deus: et exaudi orationem meam (*Ps. IV*, v. 1).

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea (*Ps. VI*, v. 2).

Miserere mei, Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis (*Ps. IX*, v. 13).

Miserere mei, Deus, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus et venter meus (*Ps. XXX*, v. 9).

Miserere mei, Deus: secundum magnam misericordiam tuam (*Ps. L*, v. 1).

Miserere mei, Deus: quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me (*Ps. LV*, v. 1).

Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea (*Ps. LVI*, v. 1).

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die: lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi (*Ps LXXXV*, v. 3).

Miserere nostri, Domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione (*Ps. CXXII*, v. 4).

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum Amen.

---

(1) Decreto 5 junii 1913. *Acta Apost. Sedis*, 1913, t. V, p. 271 sq.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui neminem vis perire, et cui numquam sine spe misericordiæ supplicatur, nam tu dixisti ore sancto tuo et benedicto *omnia quæcumque petieritis in nomine meo, fient vobis;* peto a te, Domine, propter nomen sanctum tuum, ut in articulo mortis meæ des mihi integritatem sensus cum loquela, vehementem contritionem de peccatis meis, veram fidem, spem ordinatam, caritatem perfectam, ut tibi puro corde dicere valeam: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; redemisti me, Deus veritatis, qui es benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

II

DECRETUM (1).

Solvuntur dubia circa SS. Numismata Scapularibus sufficienda.

Ad supremam hanc Congregationem sancti Officii sequentia exhibita sunt dubia pro opportuna solutione; nimirum: I. Utrum sacerdos pollens facultate Scapularia imponendi, possit unico signo crucis pro unoquoque Scapulari benedicere publice omnia SS. Numismata quæ habent fideles in ecclesia vel in quodam conventu, quin hæc Numismata videantur, nec in individuo cognoscantur? II. Utrum benedictio impertiri possit SS. Numismatibus pro personis jam non adscriptis Scapularibus per impositionem, sed postea vel serius adscribendis; quæ Numismata gauderent favoribus Scapularium, tempore quo personæ erunt adscriptæ per regularem impositionem? Vel estne necessarium, personas jam Scapularibus adscriptas esse, antequam SS. Numismata

(1) *Acta Apost. Sedis,* t. V, 1913, p. 303. Circa numismata-scapularia cfr. *Collat. Brug.*, t. XV, 1910, p. 364 s., 490 sq., t. XVI, 1911, p. 301 ss. Duo igitur dubia soluta sunt: 1° possunt multa numismata globatim benedici etiam in posterum distribuenda; 2° valide fit benedictio numismatis ante regularem impositionem scapularis correspondentis: attamen gerenti non prodest numisma nisi post hanc impositionem seu inscriptionem.

pro ipsis efficaciter benedici possint? III. Utrum benedici possint Numismata multa, quæ distribuenda sunt quibuscumque personis, quarum aliæ jam Scapularibus adscriptæ sunt, et aliæ non adscriptæ; et in hoc casu, Numismata, saltem personis jam Scapularibus adscriptis data, eruntne benedicta?

Emi ac Rmi Patres una mecum Generales Inquisitores, in solito conventu habito feria IV, die 4 junii 1913, dixerunt: ad I Affirmative; ad II Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; ad III provisum in II.

Et SSmus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Adsessori supremæ hujus Congregationis, feria V, die 5, eodem mense eodemque anno, impertita, Emorum Patrum resolutiones benigne approbavit, et hoc Decretum desuper expediri jussit, Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S. M. Card. Rampolla.
† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

III

DECRETUM (1).

Solvitur dubium circa preces Tertiariorum Franciscalium aliis insuper sodalitatibus adscriptorum.

Quum die 11 junii 1913, feria IV, Emi ac Rmi DD. Cardinales Inquisitores Generales, in conventu habito in ædibus sancti Officii, perpenso dubio sibi proposito: « Num Tertiarii » sæculares Franciscani, recitantes, loco Horarum canoni- » carum, duodecies *Pater*, *Ave* et *Gloria* possint, hac tantum- » modo recitatione, omnibus aliis obligationibus, quod preces » attinet, satisfacere, quas ex adscriptione ad alias pias soda- » litates contraxerint », negativam protulerint sententiam; SSmus D. N. D. Pius div. providentia Pp. X, in solita audientia R. P. D. Adessori supremæ sacræ Congregationis sancti Officii, feria V, die 12 junii 1913, impertita, votum Emorum Patrum ratum habens, ad propositum dubium res-

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. V, 1913, p. 304.

pondendum decrevit: « Negative ». Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S. M. Card. Rampolla.
† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

IV

DECRETUM seu DECLARATIO (1).

Circa pia objecta a summo Pontifice benedicta.

Die 12 junii 1913.

SSmus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Adsessori supremæ Congregationis sancti Officii impertita, benigne declarare dignatus est Indulgentias, quas Ipse solet adnectere crucibus, crucifixis, rosariis, coronis, ss. numismatibus et parvis statuis, Sibi a fidelibus porrectis, illas tantummodo esse intelligendas, quæ in elencho, a sacra Congregatione Indulgentiarum die 28 augusti 1903 edito, recensentur, quæque apostolicæ nuncupantur; nisi expressis verbis significet, alias insuper velle adnectere, v. gr. S. Birgittæ, vel Crucigerorum, specifice ac nominatim eas designando. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S. M. Card. Rampolla.
† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

V

Extensio indultorum circa Absolutiones generales tertii Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci (2).

Beatissime Pater,

Procurator generalis Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus, humiliter exponit, ut sequitur:

Rescripto Sacræ Congregationis Indulgentiarum, die

(1) *Acta Apost. Sedis*, l. c., p. 305.
(2) *Acta Apost. Sedis*, t. V, 1913, p. 306 sq.

16 januarii 1886, Tertiarii sæculares S. P. Francisci, legitime impediti quominus ecclesiam adeant, Absolutionem generalem, diebus assignatis, qui profesti sunt, accepturi, eam accipere valent die festo de præcepto, qui intra octiduum eorum profestorum dierum occurrat. Item, alio Rescripto ejusdem sacræ Congregationis, 21 julii 1888, iidem Tertiarii Absolutionem generalem pridie festi, post expletam sacramentalem confessionem recipere valent.

Ex illis autem duobus Rescriptis patet, præfata indulta Tertiariis sæcularibus S. P. Francisci concessa fuisse pro illis Absolutionibus generalibus quæ illo tempore in indice indulgentiarum ejusdem Tertii Ordinis recensentur, seu quæ ipsis directe concessæ fuerunt.

Sed cum hodie iidem Tertiarii, vi Litterarum apostolicarum diei 5 maii 1909 et Rescripti diei 17 maii 1909, communicatione omnium indulgentiarum et fructuum spiritualium cum I et II Ordine S. Francisci fruantur, ideoque vi hujus communicationis etiam jus habeant ad illas Absolutiones generales et Benedictiones papales, quæ I et II Ordini S. Francisci indultæ sunt; idcirco.

Orator Sanctitatem Vestram humiliter supplicat, ut præfata Indulta, Rescriptis sacræ Congregationis Indulgentiarum die januarii 1886 et die 21 julii 1888 concessa, extendere dignetur pro eisdem Tertiariis ad Absolutiones generales, quas ipsi vi communicationis indulgentiarum cum I et II Ordine lucrari valent.

Et Deus, etc.

Die 12 junii 1913.

SSmus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Adsessori sancti Officii impertita, benigne annuit pro gratia juxta preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

L. ✠ S.

M. Card. Rampolla.
† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

S. C. de disciplina Sacramentorum

ROMANA ET ALIARUM.

Dubiorum super Missæ celebratione in oratoriis privatis (1).

Postquam sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, Motu Proprio « *Supremi disciplinæ* » de diebus festis, die 2 julii 1911 dato, festos dies ex Ecclesiæ præcepto servandos imminuit, et sacra Rituum Congregatio Decretum Urbis et Orbis « *Evulgato Motu Proprio* » die 24 ejusdem mensis julii edidit, sequentia dubia huic sacræ Congregationi de Sacramentis proposita sunt:

I. An Missa in Oratoriis privatis prohibita sit diebus festis Commemorationis solemnis S. Joseph, Annuntiationis B. M. V., Commemorationis solemnis sanctissimi Corporis D. N. J. C. et in festo Patroni cujusque loci, quum non sint de præcepto;

II. An prohibita censeatur in festo SS^mæ^ Trinitatis, in Dominica infra Octavam Corporis Christi et in Dominica qua celebratur Nativitas S. Joannis Baptistæ.

Quibus dubiis eminentissimi ac reverendissimi hujus sacræ Congregationis Cardinales, in plenario cœtu die 4 mensis aprilis 1913 habito, responderunt:

Negative ad utrumque.

Hanc vero responsionem Sanctitas Sua in audientia ab infrascripto Secretario, die 5 ejusdem mensis aprilis habita, ratam habere et confirmare dignata est.

Datum Romæ, e Secretaria sacræ Congregationis de Disciplina Sacramentorum, die 11 aprilis 1913.

D. Card. Ferrata, *Præfectus*.
Ph. Giustini, *Secretarius*.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1913, tom. V, p. 183.

S. Pœnitentiaria Apostolica

DECLARATIO CIRCA JUBILÆUM (1).

Proposita nuper est huic sacræ Pœnitentiariæ quæstio: « An Jubilæum indictum litteris apostolicis *Magni faustique* » *eventus,* datis die 8 martii hujus anni, pluries acquiri possit, » si injuncta opera repetantur ».

Re mature perpensa, eadem sacra Pœnitentiaria, de mandato SSmi D. N. Pii Papæ X, ad quæsitum propositum respondendum esse decrevit, prout alias, occasione præcedentium jubilæorum, declaratum est, nempe:

Prædictum Jubilæum, quoad plenariam indulgentiam, bis aut pluries acquiri posse, injuncta opera bis aut pluries iterando; semel vero, idest prima tantum vice, quoad ceteros favores, nempe absolutiones a censuris et a casibus reservatis, commutationes aut dispensationes.

Datum Romæ in sacra Pœnitentiaria, die 6 junii 1913.

S. Card. Vannutelli, *Major Pœnitentiarius.*
I. Palica, *S. P. Secretarius.*

Adnotatio. Ad hanc solutionem quam supra (2) probabiliorem dicebamus, duo breviter adnotamus: 1° favores jubilæi præter indulgentiam semel seu prima tantum vice participari possunt, id est in ordine ad primam tantum indulgentiæ jubilaris consecutionem, non vero ad alteram aut tertiam, quamvis in ordine ad hanc primam indulgentiam pluries iis facultatibus uti possit confessarius usquedum pœnitens omnibus operibus absolutis indulgentiam acquisierit (3). 2° Inter favores illos qui iterari non possunt non venit facultas commutandi opera injuncta aut dispensandi cum pueris super communione. Quemadmodum pro prima ita quo-

(1) *Acta Apost. Sedis,* 1913, t. V, p. 279.
(2) Hoc tomo p. 402.
(3) Cfr. s. p. 469.

que pro altera aut tertia jubilæi consecutione ea uti potest confessarius. Imo frequentius aderit necessitas commutandi quædam opera, v. g. visitationem ecclesiæ propriæ (1) aut eleemosynam (2). Ita benigne interpretandum censemus favorabile hoc decretum.

A. LEGRAND.

S. Congregatio Indicis

I

Decreto 16 junii 1913 (3) in Indicem librorum prohibitorum relata sunt hæc opera :

LUIGI RENZETTI, *Lotte umane; romanzo di vita russa*. Roma, 1911.

SEBASTIAN MERKLE, *Vergangenheit und Gegenwart der katholisch-theologischen Fakultäten* (« *Akademische Rundschau* ». Leipzig, oct. et nov. 1912).

L. LABERTHONNIÈRE, *Sur le chemin du catholicisme*, Paris, 1913.

— *Le témoignage des martyrs*. Ibid., 1912.

STÉPHEN COUBÉ, *Ames juives*. Paris, s. a.

M. D. PETRE, *Autobiography and life of George Tyrrell*. London, 1912.

H. A. VAN DALSUM, *Er is geene tegenstelling tusschen de beginselen van de fransche Revolutie en die van het Evangelie*. 'S-Gravenhage, 1912.

II

Henricus Brémond Decreto hujus S. Congregationis, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est (4), laudabiliter se subjecit.

---

(1) Ita v. g. in favorem ægrotantium qui hic et nunc impediuntur a visitatione ecclesiæ propriæ.

(2) Eleemosynâ proportionata facultati semel præstitâ haud raro locus erit commutandi hoc opus si iteratio ejus sit moraliter impossibilis.

(3) *Acta. Apost. Sedis*, 1913, t. V, p. 276.

(4) Cfr. supra p. 471.

S. Congregatio Rituum

DECRETUM (1).

De precibus in fine Missæ recitandis.

A nonnullis locorum Emis Ordinariis, sacrorum Rituum Congregationi sequens quæstio, pro opportuna solutione, proposita fuit; nimirum:

An, attentis S. R. C. Decretis n. 3697, Ordinis *Min. Capuccinorum*, 7 decembris 1888 ad III, de Missa Conventuali sine cantu, et n. 4271 *Baionen.*, 8 junii 1911 ad II, de Missa votiva lecta S. Cordis Jesu, prima feria VI cujusvis mensis, etiam aliqua similis Missa lecta, ex. gr. occasione primæ communionis, aut communionis generalis, sacræ confirmationis vel ordinationis aut pro sponsis, haberi possit uti solemnis; eique applicari valeant præfata decreta quoad Preces in fine Missæ, a Summo Pontifice præscriptas, omittendas?

Et sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis liturgicæ suffragio, omnibus accurate perpensis ita rescribendum censuit: « *Affirmative*, si Missa cum aliqua solemnitate celebretur, vel Missam, quin celebrans ab altari recedat, immediate ac rite subsequatur aliqua sacra functio seu pium exercitium ».

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 20 junii 1913.

L ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus*.
† Petrus La Fontaine, Ep. Chalyst., *Secretarius*.

Adnotanda. In duobus decretis in dubio citatis, nn. 3697 (lege tamen potius *ad VII* quam *ad III*) et 4271, ad II, necnon in decreto n. 4177, ad II, (collato etiam n. 2740, 7) jam explicite statutum fuerat preces a Leone XIII præscriptas esse omittendas tam post conventuales missas lectas (2740, 7; 3679, 7; 4177, 2) quam post votivam privilegiatam de SS. Corde

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. V, 1913, p. 311.

lectam in prima feria VI^a mensis (4271, 2). Ratio autem est *solemnitas quædam intrinseca,* ratione cujus gaudent præfatæ missæ quibusdam privilegiis et debent regulariter celebrari solemniter aut saltem in cantu, ita ut censeantur per fictionem juris solemniter cantatæ, etiamsi per accidens aut ex privilegio tantummodo legantur.

Ob identitatem vel paritatem rationis, præfatæ declarationes merito extensæ fuerunt ab auctoribus ad alias missas simili solemnitate intrinseca gaudentes. Hujusmodi sunt v. g. missa ordinationis, quæ semper est aut censetur missa conventualis; missa exequialis quæ de se debet cantari sed ex privilegio v. g. pro paupere potest celebrari sine cantu; missa publica parochialis lecta, quæ aliquatenus æquiparatur missæ conventuali.

Ast præsens decretum, has deductiones non tantum probat, sed regulam statutam multum *extendit.* Dum enim antea ut solemnes habebantur missæ gaudentes aliqua solemnitate instrinseca ipsi missæ inhærenti, nunc ut solemnes in materia præsenti haberi possunt missæ lectæ quæ, licet nec publicæ nec intrinseca solemnitate gaudentes, celebrantur tamen « cum aliqua *solemnitate* » *extrinseca,* aut quas « immediate ac rite subsequitur aliqua sacra functio seu pium exercitium ». Supponitur sane hanc solemnitatem aut etiam subsequens exercitium ipsam missæ celebrationem afficere.

Hujusmodi sunt missæ lectæ occasione primæ, aut « solemnis », aut generalis communionis, sacramenti confirmationis, aut pro sponsis. Item prima missa neopresbyteri, missa occasione alicujus jubilæi anniversarii, aut cujusdam professionis vel vestitionis religiosæ, missa expositionis SS. Sacramenti in Adoratione perpetua, missa coram exposito SS. Sacramento, saltem si statim subsequitur benedictio Sanctissimi, missa pro defunctis quam subsequitur absolutio ad tumulum vel ad feretrum; item forte missa illa post quam jubet Ordinarius recitare preces in honorem SS. Cordis, etc.

C. Callewaert.

Commissio Pontificia de re biblica

I

De auctore, de tempore compositionis et de historica veritate libri Actuum Apostolorum (1).

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit:

I. Utrum perspecta potissimum Ecclesiæ universæ traditione usque ad primævos ecclesiasticos scriptores assurgente, attentisque internis rationibus libri Actuum sive in se sive in sua ad tertium Evangelium relatione considerati et præsertim mutua utriusque prologi affinitate et connexione (*Luc.*, I, 1-4; *Act.*, I, 1-2), uti certum tenendum sit volumen, quod titulo Actus Apostolorum, seu Πράξεις Ἀποστόλων, prænotatur, Lucam evangelistam habere auctorem?

R. Affirmative.

II. Utrum criticis rationibus, desumptis tum ex lingua et stylo, tum ex enarrandi modo, tum ex unitate scopi et doctrinæ, demonstrari possit librum Actuum Apostolorum uni dumtaxat auctori tribui debere; ac proinde eam recentiorum scriptorum sententiam, quæ tenet Lucam non esse libri auctorem unicum, sed diversos esse agnoscendos ejusdem libri auctores, quovis fundamento esse destitutam?

R. Affirmative ad utramque partem.

III. Utrum, in specie, pericopæ in Actis conspicuæ, in quibus, abrupto usu tertiæ personæ, inducitur prima pluralis *(Wirstücke)*, unitatem compositionis et authenticitatem infirment; vel potius historice et philologice consideratæ eam confirmare dicendæ sint?

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

IV. Utrum, ex eo quod liber ipse, vix mentione facta biennii primæ romanæ Pauli captivitatis, abrupte clauditur, inferri liceat auctorem volumen alterum deperditum con-

(1) *Acta Apost. Sedis*, tom. V, 1913, p. 291.

scripsisse, aut conscribere intendisse, ac proinde tempus compositionis libri Actuum longe possit post eamdem captivitatem differri; vel potius jure et merito retinendum sit Lucam sub finem primæ captivitatis romanæ apostoli Pauli librum absolvisse?

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

V. Utrum, si simul considerentur tum frequens ac facile commercium quod procul dubio habuit Lucas cum primis et præcipuis ecclesiæ Palæstiniensis fundatoribus nec non cum Paulo gentium Apostolo, cujus et in evangelica prædicatione adjutor et in itineribus comes fuit; tum solita ejus industria et diligentia in exquirendis testibus rebusque suis oculis observandis; tum denique plerumque evidens et mirabilis consensus libri Actuum cum ipsis Pauli epistolis et cum sincerioribus historiæ monumentis; certo teneri debeat Lucam fontes omni fide dignos præ manibus habuisse eosque accurate, probe et fideliter adhibuisse: adeo ut plenam auctoritatem historicam sibi jure vindicet?

R. Affirmative.

VI. Utrum difficultates quæ passim objici solent tum ex factis supernaturalibus a Luca narratis; tum ex relatione quorumdam sermonum, qui, cum sint compendiose traditi, censentur conficti et circumstantiis adaptati; tum ex nonnullis locis ab historia sive profana sive biblica apparenter saltem dissentientibus; tum demum ex narrationibus quibusdam, quæ sive cum ipso Actuum auctore sive cum aliis auctoribus sacris pugnare videntur; tales sint ut auctoritatem Actuum historicam in dubium revocare vel saltem aliquomodo minuere possint?

R. Negative.

II

De auctore, de integritate et de compositionis tempore epistolarum pastoralium Pauli apostoli (1).

Propositis pariter sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit:

I. Utrum præ oculis habita Ecclesiæ traditione inde a

(1) *Acta Apost. Sedis*, tom. V, 1913, p. 292.

primordiis universaliter firmiterque perseverante, prout multimodis ecclesiastica monumenta vetusta testantur, teneri certo debeat epistolas quæ pastorales dicuntur, nempe ad Timotheum utramque et aliam ad Titum, non obstante quorumdam hæreticorum ausu, qui eas, utpote suo dogmati contrarias, de numero paulinarum epistolarum, nulla reddita causa, eraserunt, ab ipso apostolo Paulo fuisse conscriptas et inter genuinas et canonicas perpetuo recensitas?

R. Affirmative.

II. Utrum hypothesis sic dicta fragmentaria, a quibusdam recentioribus criticis invecta et varie proposita, qui, nulla ceteroquin probabili ratione, immo inter se pugnantes, contendunt epistolas pastorales posteriori tempore ex fragmentis epistolarum sive ex epistolis paulinis deperditis ab ignotis auctoribus fuisse contextas et notabiliter auctas, perspicuo et firmissimo traditionis testimonio aliquod vel leve præjudicium inferre possit?

R. Negative.

III. Utrum difficultates quæ multifariam objici solent sive ex stylo et lingua auctoris, sive ex erroribus præsertim Gnosticorum, qui uti jam tunc serpentes describuntur, sive ex statu ecclesiasticæ hierarchiæ, quæ jam evoluta supponitur, aliæque hujuscemodi in contrarium rationes, sententiam quæ genuinitatem epistolarum pastoralium ratam certamque habet, quomodolibet infirment?

R. Negative.

IV. Utrum, cum non minus ex historicis rationibus quam ex ecclesiastica traditione, SS. Patrum orientalium et occidentalium testimoniis consona, necnon ex indiciis ipsis quæ tum ex abrupta conclusione libri Actuum tum ex paulinis epistolis Romæ conscriptis et præsertim ex secunda ad Timotheum facile eruuntur, uti certa haberi debeat sententia de duplici romana captivitate apostoli Pauli; tuto affirmari possit epistolas pastorales conscriptas esse in illo temporis spatio quod intercedit inter liberationem a prima captivitate et mortem Apostoli?

R. Affirmative.

Die autem 12 junii anni 1913, in audientia infrascripto R^mo^ Consultori ab Actis benigne concessa, SS^mus^ Dominus

noster Pius Papa X prædicta responsa rata habuit ac publici juris fieri mandavit.

Romæ, die 12 junii 1913.

L. ✠ S. LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Consultor ab Actis.

CONSULTATIO

Quæritur. Persona pia quæ emisit actum heroicum charitatis optatur lucrari pro se indulgentiam jubilæi. An et quomodo hoc valet?

Respondetur breviter a/ stante actu heroico, impossibile est quamvis indulgentiam sibi reservare;

b/ ipse autem actus pro lubitu revocari potest, cessantque indulgentiæ pro vivis applicari defunctis.

Paucis utrumque explicamus.

a/ Primum patet recolenti notionem actus heroici: est nimirum actus quo fidelis « in suffragium defunctorum divinæ Majestati offert omnes indulgentias, quas vivens lucrari potest, necnon omnia sua opera satisfactoria et etiam suffragia sibimet post mortem conferenda (1). » Nemo autem potest simul omnibus renuntiare et simul aliquid sibi reservare.

b/ Decretum S. C. Indulgentiarum 20 februarii 1907 declaravit actum heroicum semper, quando id fideli libuerit, revocari posse (2) Qui igitur velit sibi reservare indulgentiam jubilæi, retractet actum heroicum, illum postea renovaturus, si ita ipsi placuerit. Non tamen posset illum renovare cum intentione postea iterum retractandi, ut patet ex notione supra descripta, siquidem hæc non esset renuntiatio omnibus indulgentiis.

A. LEGRAND.

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XII, 1907, p. 774: decretum S. C. Indulg. 20 februarii 1907. Qui plura velit circa hunc actum heroicum relegat *Collat. Brug*, t. VI, 1901, p. 376 ss. et 495.

(2) Vide *Collat. Brug.*, t. XII, l. c. — Inde patet actum heroicum non stricto sensu vocari *votum*.

OPERA IN PSALMOS

Amelli, A. M. O. S. B. *Liber psalmorum juxta antiquissimam latinam versionem nunc primum ex Casinensi cod. 557..... in lucem profertur.* Romæ, Pustet, 1912. In-8°, pp. XXXVI-176; adduntur quatuor tabulæ typographicæ.

Belli, M. *Psalterium davidicum secundum textum hebraicum et Vulgatam versionem in usum scholarum et clericorum divinum officium recitantium breviter explanatum.* Taurini, Marietti, 1912. In-12°, pp. VIII-372. Pr. 3,50 Fr.

Psalterium Davidis cum succincta paraphrasi ex Bellarmini commentario deprompta. Nova editio. Taurini, Marietti, 1910. In-12°, pp. 736. Pr. 4 Fr.

Knabenbauer, J. S. J. *Commentarii in Psalmos.* Parisiis, Lethielleux, 1912. In-8°, pp. 492. Pr. 10 Fr.

Pannier, E. *Le Nouveau Psautier du Bréviaire Romain.* Lille, Giard, 1913. Pet. in-8°, pp. XXVI-360. Pr. 4 Fr.

Fillion, L. Cl. P. S. S. *Le Nouveau Psautier du Bréviaire Romain.* Troisième édition, Paris, Lecoffre-Gabalda, 1913. In-12°, pp. 536. Pr. 3,50 Fr.

Lesêtre, H. *Les Psaumes du Bréviaire traduits de l'Hébreu.* Paris, Lethielleux, s. d. In-16°, pp. XII-412. Pr. 2 Fr.

Compaing, R. *Le livre de la prière inspirée, les Psaumes traduits en vers français d'après l'original.* Paris, Beauchesne, 1913. In-12°, pp. XIII-309. Pr. 3,50 Fr.

De Lepeleer, E. *De Pinksterpsalmen.* Gent, Huyshauwer en Scheerder, 1913. In-12°, pp. VI-18.

Arndt, A. S. J. *Das Buch der Psalmen. Lateinisch und deutsch mit erklärenden Anmerkungen.* Regensburg, Pustet, 1910. In-24, pp. VIII-480.

Leimbach, K. A. *Die Psalmen, übersetzt und kurz*

erklärt. Fulda, 1909 et 1910. 2 vol. In-8°, pp. XVIII-208 et 192. Pr. 3 M.

Notum est, jam ab a. 1907, Pii X mandato obsequentes et præside abb. Gasquet, Patres ordinis S. Benedicti allaborare revisioni *Vulgatæ Hieronymianæ,* et undique colligere variarum lectionum messem copiosam. Porro necessarium visum est ut simul statuerent quibusnam textibus latinis antiquioribus ipse S. Hieronymus usus fuerit. In hunc finem conati sunt sibi procurare omnes textus hujusmodi hucusque forte editos, et simul allaborant ut et alios adhuc inquirant et publicent, in collectione cui titulus *Collectanea Biblica latina cura et studio Monachorum S. Benedicti.*

Primum hujus collectionis volumen prodiit cura P. **Amelli.** In bibliotheca Montis Cassini invenit codicem, s. XII adscribendum, in quo præter alia, occurrit *quadruplex psalterium:* 1° textus versionis quam S. Hieronymus fecit juxta *textum hebraicum;* 2° textus psalterii *gallicani;* 4° textus psalterii *romani* (1); 3° loco venit textus ignoti auctoris, quem textum Amelli hic edit et commentariis illustrat.

Quod *ætatem* spectat, variis indiciis orthographicis et paleographicis, sicut et philologicis ostendit Auctor versionem hanc saltem ante s. VI esse reponendam. Quoad *fontes* vero a quibus ipsa pendet, æstimat ipsam pro majori parte exhibere ipsam versionem *africanam* ex LXX factam, qua usi sunt Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, emendatam juxta textum hebraicum, et juxta Hexapla, potissimum juxta textum Aquilæ et Symmachi. — Quod *auctorem* hujus recensionis spectat, Auctor conjecturando proponit Rufinum Aquileiensem, cujus *scopus* fuisse videtur africani Psalterii versionem conservare in iis quæ a textu hebraico vel ab hexaplari lectione non multum discreparent.

Post hanc Introductionem (pp. XXXVI), sequitur ipse *textus,* cujus hic speciminis gratia subjicimus textum ps. 136. textui Vulgatæ juxtapositum. *Cursive* scribimus mirum illud *cum* quo redditur particula hebraica *'et*, accusativum reddens.

---

(1) De hoc triplici textu conferatis *Collat. Brug.*, t. XVII, pp. 649 ss., et opus nostrum: *Psalmi et Cantica Breviarii explicata in ordine ad recitationem Breviarii* (Brugis, 1913), p. XVII s.

1. Super flumina babilonis ibi sedimus et flevimus in commemoratione *cum* sion. 2. Ad occasas in medio ejus suspendimus citharas nostras. 3 Quoniam ibi spoponderunt captivantes nos sermones cantici et pependerunt jucunditates cantici nostri ex cantico sion. 4. Quoniam modo cantemus *cum* cantico domini super arvas peregrinas. 5. Si enim obliviscar jerusalem obliviscatur me dextera mea. 6. Adhereat lingua mea faucibus meis si non meminerim nisi non preordinavero *cum* hierusalem super caput gaudii mei. 7. Memor esto domine filiorum edom *cum* diem jerusalem. Dicentibus aurite aurite donec fundamentum impa [in ea]. 8. Filia Babylonis misera beatus qui restituit tibi *cum* retributione tua quam retribuisti nobis. 9. Beatus apprehendens et adlidens *cum* parvulis tuis super petra.

1. Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus: cum recordaremur Sion: 2. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. 3. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum: Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion. 4. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? 5. Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea. 6. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui: Si non proposuero Jerusalem, in principio lætitiæ meæ. 7. Memor esto Domine filiorum Edom, in die Jerusalem: Qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea. 8. Filia Babylonis misera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam: quam retribuisti nobis. 9. Beatus, qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram.

Post textum sequuntur varii *appendices*, et in specie disquisitio in *ps. XXI*, quorum omnium finis est illustrare et confirmare conclusiones in Introductione propositas et quas supra indicavimus.

Hoc primum volumen proxime insecturæ promittuntur variæ sive commentationes sive textuum editiones, cura RR. DD. Gasquet, Amelli, De Bruyne, Quentin, Manser; inter alia cura D. Quentin edetur Psalterium Sangermanense.

Hisce omnibus, sicut et aliis longe majoribus studiis quæ ad textum ipsius Vulgatæ magis directe spectant, apparet revisionem Vulgatæ non tam cito et nonnisi ingentibus expensis esse absolvendam. Initio quidem æstimabant opus per 8-10 annos forte duraturum, et expensas circiter 25,000 fr. fore (1); ast hodie jam compertum est opus tempus multo longius expensasque multo ampliores esse requisiturum (2).

*
* *

Interea tamen, usquedum textus revisus et correctus edatur, singulo sacerdoti singula die incumbit psalmos et cantica recitare juxta eum textum quem in Vulgata nostra legimus. Hunc autem quotquot Breviarium recitant experientia noverunt minime in omnibus esse facilem et apertum. Unde opportuno tempore edita fuerunt varia opera in psalmos supra enumerata.

Opus **M. Belli** in *introductione* (17 pag.), generales quasdam notiones refert circa auctorem, divisionem, inscriptiones psalmorum et alia hujusmodi; nonne insufficientia videbuntur quæ vix una pagina habet de stylo Vulgatæ (pp. 16 s.)? — Sub titulo *Explanationes* veniunt, ordine Vulgatæ, psalmi omnes quorum singula vice brevissime refertur argumentum, occasio et textus ipse: textus Vulgatæ *cursivis* impressus est, in eumque aliis caracteribus inseruntur breves, imo interdum nimis forte breves vel nullæ, explicationes. Intuitu scopi sui optimum erit in proxima editione referre textum eumque explicatum, non tantum psalmorum sed etiam *canticorum* quæ in officio recitantur. Et nonne opportunum esset textum typographice disponere per versus et versuum membra parallela, et frequentius quam facit psalmos sicut et cantica per strophas seu sectiones distribuere?

Ab eadem typographia Marietti prodiit *Psalterium Davidis cum paraphrasi ex Bellarmino desumpta*. Deest operi introductio; singuli psalmi datur compendium valde succinctum, dein explicatio satis evoluta, et quæ textui Vulgatæ stricte inhæret nec textus originalis vel versionum antiquarum rationem

---

(1) Cfr. *La Révision de la Vulgate. Exposé de la question et état des travaux* (Rome, Coll. S. Anselme, 1909).

(2) Cfr. *La Révision de la Vulgate. Second rapport* (1911).

habet: hæc paraphrasis, desumpta potissimum ex commentario Bellarmini, repletur multis animadversionibus sensui spirituali et pietati alendæ valde accommodatis.

Opus a P. **Knabenbauer** conscriptum, locum sumit in notissima collectione *Cursus Scripturæ sacræ* edita a PP. Cornely, Knabenbauer, de Hummelauer, aliisque Soc. Jesu presbyteris. Quæstiones præliminares multo magis exiguæ sunt quam exspectares — 16 pp. absolvuntur — eo quod latius tractatæ fuerant a P. Cornely in volumine ejusdem collectionis: *Introductio specialis in V. T. libros sacros* (vol. II, 2, pp. 1-132, a. 1887). Multam fidem non habet A. in varia systemata quæ circa metricam constitutionem versus hebræi proposita fuerunt; — in fine bibliographiam tam catholicam quam protestanticam et rationalisticam prosequitur usque ad a. 1910. — Ipse *commentarius* primo refert textum Vulgatæ strophis et versibus distributum, deinde psalmi explicationem, nexum logicum idearum et rariores adnotationes criticæ textualis.

Varia edita fuerunt opera in quibus exhibetur *versio gallica* textus psalmorum. Præ aliis præclarum est opus jam a. 1908 editum a **Pannier**, *Psalterium juxta hebraicam veritatem. — Les psaumes d'après l'hébreu en double traduction* (latina et gallica), et nunc denuo editum quoad textum gallicum: et hoc quidem dolemus in hac editione suppressum esse non tantum versionem latinam textus hebraici sed ipsum quoque textum Vulgatæ; ad usum enim practicum expedit juxtapositos invenire versionem ipsam et textum cujus versio est. *Introductio* præbet textum gallice translatum constitutionis *Divino afflatu,* decreti quoque Comm. Bibl. circa auctorem et ætatem psalmorum, et breves quasdam indicationes circa textum et versiones Psalmorum, eorum dispositionem primitivam et adaptationem ad novum Breviarium. Quod ipsum textum spectat, opportuno modo distribuuntur psalmi et cantica ordine novi nostri psalterii; singulo psalmo vel cantico brevis introductio præmittitur, ipseque textus strophis, versibus et membris parallelis distribuitur. — Nonne fuisset magis opportunum, attento ipso fine ab Auctore intento, pro iis locis ubi Vulgata ipsa notabiliter quidem a textu hebraico discrepat, sed tamen ipsa sensum in se et in

contextu possibilem præbet, sequi hunc textum Vulgatæ, ad calcem paginæ rejecta versione textus hebraici? Sane optimum esset dum recitamus psalmos et cantica, mente intelligere sensum textus *originalis*, utpote qui solus a Deo fuit inspiratus: sed *practice* res facilis non erit textui cuidam latino adnectere sensum in eo nullomodo reperiendum. Imo pro variis textibus, nonne fieri poterit textum Vulgatæ fidelius quam textum nostrum hebraicum referre *sensum originalem?*

Opus quoque **Fillion** recitantibus Breviarium multum commendandum videtur. Est abbreviatio et adaptatio majoris operis quod idem auctor ediderat a. 1893: *Les Psaumes commentés d'après la Vulgate et l'Hébreu,* (Paris), 664 pp. Pauciora habet introductoria; ipse quoque psalmos et cantica disponit ordine novi nostri psalterii, singulorumque indicat ad calcem paginæ argumentum, occasionem et divisiones: has divisiones utiliter in ipsum textum inseruisset. Textum latinum ejusque versionem gallicam exhibet, utrumque juxta regulas parallelismi opportuno modo dispositum. Versio facta est juxta ipsam Vulgatam, et discrepantiæ a textu hebraico in fine paginæ adnotantur; quod tamen spectat *tempora verborum* quæ ut notum est in Vulgata tam frequenter apta non sunt, Auctor non raro, et nostro judicio, nondum satis frequenter, in versione sua ea sequitur quæ *sensus* ipse requirit.

H. Lesêtre in suo opere *Les Psaumes du Bréviaire traduits de l'Hébreu,* exhibet versionem, in nonnullis revisam, quam jam a. 1893 dederat in majori suo opere *Le Livre des Psaumes.* Sequitur et ipse ordinem novi psalterii, textumque latinum cum rarioribus adnotationibus ad calcem paginarum præbet. — Dolendum est Auctorem operi suo non addidisse traductionem et explicationem *canticorum* quæ in officio recitantur; Auctor æstimat plerosque fuisse directe ex textu hebraico translatos in linguam latinam adeoque paucas tantum præbere incorrectiones; sed nonne satis difficilia sunt plura saltem cantica, puta *canticum Ezechiæ* (Is. XXXVIII, 10-20), *canticum Habacuc* (III, 1-19), *canticum Moysis* (Deut XXXII, 1-42), ita ut æque opportune ac psalmi explicari debuissent?

Versio gallica quam scripsit **Compaing**, ordinarie satis

fideliter refert sensum textus hebraici, sed ut natum erat fieri, ipsa translatio « *en vers français* » Auctorem non raro coegit ut in accidentalibus a textu originali discederet, phrasim contorquendo nonnullaque hinc inde ad versum complendum addendo.

Ejusdem indolis est opusculum, vere egregium quod conscripsit Dr **E. De Lepeleer**, *De Pinsterpsalmen,* in quo, juxta textum hebraicum, per strophas et versus et versuum membra, neerlandice vertit tres psalmos XLVII, LXVII et CIII, quos recitamus per octavam Pentecostis, ad Matutinum, et quos experientia novimus merito inter difficillimos computari. Illud opusculum multum commendamus.

Duo opera ultimo loco citata referunt psalmorum versionem *germanicam;* unum, conscriptum ab **A. Arndt,** juxta textum Vulgatæ, cum brevibus adnotationibus circa sensum textus hebraici ubi a Vulgata differt, vel circa applicationes psalmorum liturgicas aut asceticas; alterum, conscriptum a **K. A. Leimbach**, juxta textum hebraicum, additis hinc inde paucis correctionibus textualibus, potissimum juxta versionem LXX et Vulgatam: singulo psalmo additur explicatio quædam, valde obvia, in qua potissimum processus logicus idearum in lucem ponitur. Hoc ultimum opus editum est in collectione *Biblische Volksbücher*, *Ausgewählte Teile des Alten Testaments.*

*
* *

Varia opera hucusque recensita ex optimo fine composita fuerunt, potissimum ut sacerdotibus expeditum præstent medium perveniendi ad congruam aliquam intelligentiam psalmorum et canticorum quæ quotidie recitanda habent. Nihilominus manebunt difficultates perplures et magnæ. Quare, ut alibi notabamus (1) *optandum* est ne revisio Vulgatæ a Patribus Ordinis S. Benedicti tanto zelo suscepta, quod textum psalmorum spectat, ad editionem textus primitivi psalterii gallicani, qualis fuit a S. Hieronymo conscriptus, restringatur. Sane, in universa re criticæ textualis,

(1) *Psalmi et cantica....,* p. XIX.

maximi pretii foret hujusmodi restitutio; sed tamen ex tota historia textus hebraici et versionum antiquarum, ex ipsaque origine textus Vulgatæ, intelligitur quod textus psalmorum, etsi restitueretur in ea forma qua ab Hieronymo fuit primitus editus, in multis tamen maneret imperfectus et obscurus. Cæteroquin notum est ipsum S. Hieronymum, postquam una et altera vice textum psalterii qualis in Vetere Itala occurrebat emendaverat, conscium imperfectionum operis sui, ex integro novam versionem ex textu hebraico comparasse. Hæc tamen versio, etsi præcedentibus multo præstantior, ab Ecclesia non fuit admissa, propter motivum ordinis practici, ne nimis turbarentur consuetudines populi christiani, anterioribus textibus assueti et juxta eos, sæpe ex memoria, psalmos recitantis vel canentis. Hujusmodi motiva practica hodie jam non existunt; populus jam non legit aut non intelligit aut memoriter non recitat textum latinum psalmorum. Quare optandum est parari novam versionem latinam juxta textum originalem, in quantum iste hodie restitui potest confectam: sic enim sacerdotes omnesque ministri sacri multo facilius sensum suorum psalmorum attingerent, et eum quidem sensum qualis fuit sub divina inspiratione conscriptus, sicque multo majori attentione, devotione et fructu spirituali præclaras illas orationes divinas recitare possent (1).

A. VANDER HEEREN.

---

(1) In hunc sensum quoque scripsit DESNOYERS, in *Bulletin de Littérature ecclésiastique de Toulouse* (1913, p. 91): « Mais pourquoi un pape de nos jours, renouvelant et complétant l'initiative de Saint Damase, ne substituerait-il pas à cette version trop imparfaite (la Vulgate), dont la prière publique est la première à pâtir, une traduction exacte et claire?... Si l'on peut prier sans comprendre la formule qu'on récite, on le pourrait pour le moins aussi bien en prononçant des paroles intelligibles. Le jour où l'Église publierait une version officielle plus conforme au texte inspiré, personne ne récriminerait comme au temps de Saint Jérôme, et elle serait bénie pour avoir répondu à un vœu obscur de tous les prêtres catholiques ».

MUTATIONES IN BREVIARIO

Typis polyglottis Vaticanis edidit nuperrime S. Cong. Rituum, decreto diei 11 junii 1913 a SS. D. N. Pio Pp. X probatas: *Mutationes in Breviario et Missali Romano ad normam Constitutionis Apostolicæ* Divino afflatu *et S. R. C. recentium decretorum. Pars I: In Breviario* (in 4°, 145 pp.).

Mutationes quæ in hoc fasciculo exhibentur sunt applicationes eorum quæ his ultimis temporibus decreta fuerunt, et quando respectivis suis locis in nova Breviaria inserta fuerint, recitationem Officii quotidiani juxta novas regulas facillimam reddent. Multo minus attingunt formulas precum recitandarum quam textum rubricarum, quas rarius substantialiter mutant (1) sed sæpius ad majorem facilitatem complent aut meliori ordine digerunt. Respiciunt potissimum typographos qui novas parant Breviarii editiones.

Notatu in specie dignum est omittenda esse deinceps in Breviario Romano *Officia pro aliquibus locis*, quæ proinde inserenda erunt in *Proprio* illarum diœcesium pro quibus conceduntur.

Practice ergo suadendum est ut sacerdotes a novis Breviariis et Missalibus sibi comparandis ad aliquod tempus abstineant.

C. CALLEWAERT.

---

1) Sunt tamen nonnulla nova, v. g. de influxu duplicis commemorati quoad omissionem suffragii et precum; sunt conclusiones nunc longæ in Parvo officio B. M. Virginis, etc.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

R. P. Alphonse de la Mère des Douleurs, C. D. *Pratique de l'Oraison mentale et de la Perfection d'après S. Thérèse et Saint Jean de la Croix.* T. IV, 2e édition. Bruges, Desclée, De Brouwer et Cie [1913]. In-12, 347 p.

Notre revue a signalé l'apparition des tomes précédents et en a recommandé la lecture (1). Le tome nouveau mérite la même attention et pour le même motif, qui est de mettre à la portée de tous un recueil des plus beaux textes de S. Thérèse et de S. Jean de la Croix. Et que le sujet indiqué en sous-titre : « Voie illuminative, deuxième partie, la contemplation divine acquise » n'effraie personne. Il ne s'agit pas ici de cette contemplation extraordinaire où Dieu seul opère, enlevant l'âme passive par des charismes mystérieux. Il s'agit d'une contemplation, surnaturelle et infuse sans doute, mais qu'on appelle ordinaire ou acquise, parce que l'homme d'oraison s'y élève lui-même à une vue simple et amoureuse de Dieu. L'auteur traite d'abord de la contemplation ordinaire en général, ensuite de la contemplation divine obscure appelée de ce nom, parce qu'elle est puisée uniquement à la foi et comporte une double purification ou nuit, l'une sensitive, l'autre spirituelle. Nous regrettons vivement que l'auteur se soit borné presque exclusivement à aligner des citations : le lecteur peut bien s'y complaire, mais il s'y égare faute de fil conducteur. **S'effacer à ce point constitue un excès de modestie.**

R. P. B. Braeckman. *Sermons de S. Alphonse-Marie de Liguori*, 2e édition, Roulers, De Meester, 1912. 2 vol. in-8. F. 5.

Un mot d'abord de l'introduction du R. P. B. intitulée : étude sur l'éloquence apostolique de S. Alphonse. Son but est de nous faire mieux connaître et apprécier davantage Saint Alphonse comme orateur sacré, comme modèle du prédicateur populaire ou du missionnaire. Après un court exposé de la vie apostolique du Saint, vie dont le mobile unique fut l'amour de Dieu et des âmes, dont la note dominante fut la confiance en la divine miséricorde et dont les succès furent éclatants, le P. B. nous présente en résumé son système de prédication et en démontre la con-

(1) Voir *Collat. Brug.*, t. XV, p. 201 et 551 ; t. XVI, p. 74.

(2) Nous avons cependant quelque peine à nous rendre à des descriptions comme celle que nous lisons p. 16.

formité avec les enseignements pontificaux; enfin il explique la méthode d'utilisation de ces sermons et leur opportunité dans les temps actuels.

Nous ne suivrons pas le R. P. dans tous les points de son exposé. Contentons-nous d'engager les prédicateurs à le lire: ils y trouveront en résumé les préceptes de l'éloquence sacrée. Disons un mot du système de prédication alphonsien. — Et d'abord, nous n'avons pas ici les sermons écrits et développés tels que S. Alphonse les prêchait, mais bien les *sermons abrégés* qu'il rédigea vers la fin de sa carrière de missionnaire, étant évêque de S. Agathe (1). *L'objet,* ce sont le dogme et la morale chrétienne envisagés au point de vue pratique, dans le but de pousser directement aux actes (2). Dans le recueil original de S. Alphonse ces sermons sont rattachés aux Évangiles des dimanches de l'année liturgique: c'est dire qu'on ne trouve pas d'*ordre* logique dans leur succession 3 ; c'est dire aussi le *caractère évangélique* de ces prédications. Quel *plan* suivait S. Alphonse dans l'agencement de ses sermons? On n'y trouve pas la structure savante propre aux exposés dogmatiques, et parfois l'ordre y est peu apparent. Il est réel cependant, les divisions introduites par le P. B. le font bien voir, mais esthétique, visant à la fois à convaincre l'esprit et à entraîner la volonté afin de rendre la vérité « tangible, aimable et souveraine » (4). L'application de ce système esthétique se résume en deux mots: « la proposition, l'idée-mère du sermon est exposée clairement, prouvée brièvement, puis développée dans un ordre graduel jusqu'à son épanouissement complet » (5).

Abordons maintenant les sermons eux-mêmes. L'éditeur les a répartis en deux grandes classes, sermons de conversion et sermons de persévérance ou de progrès dans la vertu, comprenant chacune plusieurs séries et plusieurs groupes (6).

Dans la première partie qui traite de la conversion, nous suivons la marche ascendante de la grâce dans l'âme du pécheur, d'après l'enseignement du Concile de Trente. Réveiller la foi en la vie éternelle (7), exciter dans l'âme la conscience du péché (8), l'en détourner par la crainte

---

(1) Une note sur l'histoire de ce texte aurait, sans surcharger l'exposé, satisfait la curiosité légitime du lecteur.

(2) C'est donc une somme de théologie morale, non un exposé complet de toute la religion révélée. Signalons ce point de vue du Saint, non pour lui en faire un grief, mais pour prévenir les lecteurs qu'ils ne trouveront point dans le présent ouvrage un guide complet pour tout leur enseignement.

(3) Nous exposerons plus loin l'ordre introduit par le P. B.

(4) Introduction, p. 52.

(5) *Ibid.*, p. 53.

(6) Cette disposition étant l'œuvre de l'éditeur, nous nous demandons comment elle « donne la clef de toute la stratégie apostolique de S. Alphonse », p. 57.

(7) Le sermon sur la vanité du monde nous a rappelé une critique du P. Faber à l'endroit des moralistes et des orateurs sacrés qui exagèrent les misères du monde. *Le Saint Sacrement,* L. II, Section VII.

(8) Dans les sermons sur le péché le prédicateur « ajoutera utilement, pour mettre plus de clarté dans l'exposition du sujet, la définition du péché mortel, avec quelques applications », t. I, p. 82. Cette remarque du P. B. est très judicieuse, croyons-nous. Rien de tel pour inspirer l'horreur du péché mortel que d'en exposer la nature et l'effet immédiat, la privation de la grâce sanctifiante. D'autant plus qu'on prépare ainsi son auditoire à mieux comprendre le châtiment du péché en enfer.

salutaire de la justice divine (1) inspirer au pécheur une espérance bien règlée (2) en la miséricorde divine, enfin l'amener au moins à un amour initial de Dieu : voilà les cinq étapes de ce retour à Dieu.

Les sermons qui constituent la seconde partie concernent la persévérance. Ils tendent à fixer l'âme convertie dans la voie de la perfection et du ciel. Nous y voyons successivement la nécessité de la persévérance les ennemis à combattre, les moyens de persévérance (3), la dignité des enfants de Dieu et la pratique des vertus, enfin le terme de la persévérance, le bonheur du ciel.

Nous n'hésitons pas à recommander aux prédicateurs les sermons de Saint Alphonse : sans pouvoir se dispenser du travail personnel, ils y trouveront des modèles dont ils pourront s'inspirer utilement pour le plus grand bien de nos populations croyantes (4).

J.-B. Fèvre. *Méditations sur la vie de N. S. J. C. et de sa très Sainte Mère.* Tome I : Naissance, enfance et vie cachée de Jésus. Liège, Société industrielle d'arts et métiers, 1911. F. 3,50.

Nous félicitons le pieux auteur, prêtre Salésien de Dom Bosco, d'avoir une fois de plus remis sous les yeux des âmes avides de perfection, l'idéal de toute sainteté, Jésus-Christ. Son ouvrage est puisé aux meilleures sources et est animé d'un souffle de piété solide et éclairée. Il instruit, réchauffe et pousse l'âme jusqu'à la pratique de la contemplation. Sans vouloir nous arrêter à détailler les qualités et les défauts de l'ouvrage, nous préférons le recommander simplement « au clergé aux communautés religieuses et aux fidèles » auxquels il s'adresse. C'est le meilleur éloge que nous puissions en faire.

A. Legrand.

---

(1) Nous signalons à l'attention des prédicateurs les notions préliminaires du P. B. sur la crainte et son rôle dans l'œuvre de la conversion, t. I, p. 243 ss. Elles sont de nature à faire éviter en cette matière tout excès, en particulier celui qui consiste à ne voir dans ces grandes vérités, la mort, le jugement, l'enfer, qu'un thème propre à donner un frisson passager, sans viser à faire pénétrer ces vérités dans la vie pratique de l'auditoire.

(2) C'est-à-dire également éloignée du désespoir et de la présomption. Et sans doute il faut prémunir les âmes contre l'abus de la miséricorde divine. Cependant, même en tenant compte des observations préliminaires du P. B., t. II, p. 85, nous ne croyons pas que « le nombre des péchés au delà duquel Dieu ne pardonne plus » soit un thème à traiter en chaire. Cfr. J. Van der Meersch, *Tractatus de divina gratia*, Bruges, Beyaert, 1910, p. 385.

(3) Nous avons été heureux d'entendre le P. B. nous dire que S. Alphonse, l'adversaire du jansénisme, fut aussi l'apôtre de la communion fréquente et quotidienne : et de fait dans son sermon sur la Sainte Communion il n'y a rien qui soit contraire au décret *Sacra Tridentina Synodus*. C'est là sans doute un puissant motif pour les fils de S. Alphonse d'être les champions de la communion quotidienne et d'y pousser le peuple chrétien *crebris admonitionibus multoque studio*. Pour ce faire on ne pourra évidemment pas se contenter du sermon que nous avons en vue, mais ce sera entrer dans les vues du saint fondateur que d'inculquer *opportune importune* la doctrine du décret et de tous ceux qui dans la suite sont venus en urger et en étendre l'application. A cet effet il convient d'insister surtout sur la distinction nette entre les deux conditions requises pour pouvoir communier tous les jours et les dispositions plus parfaites désirables pour communier avec plus de fruit.

(4) Une table des sermons adaptés aux évangiles des dimanches facilite l'usage du recueil à ceux qui voudraient y chercher la matière de leurs homélies.

Vesperale Romanum. Édition SCHWANN, F. 1. Düsseldorf, 1913, grand in-8°, XXII-628-[303] p. F. 8,50 relié.

Cette magnifique édition comprend tout ce qui est nécessaire pour l'office des Vêpres et des Complies pour toutes les fêtes et tous les jours de l'année. L'impression de la musique et du texte est d'une netteté parfaite. Des règles pratiques sont données pour le chant des psaumes, et la psalmodie est singulièrement facilitée par un système sémiographique, qui, pour être plus simple que celui de l'abbé Piérard, n'en est que plus recommandable. Pour la commodité des chanteurs, l'intonation du psaume après chaque antienne est notée intégralement. Nous regrettons que le premier verset n'ait pas été entièrement noté, bien que les cadences soient présentées de telle sorte qu'on puisse leur appliquer facilement les diverses syllabes des versets. Les strophes des hymnes sont toutes notées intégralement. Un onglet à la fin du volume permet d'y annexer le *Propre du Diocèse.* On sait que l'office revisé du St Sang, seul office dont le texte musical est propre au diocèse, a déjà paru.

Nous recommandons chaudement cette édition à toutes les maîtrises.

Liber Usualis Officii pro Dominicis et Festis I vel II classis. Rome-Tournai, Desclée, De Brouwer et Cie, 1913, in-18, 790 p. F. 3,00 broché.

Cette édition *partielle* du Vespéral romain correspond comme format et caractères au *Liber Usualis Missæ,* qu'il complète pour toutes les parties extraites de l'Antiphonaire. Outre les Vêpres et Complies des Dimanches et des Fêtes, il contient les hymnes et psaumes de Prime, Tierce, Sexte et None des Dimanches et des Fêtes, l'Office des Défunts, *un choix de chants pour les Saluts du T. S. Sacrement,* tirés des livres de Solesmes. Il nous a été communiqué que si dans un avenir incertain la Commission Vaticane édite un recueil de chants pour les Saluts, il est peu probable que celui-ci soit officiel au même titre que le reste de l'Édition Vaticane.

On trouvera en plus en *Appendice,* groupés suivant les huit modes, les psaumes des Vêpres et des Complies des Dimanches et des Fêtes, avec l'indication en caractères gras et italiques de toutes les cadences de médiante et de terminaison. C'est un excellent moyen pour apprendre à psalmodier.

Le texte de la présente édition est fort net, la notation grégorienne très claire.

Cette édition est spécialement recommandée aux fidèles, aux communautés et aux maisons d'éducation.

Psalmi Vespertini et Completorium, notis musicis juxta novum Antiphonale additis, ed. H. KÖNINGS. Editio Schwann, C. 7, cum psalmis ad vesperas singularum hebdomadæ feriarum. Düsseldorf, 1913, pet. in-8°, notation grégorienne, 204 p. F. 2,25.

Ce livre est une *édition notée* de presque tous les psaumes des Vêpres de

toute l'année. Il contient en outre les mélodies du *Benedicamus Domino*, le *Completorium* complet et les 4 *Antiphonæ Marianæ*. L'adaptation du texte aux tons des psaumes correspond exactement aux règles de l'Antiphonaire.

Il est fort à conseiller à MM. les ecclésiastiques de se procurer cette édition ou une édition analogue pour s'initier à la nouvelle psalmodie et s'habituer dès les débuts à l'exécuter correctement.

Vesperale Romanum excerptum ex Antiphonale S. R. E. Editio Ratisbonensis juxta Vaticanam. Ratisbonæ, Pustet, 1913, in-8°, xx-528-[204]-44*-35**.

Reproduction exacte de la Vaticane. Elle suppose la connaissance du *Cantorinus* et l'habitude de la psalmodie. Une impression sur papier plus opaque gagnerait en clarté. Les *hymni officii romani secundum antiquum usum* n'y sont pas reproduits.

Vesperale Romanum ex Antiphonali Vaticano extractum, notis gregorianis. Mechliniæ, Dessain, 1913, in-12. F. 4; papier indien, F. 6.

Cette édition reproduit exactement l'édition Vaticane. Elle se recommande par la commodité de son format, la clarté de son impression, la modicité de son prix. Elle existe également en notation moderne.

Paroissien Romain très complet, contenant la Messe et l'Office des Dimanches et des Fêtes pour toute l'année. Chant grégorien, textes latins accompagnés de leur traduction française, notices liturgiques. Malines, Dessain, 1913, in-16. F. 4 broché.

Les éditeurs ont tenu à faire un livre essentiellement liturgique. Outre le chant de la Messe et des Offices des Dimanches et Fêtes doubles, il présente au début les prières des principaux exercices de piété, à l'usage des fidèles, particulièrement des élèves des écoles catholiques.

L'ordinaire de la Messe a été traité avec le plus grand soin. On a intercalé dans le texte quelques notes brèves, explicatives, empruntées aux meilleurs auteurs. Les phases principales du cycle liturgique sont également précédées d'une courte notice qui en précise le sens.

Pour l'exécution correcte de la psalmodie il a été adopté au « Cantorinus » une disposition spéciale. Les psaumes des Vêpres sont donnés in extenso pour chacun des 8 tons avec indication des syllabes accentuées et des survenantes à la médiante et à la finale du verset. Ces syllabes sont marquées: les syllabes accentuées en caractères gras et les survenantes en italiques. Les mêmes indications sont données pour tous les autres psaumes dans le cours du livre. On peut regretter que ces indications manquent un peu de clarté.

Une traduction française puisée dans les auteurs les plus autorisés a été ajoutée au texte latin. Autant qu'il a été possible de le faire, les sources des textes sont indiquées.

A la suite du Propre du Temps, du Commun et du Propre des saints, on trouve l'Office des morts in extenso avec les cérémonies des funérailles, et enfin un choix de chants liturgiques pour les Saluts.

Chan^ne Moissenet. *L'enseignement du chant dans les Séminaires. Étude d'après S.S. Pie X et S. Thomas D'Aquin.* Lyon, Janin frères, 1913, in-18, 100 p.

Excellente brochure, dont la première partie est un commentaire pénétrant du *Motu Proprio* de Sa Sainteté Pie X. Le *Motu Proprio* a restitué au chant sacré sa place dans le culte divin, son rang parmi les arts; il est une invitation pressante adressée à l'Église de chanter d'une manière nouvelle. Dans la seconde partie, l'auteur paraphrase un passage d'un sermon de St Thomas (Serm. fest. VII), qui nous enseigne par quel art nous donnerons au chant renouvelé, la beauté et la puissance qui le mettront en valeur.

Nous ne résistons pas au plaisir de transcrire ce texte du Docteur Angélique (1).

« Cantabant sancti canticum novum ante sedem Dei (Apoc. XIV). Tria notantur hic. Primum quia cantabant optimi cantores, quia sancti. Secundo, quia cantabant optimam cantationem, quia canticum novum. Tertio, ubi cantabant, quia in optimo loco, quia ante sedem Dei. Circa primum, notandum quod bonos cantores faciunt tria, scilicet: bonæ vocis instrumentum, artis documentum, usus exercitamentum. Bonæ vocis instrumentum tria faciunt: reumatis expurgatio, pectoris dilatatio, oris aperitio. Ad artis documentum tria sunt necessaria, ut scias vocem levare, deprimere, concordare. Ad usus exercitium sunt tria necessaria, ut cantet frequenter, diligenter et fortiter ».

A. De Meester.

Dr Alfred Deschamps. *Le cas de Pierre De Rudder et les objections des médecins. Monographie d'un miracle de Lourdes-Oostacker.* Préface du D^r Le Bec. Bruxelles, Librairie de l'action catholique, 1913, in-18, 240 p. F. 2,50, avec quatre planches hors texte.

Cette nouveau livre de l'abbé Deschamps, docteur en médecine et en sciences naturelles, est l'étude la plus importante qui ait été consacrée au cas désormais mondial de Pierre De Rudder. C'est une œuvre de science qui complète la publication faite par l'auteur en 1899 dans la *Revue des questions scientifiques*. C'est une œuvre de loyauté où sont exposées, dans le détail et dans toute leur ampleur, les objections faites par les médecins contre la réalité du miracle. Et disons le sans ambages, cet exposé ne fait pas toujours honneur à la science, à l'impartialité, à la modération de certains médecins. Que n'ont-ils pris comme l'auteur, pour guide dans l'examen de ce cas, la règle de la *Logique de Port Royal* (4e partie, ch. XIV): « Il n'y a rien de moins raisonnable que de se conduire par des lieux communs en ces rencontres, soit pour embrasser tous les miracles, soit pour les rejeter tous; mais il faut les examiner par leurs circonstances particulières et par la fidélité et la lumière des témoins qui les rapportent ». Nous ne doutons pas du succès de ce livre. Il a droit à la plus large diffusion surtout dans notre diocèse qui a été gratifié d'une guérison miraculeuse aussi extraordinaire.

A. De Meester.

---

(1) V. Super, *Décadence et restauration du chant liturgique*, p. 77, Paris 1883.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Octobris.

—

I

Paucis expone sensum generalem psalmi XLIII: *Deus, auribus nostris audivimus...*, eumque transscribe per strophas, versus et membra parallela, juxta sensum et textum originalem.

II

Quid significat dari in homine indigentiam religionis.

III-IV

Ex principiis circa dominium filiorum-familias, apud *Coll. Brugen.*, t. VIII, p. 616-626 expositis, sequentes resólve casus:

A/ Philippus, operarii filius 20 annorum, laborat in quadam fabrica sed domi alitur; ita ut parentibus pro tecto et victu plus solvere nolit quam 10 f. per hebdomadam, de cetero sibiipsi comparans proprias vestes. Cui conventioni ægre tantum consentiunt parentes, qui non cessant reclamare totum salarium; usquedum juvenis, querelis pertæsus, in vicinam mox tabernam domicilium eligit, nihilque jam parentibus tradit. Confessario autem exponit se ita cum salario suo egisse, non quidem ut eo male uteretur, sed ut pecuniam suam, secus a parentibus totaliter consumendam, sibi ad matrimonium ineundum servaret. — Age partes confessarii, dando rationem.

B/ Titius jam majorennis per decem annos apud patrem senem et viduum solus remansit, ceteris liberis post majoritatem mox matrimonio junctis. In paterna autem mercatura solus sed strenue laborans, rem familiæ notabiliter auxit, quin unquam de stipendio ipsi dando sermo fuerit agitatus. In specie, quadam die, negotium aliquod periculosum invito patre tentavit, cujus felix fuit exitus et lucrum 8000 f. Nunc autem, mortuo patre absque testamento, plus sibi ex justitia deberi prætendit Titius quam aliis filiis: et exigit ante omnia tum 10000 f. pro 10 annis laboris, tum 8000 f. illius prædicti lucri cujus specialis auctor fuit. — An et quare ad dictas summas jus strictum habet?

V

Ostende homini, utpote rationalis naturæ, proprium esse agere propter finem. S. Thomas, I-II, qu. I et II.

VI

Quibusnam juxta Decretum *Quam Singulari* (8 aug. 1910) (1) jus competit admittendi pueros ad primam privatam communionem? Paucis jus illud describe.

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XV, p. 574.

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques*, 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia*, in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix: 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi*, Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii.* Brugis, Beyaert. In-8, LXXXIV-376 pp. Fr. 6.

Conventus musicæ sacræ locum habebit in parochia Varssenaere, die 4a Augusti.

Bond van Bestierders voor onze jonge lieden. — Vergadering te Rousselaere, in den Hert, Woensdag, 6 Oogst, om 11 u. 1/2.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVIII, pag. 486).

—

V

De dono consilii.

Quod notionem hujus doni attinet, en breve compendium doctrinæ B. Alberti M.

« *Consilium* dupliciter dicitur, scilicet a dante consilium, et in quo signat plenitudinem luminis dirigentem in dubiis; et sic fuit in Christo et est in Deo, et hoc modo est donum. Dicitur etiam a quærente consilium; et sic est dubitantis et ignorantis, et sic non fuit in Christo, nec est donum per hunc modum (1). »

« Consilium generaliter accipitur, secundum quod diffinitur a Tullio: (aliquid faciendi vel non faciendi vere excogitata ratio); potest tamen specialiter adaptari dono consilii, ut dicatur excogitata ratio earum rerum in quibus homo indiget adjutorio speciali propter arduitatem earum: et ideo consilium non est hic de dubio,

(1) In III *Sent.*, dist. 35, art. V, *solutio*.

sed potius de arduo ad quod propter difficultatem non omnes tenentur nisi in casu (1). »

« Consilium, prout hic accipitur, non est omnium, sed eorum in quibus indigemus lumine speciali dirigente: et ideo nomen doni est secundum quod est a dante consilium Spiritu sancto, et non acquirente (2). »

« Consilii actus sunt, in quibus differt ab aliis donis, per lumen divinitus inspiratum dirigere in altioribus bonis, ad quæ facienda et cognoscenda non sufficit homo per communem virtutem: ut est vendere omnia et dare pauperibus, et habere thesauros in cœlo; hos autem thesauros et mercedem contemplationum non cognoscimus nisi consilii lumine (3). »

Ex his jam manifestum est consilium differre a scientia, in dirigendo, sicut fortitudo differt a pietate, in exequendo: et consilium, sicut fortitudinem, esse de magnis et arduis: ut hic notat Albertus (4), et supra agendo de pietate et scientia advertimus.

Consequenter ad expositam doctrinam, duo dona respondere dicit Albertus, ut adjuvantia, virtuti prudentiæ, nempe dona scientiæ et consilii: secundum quidem ea ad quæ tenentur omnes, donum scientiæ; secundum vero ea quæ non omnes obligant, seu ardua et præcellentia, donum consilii (5). Quod non impedit donum consilii esse quoad habitum in omnibus sanctis, « vel, *ut ait* (6), ut impleant consilia, vel ut possint implere si velint. »

Item, conformiter ad notionem a se traditam doni consilii, docet idem Albertus, qualiter hoc donum sit in Christo et in Angelis, adeoque et in Beatis: « Consilium non dicitur hic ab eo qui quærit, sed ab eo qui

(1) Ibid., art. VI, *sol.*
(2) Eod. art., ad q. 1m.
(3) Ead. *dist.* 35, a. 7, *sol.*
(4) Ibid., art. 8.
(5) *Dist.* 34, art. 2, ad q. 2, versus finem.
(6) *Dist.* 35, a. 8, in fine.

dat: quia iste non dubitat, sed potius abundantia discretionis dissolvit dubia et certificat et facit lumen in viis, scilicet a Spiritu sancto (1). »

Cum B. Alberto M. consentit Doctor Seraphicus:

« Sicut intellectus aliquando accipitur pro actu intelligendi, aliquando pro ipso intellecto, sive intelligibili, aliquando pro ipso habitu intelligendi, qui dirigit ipsum intellectum in judicando de veris, et falsis: sic et consilium tripliciter accipi consuevit. Aliquando pro actu consiliandi. Aliquando pro eo ad quod terminatur ille actus, sicut quando dicitur, hoc est consilium meum. Aliquando vero pro eo habitu, qui expedit, et dirigit animam, ad eligendum prosequenda, et ad fugiendum vitanda. Hic autem habitus dirigens ad hujusmodi electionem duplex est secundum diversitatem eligibilium, et secundum diversitatem modorum, sive rationem eligendi. Nam eligibilia quædam sunt necessitatis, quædam vero arduitatis. In primis dirigit prudentia, in secundis vero dirigit donum consilii propter excellentiorem, et majorem difficultatem, quæ in eis, quæ arduitatis sunt, habet reperiri. Rursus: dirigi in electione potest aliquis, vel secundum regulam juris naturalis, vel secundum regulam juris divini. Et primum quidem est virtutis prudentiæ, secundum vero spectat ad donum consilii. Ex his potest elici per quamdam circumlocutionem, quis sit actus proprius doni consilii: quoniam actus ejus est dirigere in electione agendorum, prosequendorum, vel fugiendorum, quæ sunt specialis arduitatis, et hoc secundum regulam juris divini, et in hoc distinguitur actus ejus ab actu prudentiæ virtutis, et scientiæ doni. Si igitur quæras, utrum actus doni consilii sit consiliari, dicendum, quod si per verbum consiliandi intelligatur directio secundum regulam, et lumen consilii: sic bene potest concedi, quod actus ejus sit consiliari. Sed attendendum est, quod secundum

(1) *Dist.* 34, a. 5, ad 5.

quod vult Damascenus, consilium respicit ad aliquem actum præcedentem, et aliquem actum sequentem. Dicit enim quod primo homo inquirit, et consiliatur, deinde disponit, et ordinat, postmodum eligit, et consentit. Et secundum hoc intelligendum est, quod dirigi secundum regulam consilii, hoc potest esse dupliciter. Aut consilium inquirendo, aut secundum consilium disponendo, et eligendo. Primo quidem modo non est actus ipsius consilii principalis, et universalis, sed quasi actus ejus initialis: et est in eo, in quo est secundum statum imperfectionis. Secundo vero modo actus ejus universalis est, et principalis: unde sive per verbum consiliandi, sive per verbum consulendi, sive per quodcumque aliud verbum illud significetur, quod est dirigi in electione horum, quæ sunt arduitatis secundum consilii donum, quod regit secundum dictamen juris divini, dicendum quod hic est actus principalis, et proprius doni consilii. Unde concedi potest, quod consiliari secundum istam acceptionem est actus ejus proprius (1). »

Explicat quoque Seraphicus, quomodo hoc donum remaneat in patria: « In dono consilii duo sunt: quædam partium ponderata discussio, et excellens et stabilis melioris et dignioris partis electio: et primum est imperfectionis, et tolletur; secundum vero perfectionis et manebit. Primum enim non est de essentia consilii doni, sed secundum (2). »

In uno differt S. Bonaventura a B. Alberto, quod, ut videbimus infra de functionibus doni consilii, in tertia nempe functione quæ est expedire ad septem virtutum officia, donum consilii dicit expedire ad spem; et similiter in 3 *Sent.*, dist. 34, a. 2, q. 1: « Consilium, *ait*, propter hoc quod ordinat ad ea quæ supererogationis sunt in quibus spes æternorum concipitur, respondet ipsi spei. » Hac de re infra sermo recurret.

---

(1) 3 *Sent.*, dist. 35, q. 4.
(2) Ibid., dist. 34, p. 1, a. 2, q. 3, ad 4.

Adeamus jam Doctorem Angelicum. « Dona Spiritus sancti, *ait* (1), sunt quædam dispositiones, quibus anima redditur bene mobilis a Spiritu sancto. Deus autem movet unumquodque secundum modum ejus, quod movetur..... Est autem proprium rationali creaturæ, quod per inquisitionem rationis moveatur ad aliquid agendum, quæ quidem inquisitio consilium dicitur. Et ideo Spiritus sanctus dicitur per modum consilii creaturam rationalem movere: et propter hoc consilium ponitur inter dona Spiritus sancti. » « Per quod, *ut statim addit* (2), homo dirigitur, quasi consilio a Deo accepto. » Et in iis quidem in quibus non sufficit prudentia vel euboulia sive acquisita sive infusa, quæ solum dirigit secundum ea quæ ratio comprehendere potest, qualia non sunt singularia et contingentia quæ occurrere possunt (3). Unde refert donum consilii ad prudentiam, ut adjuvans et perficiens eam (4).

Ubi duo notat Cajetanus: primo quidem (5): donum consilii ab euboulia tam acquisita quam infusa, non solum differre « secundum communem differentiam doni a virtute, quatenus perficit altiori modo, scilicet ad superhumane operandum; sed secundum propriam rationem, quatenus euboulia est recte consiliativa active; donum autem consilii est recte consiliativum passive quoad ipsam acquisitionem consilii, ut in responsione ad 1m (modo a nobis citata) dicitur; quamvis acceptum jam consilium active dirigat » ut in art. 2, ad 3m, ait S. Thomas: « Mens humana ex hoc ipso quod dirigitur a Spiritu sancto, fit potens dirigere se, et alios. »

Secundo notat idem Cajetanus (6): « dona aliter

(1) 2. 2, q. 52, a. 1, in corp.
(2) Ibid., ad 1m.
(3) Ibid.
(4) Ibid., art. 2.
(5) In hanc q. 52, art. 1.
(6) Ibid. in art. 2.

respondent virtuti theologicæ, et aliter virtuti morali. Nam dona medium tenent locum inter theologicas, et morales virtutes; sunt enim nobiliora moralibus, sed theologicæ sunt nobiliores ipsis, ut ex supradictis patet: et propterea theologicis virtutibus respondent quasi organa, moralibus autem quasi formæ. Et ad hoc insinuandum..... non concludit (S. Thomas) quod (donum consilii) respondet prudentiæ simpliciter et absolute, sed addidit: sicut adjuvans et perficiens. »

In seq. art. 3 fusius explicat Doctor Angelicus quomodo remaneat donum consilii in patria. Hunc articulum, cum in eo non agatur princeps in nostra tractatione quæstio, omittere cogimur, ne longior sermo noster fiat; attamen ad eum legendum attente, cum adjecta brevi animadversione Cajetani, merito invitamus lectorem, utpote qui doctrina insigni refertus est et commentarium constituit plene rationem reddens eorum quæ concinne B. Albertus et S. Bonaventura notant, videlicet quidquid in statu viæ imperfectionis est in usu doni consilii tolli in patria, quod vero perfectum est, manere.

In art. 4 ibidem docet S. Thomas dono consilii respondere beatitudinem quintam: *Beati misericordes.*

Consilium proprie est de his quæ sunt utilia ad finem, et ideo dirigit in omnibus actibus virtutum. Specialiter tamen dirigit in operibus misericordiæ, utpote maxime utilibus ad finem, et ideo specialiter dono consilii respondet beatitudo misericordiæ, non sicut elicienti, sed sicut dirigenti.

In hoc consentit Angelicus cum Doctore Seraphico qui ait (1): « Consilium... disponit ad misericordiam, nihil enim Deus magis consulit in Scriptura, quam facere misericordiam, quod super omnia reputat holocausta. »

---

(1) *Brevil.*, p. V. c. VI.

Itaque, quod notionem doni consilii attinet, inter se conveniunt citati Doctores omnes tres.

Cum Alberto M. consentit S. Thomas in hoc quod donum consilii annectit virtuti prudentiæ; ab eodem vero discedit in eo quod donum scientiæ, quod Albertus simul cum consilio respondere dicit prudentiæ, annectit non prudentiæ, sed virtuti theologicæ fidei; qua de re satis supra.

Ab utroque discrepat S. Bonaventura, quatenus donum consilii respondere docet virtuti theologicæ spei.

Est quidem hæc aliqualis inter Doctores discrepantia, quæ tamen, si attendatur doctrina universa S. Bonaventuræ, qualem exponit ipse 3 *Sent.*, dist. 34, p. 1, art. 2, q. 1, dici non debet proprie contradictio eorumdem Doctorum.

Etenim ibi exponit Seraphicus numerum, distinctionem et sufficientiam donorum accipi posse secundum ipsorum donorum comparationem quadruplicem; et in singulis his quatuor viis, secundum duplicem modum. Concludit autem de quatuor viis iisdem et octo modis, dicens: « inter quos nescio si aliquis est qui satisfacit curioso perscrutatori. » Et in primæ quidem viæ, per comparationem ad habitus annexos seu connexos, primo modo, ut unumquodque donum alicui virtuti respondeat, dicit donum consilii respondere virtuti spei. Additque: « solummodo videtur ibi esse quædam adaptationis congruentia ». Et ibidem ad 4^{m}, notat: « Propria ratio sumendi sufficientiam donorum non est penes expeditionem virtutum sed magis penes expeditionem ipsarum potentiarum in suis actibus ».

His omnibus attentis, videmus Bonaventuram huic quæstioni de consilio respondente spei non tantum affigere momentum. Cæterum, uti modo supra a Cajetano audivimus, aliter respondent dona virtutibus theologicis, aliter moralibus. Unde conciliari possunt Doctores, dicendo donum consilii respondere spei, ut organum spei, cum et spes et consilii donum sint circa

ardua; idem vero donum consilii respondere prudentiæ quasi formam, perficientem et adjuvantem illam.

Jam properamus ad enumerandas, vix expositione indigas, functiones doni consilii, ad normam doctrinæ S. Bonaventuræ sæpius allegatæ, reservata in fine tractatuli hujus doctrina præcellente Rusbrochii.

Prima functio « propter vitiorum obliquitates expeditissime repellendas »: est « consilium contra avaritiam » quæ, ut ait alio in loco (1): « contra divinum consilium vult omnia retinere. »

Secunda functio « propter expediendas vires naturales: « rationalis... indiget expediri in veritatis speculatione, electione et executione ». Expeditur autem « per donum consilii ad verum eligendum. »

Tertia functio « propter expedienda septem virtutum officia »: expedit « consilium ad spem. »

Quarta « propter expeditionem in patiendo conformiter ad Christum: Christum autem ad patiendum movit..... nihilominus virtutis strenuitas, ut provida in eligendo per consilium. »

Quinta « propter expeditionem in agendo... Necesse etiam habemus expediri ad proficiendum in bono duplici, vel necessitatis, vel supererogationis..... Circa secundum expedimur per consilium dirigens, et fortitudinem exequentem. »

Sexta « ad expeditionem in contemplando »... Nam ad vitam hierarchicam et contemplativam, necessarium est animam purgari, illuminari et perfici.... Illuminari autem indigemus in operibus reparationis et primariæ conditionis; primum dat consilium, secundum intellectus. »

Hæc declaratione aliquantula indigent, quam saltem partim exhibet ipse S. Doctor alio in loco (2), quem

---

(1) In 3 *Sent.*, dist. 34, p. 1, art. 2, q. 1.

(2) Citat P. a Vicetia: *Collat. de septem donis Sp. s.*, nn. 84-86, et 92; in *Supplemento* operum S. Bonaventuræ, vol. III (Tridenti, 1774). In edit.

insigni doctrina refertum recitabimus agendo de dono intellectus. Sufficiat nunc notasse in opere primariæ conditionis, id est, in opere creationis rerum omnium et primævæ hominis constitutionis in statu integro et supernaturali, nos illuminari per intellectum Verbi increati, sic docente Seraphico: videlicet donum intellectus est clavis cœlestium contemplationum ; et tres quidem claves sunt, « quarum prima est intellectus Verbi increati, per quod omnia creantur, et ducit in opera conditoris, sive in librum creaturæ.... Secunda clavis est intellectus Verbi incarnati ; et hæc ducit in opera reparationis, sive in librum Scripturæ... quæ est de operibus reparationis a Verbo incarnato. » De his fusius dicemus, ubi de dono intellectus. Nunc autem adverte donum quidem intellectus, ut e modo dictis constat et amplius declarabitur infra, etiam nos illuminare in operibus reparationis, sed alio modo ac donum consilii. Illud enim principaliter est circa universalia, dum hoc versatur circa singularia, utpote directivum doni fortitudinis, cujus est agere et pati fortia atque ardua, eaque potissimum pati conformiter ad Christum, Verbum incarnatum. Unde in operibus reparationis nos illuminat donum consilii, aliter ac intellectus, modo nempe magis practico et in singularibus arduis agendis

---

operum S. Doctoris critica a PP. ad Claras Aquas (Quaracchi) data, textus iste, sat mutatus, invenitur in opere cui titulus *Collationes in hexaëmeron,* coll. III. Et hæ quidem collationes, sicut et illæ *de septem donis Spiritus sancti,* non fuerunt a S. Doctore scripto editæ, sed ex ore dicentis exceptæ, sive, ut illa ætate dicebatur, continent *reportata* aliisque communicata. Unde varietas magna textuum existit ut vix ipsum Auctoris verbum referri possit. Editio Quaracchi sic textum a nobis citatum exhibet: « *Clavis* ergo contemplationis est intellectus triplex, scilicet intellectus *Verbi increati,* per quod omnia producuntur ; intellectus *Verbi incarnati,* per quod omnia reparantur ; intellectus *Verbi inspirati,* per quod omnia revelantur. Nisi enim quis possit considerare de rebus, qualiter originantur, qualiter in finem reducuntur, et qualiter in eis refulget Deus ; intelligentiam habere non potest. » Infra, de dono intellectus agentes, ad hanc quoque editionem recurremus.

atque præprimis patiendis, conformiter ad Christum, Reparatorem ac Redemptorem.

Cum hac declaratione mirum in modum convenit Rusbrochius, ubi breviter utrumque donum consilii et intellectus, sic definit: « Rogandus præterea nobis est Pater luminum et omnis veritatis, ut infundat nobis consilii spiritum, quo præditi, Christum ultra cœlos omnes sequamur, et spreto mundo, et calcatis omnibus quæ mundi sunt, veri discipuli et sectatores simus Jesu Christi, Domini nostri. Ad hæc desiderabimus atque obsecrabimus Deum, ut veri intellectus spiritum nobis præstet, ut eo ratione nostra illuminata, veritatem omnem in cœlis ac terris nobis necessariam perspiciamus ac intelligamus (1). »

Denique *septima functio* « ad expeditionem in actione et contemplatione », quod consilii donum attinet, refertur ad partem activam, estque in eo quod sit directivum doni fortitudinis, quod versatur in agendo et sustinendo.

Accedendo nunc ad doctrinam B. Rusbrochii, rursum animadvertemus ipsum, sicuti de dono fortitudinis diximus, donum consilii considerare præprimis in ordine ad contemplationem.

Præter descriptionem doni consilii, quam supra retulimus, idem donum definitur a Rusbrochio ab effectu: « internus quidam intro trahens tractus vel instinctus est Spiritus sancti, voluntatem nostram seu vim amativam intus permovens, exigensque a nobis ut omnem mundi fugiamus occupationem et inquietudinem, itemque homines quoscunque foras nos pellicientes atque trahentes, necnon omnem internam multiplicitatem, et ut spiritus amemus unitatem seu unionem (2). » Quæ deinde explanat, et rursum infra (3) uno verbo repetit: « Consilii donum cuncta nos abnegare, respuere, con-

(1) *De septem amoris gradibus*, c. VII.
(2) *Comment. in tab. fœderis*, c. XXVIII (ap Surium).
(3) *Ibid.*, c. CXII.

temptui habere docet, quo possimus supra omnia in Dei sublevari unitatem, sive unum effici cum Deo. »

Alio in loco (1) eamdem doctrinam explicat. Per consilii donum « Deus Pater intus eum trahit, vocatque cum electis suis ad unitatis suæ dexteram. Filius spiritaliter intus ei loquitur: Sequere me ad Patrem meum, etenim unum necessarium est. Spiritus sanctus cor aperit ac expandit, atque ardenti inflammat et accendit amore. Hinc vero æstus quidam et impatientia amoris intus nascitur. Qui enim consilio huic morem gerit, vehementem amoris impetum sustinet, neque quidquam præter solum Deum sufficere illi potest. Eam ob rem et seipsum et omnia deserit, illum ut reperire queat in quo se vivere novit, et in quo omnia unum sunt. Hic nimirum curandum est homini, ut Deum simplici intentione prosequatur, seipsum ratione compescat et cohibeat, omnem suam abneget voluntatem, optatamque præstoletur unionem vel unitatem, donec eam Deo præstare visum erit: sicque spiritus consilii in ipso duplicabitur. Magnus enim est, et ordinationi consilioque Dei obtemperat, qui seipsum relinquit et omnia, amoreque impatienti, æstuanti ac flammigero dicit: *Adveniat regnum tuum*. At vero major is est, et consilio Dei obtemperantior, qui propriam abnegat et ex amore superat voluntatem, et subdita cum reverentia dicit Deo: *Fiat* in omnibus *voluntas tua,* non mea. Quod quidem ipse Dominus Jesus passioni suæ proximus, cum humili suiipsius abnegatione Patri suo dixit. Neque quicquam unquam ipse aut sibiipsi jucundius, delectabilius, et honorificum magis, aut nobis utilius, aut Patri gratius et amabilius, aut dæmonibus probrosius protulit. Per eam enim secundum humanitatem voluntatis suæ abnegationem omnes nos servati sumus. Sic etiam hominem Deum amantem ac humilem voluntas Dei maximo et præcipuo gaudio et delectatione afficit,

(1) *De ornatu spir. nupt.*, c. LXVII.

neque secundum spiritum quicquam magis illi libet, etiamsi Deus, quod tamen impossibile est, in infernum eum demigrare vellet. Et hic natura extreme deprimitur, et Deus altissime sublimatur: estque istiusmodi homo capax donorum Dei omnium, eo quod seipsum abnegarit, propriæque renunciarit voluntati, dederitque omnia pro omnibus: neque tamen quicquam ob id recipere desideret, neque exigat quicquam, nisi quod Deus dare velit. Siquidem voluntas Dei, illius gaudium est. Hoc pacto quisquis ex amore sese penitus Deo permittit et resignat, idem mortalium omnium liberrimus est, vitamque agit curis vacuam, certus Deum, quod suum est, amittere vel perdere non posse.

Verum tametsi corda omnia, et quicquid usquam est in creaturis, Deus bene perspecta habeat, interdum tamen hujuscemodi hominem tentare ac probare solet, ut videat, possitne abnegare seipsum, quo divinitus illustrari mereatur, vivatque tum honorifice Deo, tum utiliter sibiipsi. Hac de re nonnunquam a dextris remotum, ad lævam collocat: e cœlo in infernum deponit, a deliciis omnibus avulsum, magnisque patitur miseriis involvi: idque adeo, ut sibi jam nedum a Deo, sed etiam a creaturis omnibus relictus et contemptus videatur. Atqui si antea in amore et gaudio seipsum et propriam abnegavit voluntatem, ita ut nihil quæsierit suum, sed Dei semper honorem et gratissimam voluntatem, facile etiam nunc in pœnis, doloribus et miseriis, seipso abnegato nihil quæret suum, sed Dei dumtaxat honorem. Qui enim ad magna agenda prompto est animo, idem etiam magna libenter perpetitur. Attamen patienter et resignato animo adversa ferre ac perpeti, præclarius Deoque acceptius est, et spiritui nostro delectabilius, quam eadem cum resignatione magna quædam agere: pati enim naturæ magis molestum et contrarium est. Unde etiam et spiritus magis erigitur ac exaltatur, et natura vehementius deprimitur afflictione vel cruce gravi, quam magna operatione, si

utrobique indissimilis vel par charitas habeatur. Quod si in hac resignatione absque aliquo delectu perstiterit, quasi qui nec velit nec norit aliud, spiritum consilii duplicem adeptus est. Satisfacit enim consilio et voluntati Dei tum agendo, tum patiendo, et resignatione suiipsius, et subdita obedientia: naturaque illius modo excellentissimo ornata est, et ipse divinam in spiritu illuminationem consequi idoneus ac habilis est. » Nempe per donum sextum subsequens intellectus, de quo agit Rusbrochius in cap. seq.

Tandem in libro *Regnum Deum amantium* iterum de dono consilii fusius agit cap. XXV et sqq., cujus tractatus initium recitamus:

« Quintum sancti Spiritus donum, animæ decorem conferens, consilium est. Per spiritualis quidem fortitudinis donum homo erectus ac elevatus est ad Deum cum laude ac devotione, itemque deorsum conversus cum misericordia et condolentia ad homines peccatis deditos: rursumque erectus ad Deum precibus et desideriis, ut miseros tales miseratus, gratiam eis suam largiatur, qua subnixi, ad ejus laudem sese convertant. Hoc vero ut obtineat, Deusque laudetur, fames quædam et amor ac desiderium augetur et increscit. Siquidem Deus se largissimum, piissimum, opulentissimum, amabilissimum, et deliciis ac ineffabili suavitate et gaudiis plenissimum et affluentissimum offert et exhibet: et hæc omnia homo ejuscemodi in sancti Spiritus, qui est amor immensus, proprietate contuetur. Cernens autem amorem hunc infinitum ac immensum esse, certus est hasce eum proprietates subsequi oportere; quandoquidem bonitas infinita, infinitis quoque virtutibus plena est. Dum igitur ita amorem et quicquid habet divinitus sibi præstitutorum ac infusorum munerum sive donorum considerat, adspectat et sentit, facile animadvertit, Deum continenter et sine intermissione horis omnibus seipso et cum universis donis suis fluitare. Atque eam ob rem fit amore impatiens, nec se

continere aut cohibere potest, quin cum omnibus suis viribus in bonitatem incomprehensibilem et celsissimam Trinitatem et deliciosissimam unitatem, quoad fieri potest, refluat: sicque rursus exardescit desiderio et in eamdem refluit unitatem. Hic jam divini oritur consilii donum, quod est attactus quidam vel instinctus in mente hominis, ex æterna proficiscens Patris generatione, ubi is Filium suum in præcelsa mente, h. e. supra rationem in animæ essentia gignit; ex eoque attactu mirum in modum anima nobilis et supernaturalis efficitur »... etc.

In sequentibus latius explanat excellentiores doni consilii functiones in contemplando, adque sublimia sese attollit, ita ut non solum ejus textum exscribendo nimis protraheretur nostra dissertatio, sed et parum utilis videatur hæc transcriptio, nisi adjecto amplo commentario. Unde satius nobis visum est postea, si Deus dederit, doctrinam Rusbrochii speciatim de functionibus in contemplando trium donorum, consilii, intellectus et sapientiæ, præ cæteris ad contemplationem spectantium, ex professo prosequi, seu commentarium scribere in hanc partem libri *Regnum Deum amantium,* collatis locis parallelis de iisdem functionibus.

Itaque finem facimus scribendi nunc de dono consilii, uno tantum notato, videlicet Rusbrochium quoque, sicut cæteri Doctores faciunt, ad donum consilii referre quintam beatitudinem: *Beati misericordes* (1).

(Continuabitur).

---

(1) In cit. libro *Regnum Deum amantium* bis id notat, nempe c. XXV et c. XXIX.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

—

I

Q. *Paucis describe origines libri Psalmorum* (1).

R. I. Liber psalmorum origine sua primaria *divinus* est, utpote conscriptus sub inspiratione divina qua inter libros Sacræ Scripturæ librosque canonicos fuit relatus.

Quod vero spectat originem suam *humanam* — missa quæstione de auctore et tempore *singulorum* psalmorum (2) — inquirimus de ortu ipsius *collectionis* qualis hodie in bibliis hebraicis sub nomine *Tehillim* (laudes) (3), et in versione septuagintavirali sub titulo ψαλμοί (4), indeque in Vulgata qua *Liber Psalmorum* occurrit.

Hæc collectio, sicut cæteroquin variæ istæ collectiones minores quæ constitutionem definitivæ et ultimæ

---

(1) Cfr. Van Steenkiste, *Liber Psalmorum...* (Brugis, 1886). *Introductio*, pp. 13 ss., 132 ss.; — Vander Heeren, *Psalmi et cantica Breviarii explicata...* (Brugis, 1913), pp. X ss., XIII s.; — E. Tobac, *La formation du Psautier*, (ap. *La Vie Diocésaine*, 1910, pp. 387 ss.); — Drehmans, *Het boek der Psalmen* ('s Hertogenbosch, 1895), pp. 10 ss.; — Bacuez et Vigouroux, *Manuel Biblique*, t. II, nn. 650, 654; — E. Pannier, *Psaume (Livre des)*, apud *Dictionnaire de la Bible* (Paris, 1909); — Zenner-Wiesmann, *Die Psalmen nach dem Urtext* (Münster, 1906), pp. 2 ss.

(2) Hac in re exstat decretum latum a Commissione Pontificia de Re biblica, 1ae Maii 1910; quod vide apud *Collat. Brug.*, t. XV, pp. 371 s.

(3) A verbo *Hillel*, laudate; a quo verbo habes etiam *Allelu-Ja*, laudate Jahve.

(4) A verbo ψάλλειν, fidibus canere, digitis pulsare chordas instrumenti musici; inde ψαλτήριον (hebr.: *nebel*) dictum est de instrumento musico chordis seu fidibus instructum; unde ulterius ipsum *carmen* et tandem integra collectio carminum quæ consonante psalterio, lyra vel cithara decantanda erant.

collectionis qualis hodie existit præcesserunt, ortum habuit ex scopo religioso et practico, fuitque vere pro Judæis *liber liturgicus*, *liber cantus religiosi*.

Sane, multi psalmi, quales ps. IV, VI, XXI, L et alii, origine sua fuerint carmina privata et personalia, in quibus auctor describit suas ærumnas, ægritudines, persecutiones et calumnias, quin ullatenus forte cogitaverit carmina sua aliquando in usum publicum esse assumenda; attamen hi psalmi posteriori tempore accommodati fuerunt ad exprimendos sensus generaliores et nationales; imo nonnullis appositæ fuerint variæ mutationes vel additiones quo melius huic usui liturgico novisque adjunctis adaptarentur. Ita juxta plures psalmo XIII appositus fuerit tempore exilii v. 7; psalmo L, vv. 20 s.; psalmo LXVIII, vv. 34-37.

Hujus usus liturgici perplura exstant argumenta. Plures enim psalmi facile produnt indolem vel adaptationem suam liturgicam, apparentque compositi ut a choris alternantibus decantarentur (cfr. pss. XXIII, CVII, CXXXI), vel ut uno præcinente ipse populus responsorium conclamaret (cfr. pss. CXVII, CV, CVI, CXXXV); et positive constat de psalmorum decantatione ex I Paral. XV, 16 ss., XVI, 8 ss., II Paral. V, 12 ss., XXIX, 25 ss., XXXV, 15; I Esdr. III, 10 s., II Esdr. (Neh.) XII, 24 s., I Mach., IV 52 ss. etc. — Præterea ex inscriptionibus seu titulis qui plerisque psalmis præponuntur, sive in textu hebraico, sive in textu LXX aliarumque versionum, ex traditione quoque judaica consignata in Talmud aliisque scriptis profanis Judæorum, constant sequentia: Singulæ diei, ad sacrificium matutinum, decantandus assignabatur psalmus determinatus: feriæ I^æ, ps. XXIII; feriæ II^æ, ps. XLVII; feriæ III^æ, ps. LXXXI; feriæ IV^æ, ps. XCIII; feriæ V^æ, ps. LXXX; feriæ VI^æ, ps. XCII; sabbato, ps. XCI; die octava festi Tabernaculorum decantabatur ps. XXVIII; in festo Dedicationis, ps. XXIX; in Neomeniis, in festis Dedicationis, Tabernaculorum, Pa-

schatis, Pentecostis aliisque occasionibus decantabatur series psalmorum quos *Hallel* (ægyptiacum) (1) vocabant, nim. psalmi CXII-CXVII; alia series 15 psalmorum (CXIX-CXXXIII), quos *graduales* seu *ascensionum* dicebant, secundum multos decantari solebant a Judæis peregrinantibus in Jerusalem, secundum alios a Levitis, vespere primæ diei Tabernaculorum, per 15 gradus ab atrio mulierum in atrium virorum ascendentibus. — Eamdem indolem liturgicam in lucem ponunt variæ adnotationes quæ occurrunt in *titulis* seu *inscriptionibus* psalmorum (2): in his enim indicatur non raro melodia seu modulatio musicalis juxta quam — vel instrumenta musica ad quorum concentus carmen decantandum erat, eæque adnotationes directæ sunt ad *Præfectum chori* (3).

II. Carmina quibus liber Psalmorum componitur non fuerunt ab uno auctore vel eodem tempore conscripta; ipsa quoque collectio non fuit ab initio confecta qualis hodie existit; quod ex sequentibus constabit:

1/ Ipsa *divisio in psalmos 150* accurata non est, nec in omnibus respondet distinctioni psalmorum quales primitus conscripti fuerunt. Revera psalmi XIII et LII sunt idem psalmus; ps. LXIX constat ex ps. XXXIX, 14^{b}-18; ps. CVII ex ps. LVI, 8-12 et ps. LIX, 6^{b}-14 coaluit; — plures psalmi hodie separati ab invicem, primitus unum composuisse videntur, ut ps. XLI et XLII, CXIV et CXV (Vulg.), et juxta plures CXLVIII-CXLIX-CL; — alii hodie in unum conjuncti primitus psalmos distinctos constituerint, sicuti forte pss. CXIII^{a} et CXIII^{b}; CXLIII, 1-11 et 12-15.

---

(1) Hoc hallel vocatur *ægyptiacum*, quia in specie cantabatur in cœna paschali qua memorabantur exitum de Ægypto.

(2) Has adnotationes bene comparare licet cum rubricis Breviarii.

(3) Hæ omnes adnotationes a græcis translatoribus (LXX) sæpe jam non fuerunt intellectæ, indeque modo inintelligibili translatæ; inde habes in Vulgata nostra varias istas adnotationes quæ sensum non præbent et quas olim Patres et scriptores ecclesiastici vario sensu allegorico et mystico explicare conati sunt.

2/ Altera exstat divisio psalterii *in quinque libros:* I-XL; XLI-LXXI; LXXII-LXXXVIII; LXXXIX-CV; CVI-CL. Quatuor priores libri concluduntur aliqua doxologia: *Benedictus Dominus Deus Israël a sæculo, et usque in sæculum: fiat, fiat* (XL, 14); — *Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus; et benedictum nomen majestatis ejus in æternum; et replebitur majestate ejus omnis terra: fiat, fiat* (LXXI, 18-19); — *Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat* (LXXXVIII, 53); — *Benedictus Dominus Deus Israël a sæculo et usque in sæculum: et dicet omnis populus: fiat, fiat* (CV, 48). Istæ doxologiæ a psalmo cui adduntur independentes sunt, et manifeste apparent dividere Psalterium in varias sectiones. Ultimi libri doxologia dici potest componi vel integro ultimo psalmo vel vers. ultimo: *Omnis spiritus laudet Dominum!* Hæ variæ sectiones ab invicem distinguuntur vario nomine quo Deum nominant: in *primo* libro, Deus fere exclusive designatur nomine *Jahve* (272 vicibus; 15 tantum Elohim); in *secundo*, 164 vicibus vocatur *Elohim*, 30 tantum Jahve; in *quarto* exclusivo nomine *Jahve* (103 vicibus) designatur, ne semel quidem Elohim; in *quinto* quoque fere exclusive dicitur *Jahve* (272 vicibus; septies tantum Elohim dicitur, et hoc quidem in locis desumptis ex partibus Elohisticis aliorum librorum). — In *tertio* libro duæ sectiones sunt discernendæ: pss. LXXII-LXXXII frequentius utuntur nomine *Elohim* (36 vicibus; 13 tantum Jahve); pss. LXXXIII-LXXXVIII uti solent nomine *Jahve* (31 vicibus; septies tantum Elohim).

3/ Præter has quinque sectiones, alias quoque secernere licet: missis pss. I et II qui ut Introductorii haberi possunt et titulo carent, succedit series psalmorum qui inscribuntur *David* (III-XL), alia series *filiis Core* (XLI-XLVIII), alia series *David* (L-LXXI), alia series *Asaph* (LXXII-LXXXII), alia series *David* (CXXXVII-CXLIV); psalmi CXIX-CXXXIII eodem titulo veniunt: cantica graduum, etc. — Præterea ex

dictis supra de usu nominis Dei in variis libris Psalterii desumitur pss. XLI-LXXXII, adeoque totum secundum librum cum prima parte tertii libri, esse Elohisticos, alteram vero partem tertii libri cum reliquis esse Jahvisticam. Unde videtur hos pss. XLI-LXXXII constituere collectionem quamdam psalmorum definitivæ collectioni anteriorem.

Ex dictis apparet, quod cæteroquin nemini jam dubium facit, collectionem psalmorum in unum librum nonnisi pedetentim ortum habuisse, et præcessisse collectiones varias minores, subsequenti tantum tempore in unam adunatas vel novis accedentibus adauctas (1). — *Ordo* vero quo in integro psalterio et in singulis sectionibus psalmi disponuntur non videtur dari, sive chronologicus sive realis; illudque cæteroquin optime explicatur ex natura et origine istarum collectionum: obvie enim ordo desideratur in libro vel *libris cantus* pedetentim efformatis.

III. *Ætatem* singulorum *psalmorum* determinare haud facile est negotium; difficilius adhuc ætatem qua singulæ *sectiones* fuerint compositæ. Quod vero spectat illam *definitivam collectionem* qualis hodie exstat, adsunt utique quædam indicia quæ militant in favorem sententiæ communioris juxta quam hæc fuerit post reditum a captivitate ab Esdra vel saltem hujus epocha confecta. Ita in II Mach. II, 13 legitur Nehemiam construxisse bibliothecam in eaque congregasse, præter alia, scripta prophetarum et scripta David (τὰ τοῦ Δαυείδ); quo nomine sane psalmi intelligebantur. Attamen inde non certo probatur definitivam nostram collectionem jam tunc exstitisse, quum eodem modo liber Mach. loqui potuisset de minori collectione quadam Davidica tunc forte existente. — Aliud indicium habetur in testimonio

(1) Idem apparet ex adnotatione quæ apponitur ps. LXXI, v. 20: *Defecerunt laudes David, filii Jesse.* Hujusmodi enim additio non intelligitur apud auctorem cui notum fuisset in posteriori parte Psalterii decem et octo adhuc Psalmos occurrere nomine Davidicos.

Flavii Josephi (*Contra Appionem*, I, 8), canonem librorum hebraicorum, fuisse clausum tempore Artaxerxis et Nehemiæ, nihilque ex eo tempore jam fuisse additum. Hujus tamen testimonii alii auctoritatem historicam in dubium vocant. — Tandem, in I Paral. XVI, 8-36, adducitur canticum quoddam, ex variis psalmis confectum; in specie citatur excerptum ex ps. CV, vv. 47-48: *Salva nos, Deus salvator noster; et congrega nos, et erue de gentibus, ut confiteamur nomini sancto tuo, et exultemus in carminibus tuis. Benedictus Dominus Deus Israël ab æterno usque in æternum: et dicat omnis populus: Amen, et hymnum Domino* (hebr.: *Alleluia*). Ultima pars hic citata exhibet præcise doxologiam qua in psalterio nostro concluditur quartus liber. Unde auctor librorum Paralipomenon, circa a. 300, jam habebat præ oculis librum psalmorum cum ea divisione quæ hodie exstat. Hujus tamen argumenti vim iterum evertere conantur, canticum hic a libro Paral. relatum habendo sive ex integro, sive ex parte, ut posteriori tempore interpolatum.

Aliunde tamen certo statuitur tempus ultra quod hanc definitivam constitutionem retardare non licet: Iidem enim psalmi, eodem ordine eademque divisione, occurrunt in versione septuagintavirali; hæc autem versio a. 150 antiquior dicenda est; unde definitiva psalterii nostri compositio ultra hunc terminum retardare non licet.

Conclusio ex dictis hæc desumi potest:

Liber psalmorum est collectio quædam liturgica carminum et cantuum, qui a variis auctoribus variisque temporibus et adjunctis, sive in usum privatum sive in usum publicum fuerunt conscripti, et qui, temporibus et auctoribus ignotis, in variis liturgicis collectionibus minoribus adunati fuerunt, usquedum tandem in ea dispositione quam usque hodie servaverunt redacti fuerunt, probabilius quidem ab Esdra vel saltem ipsius tempore, certo autem ante medium sæculum II ante Christum.

A. Vander Heeren.

II

Q. *Quid est* Religio *quatenus de ea inquiritur tum in tractatu de vera Religione, tum in historia Religionum.*

R. I. Religio sumitur tum lato, tum stricto sensu, et in utroque intelligitur vel objective vel subjective.

Religio, in sensu *lato, objective* spectata, est complexus veritatum, legum, institutorum, quibus homines ordinant vitam suam in Deum ut in supremum ipsorum **Dominum (1).**

Religio, in sensu lato, *subjective* spectata est hominis adhæsio (2) ad illas veritates, adimpletio illarum legum, exercitium illorum institutorum.

In data definitione tamquam notam essentialem habemus ordinationem hominis in aliquod *Ens* (vel in plura si errore plures ut æque dii considerarentur) *tamquam in supremum ejus dominum:* ubi hæc notio, saltem confusa, non habetur, ubi non habetur agnitio hominis de sua ab illo Ente *dependentia*, et de obligatione vel saltem honestate morali ad serviendum Ipsi, ibi non habetur **religio proprie dicta (3).**

---

(1) In hac tradenda definitione, quoad ejusdem substantiam saltem, conveniunt DIGNANT, *De numine religionis*, Romæ, 1896, p. 5; LAHOUSSE, *De vera religione*, Lovanii, 1897, p. 14; VAN NOORT, *De vera religione*, Amstelodami, 1907, p. 2; DE GRANDMAISON, ap. HUBY, *Christus*, Paris, 1912, p. 6 ss.

(2) Dicitur *adhæsio*, non fides; nam dari potest religio mere naturalis **ad quam nulla fides requiritur.**

(3) Si v. gr. homines quidam personarum habent existere extra mundum nostrum visibilem invisibiles spiritus, hominibus potentiores, capaces qui illis nocere valeant et favere, si homines unice ex tum revitandi mali vel ex spe obtinendi boni honorent illos spiritus malos vel bonos, *non tamen* habent *religionem*.

Nec dicatur definitionem, quam delimus, esse nimis restrictam. Definitio, per se, non affirmat *existentiam vel falsitatem*, ut possit quis inquirere de existentia religionis oportet ut *prius* definiat quid hoc nomine intelligat, sicut etiam faciendum est quando agitur de inquirenda existentia Dei. Et sane si quis nescit in quo consistat religio, non poterit cognoscere utrum

In religione, lato sensu sumpta et objective, tres quasi-partes distingui possunt: a) complexus *veritatum* quæ intellectu admitti debent, b) complexus *legum* quæ observari debent, c) complexus *rituum* qui exerceri debent: inde pars *dogmatica*, pars *moralis*, pars *ritualis* seu *cultualis* (1).

In tractatu *de vera religione* agitur de religione lato sensu et objective spectata, quam suprà definivimus: inquiritur enim utrum existat revera complexus quidam veritatum, legum, rituum, quem Deus, cujus existentia demonstrata supponitur, imponit hominibus; conclusio vero prædicti tractatus est dari de facto talem complexum, illum nempe quem Christus, utpote Dei legatus, docuit hac in terra: inde conclusio: christianismus est sola *vera religio* (non sola vere religio).

II. Sed præter Christianismum existunt in mundo aliæ religiones: circa illas, specialiter quatenus vigent apud populos non-civilizatos, factæ sunt, præsertim a secunda parte sæculi elapsi, inquisitiones multæ, multaque detecta sunt quæ vel ad religionem pertinent vel ejusdem speciem præ se ferunt, necnon illa elementa inter se comparata sunt, quædamque conclusiones, aliæ veræ, falsæ aliæ, inductæ sunt: complexus illarum cognitionum sæpe vocatur *historia religionum*.

---

in tali regione adsit religio vel non, sicut si quis nescit quid sit aurum non potest dengere utrum in tali terræ parte jaceat aurum necne.

Quodsi dentur homines in quibus non invenitur id quod vocatur religio, conclusio erit illos homines non habere religionem, sed conclusio non erit: non bona est definitio data de religione. — De definitionibus *religionis* quæ admitti nequeunt, cf. LAHOUSSE, *o. c.*, p. 17 ss.

(1) Cf. LEBON Mgr, *La religion des primitifs*, Paris, 1909, p. 50; DE GRANDMAISON S. J., n. 6. — Attamen *legis* et *ritus* non consistit vera *religiositas moralis* quin fundamentum habeat in subjecturne hominis ad Deum et in voluntate Dei erga homines, in hoc sensu, omnis moralis doctrina est etiam religiosa, seu fatur id quod vocatur *moralis independens*. *De facto* apud multos populos non-civilizatos etiam religiosa est moralitas ipsorum. Cf. LEMONNYER, in *Summa Ethnologia religiosa*, 1e Sessione, Bruxelles, 1913, p. 168 ss.

Sed rationalistæ plerique sub hoc nomine subintelligunt falsam eorum doctrinam, secundum quam omnes religiones, etiam christianismus, exortæ sunt per successivam transformationem alicujus naturalis religionis, quæ originem habent in naturali quadam hominis indigentia (1).

Hic nomine « historia religionum » nihil aliud intelligitur quam cognitio (2), quam homo sibi acquirere potest de indole variarum religionum, de earum origine, de mutua ad invicem connexione (3), de successiva perfectione vel imperfectione cui fuerunt subjectæ, etc. (4). In hac porro inquisitione, eadem est servanda definitio, quam supra dedimus, de religione lato sensu et objective spectata.

Sed ulterius habenda est ratio, ut complete et radicitus fiat inquisitio, de religione *in sensu stricto* sumpta.

Religio porro, stricte dicta et *subjective* spectata, est virtus (vel dispositio) inclinans hominem ad reddendum Deo *honorem* Ipsi debitum; inde actus proprie et for-

---

(1) Varia deinde proposita sunt systemata quibus exponitur prædicta evolutio: qui de hac re synopticam notitiam sibi acquirere cupit utiliter leget PERNOUD, *L'évolutionnisme religieux*, Bruxelles, 1912. Ad profundius studium perficiendum consulendi sunt DE BROGLIE, *Problèmes et conclusions de l'histoire des religions*; SCHMIDT, *L'origine de l'idée de Dieu*, in periodico *Anthropos*, 1908, p. 125 ss.; BRICOUT, *Où en est l'histoire des religions*, Paris, 1911; HUBY, *Christus*, Paris, 1912; LEROY Mgr, *o. c.*; alios etiam auctores citatos invenies apud LAHOUSSE, *o. c.*, p. 475-513.

(2) Dicitur cognitio, non scientia.

(3) V. gr. de influxu christianismi in mahometismum.

(4) Dari posse historiam de religionibus dubitandum non est: imo de unica vera religione, nempe de supernaturali religione, quæ fuit a Deo revelata, datur historia: historia de successiva revelatione veritatum, de impositione legum, de institutione rituum et sacerdotii; in hac historia tres distingui possunt periodi: ab initio usque ad Moysem, a Moyse usque ad Christum, a Christo usque ad mortem ultimi ejus apostoli. De aliis religionibus potest etiam cognosci quomodo ortæ sint, evolutæ vel corruptæ.

Quoad methodum sequendam in investigandis et conferendis ad invicem religionibus, cf. PINARD, *Quelques précisions sur la méthode comparative*, in *Anthropos*, 1910, p. 534 ss.

maliter *religiosus* est ille quo Deo exhibetur debita *reverentia* seu quo homo formaliter et explicite sese subjicit ad agnitam Dei excellentiam: hic est *cultus latriæ*, cujus exercitium essentialiter et specifice differt ab omni alio cultu, qui alicui creaturæ defertur (1): soli enim Deo, utpote creatori, inest hæc excellentia qua est supremus omnium Dominus. Religio, sensu stricto accepta, nonnisi enti quod ut *persona* habetur, defertur. Religio, sensu stricto et *objective* spectata, est ipse honor Deo tribuendus.

Si ad invicem comparantur religio *lato sensu* et religio *stricto sensu* acceptæ, constat, ex suprà dictis, hanc esse partem illius: in religione enim lato sensu sumpta continentur ea quæ ad ipsum cultum latriæ pertinent.

Attamen, ut videtur, theoretice loquendo, concipi posset aliqua religio, deficiens quidem, sed essentiam verificans religionis late dictæ, quin contineat religionem stricte dictam: si, v. gr. homines agnoscerent aliquod Ens Supremum et leges ab Illo datas observandas, et tamen falso putarent se non obligari ad reddendum formaliter *honorem* illi Enti, imo censerent nec obsequium posse Ipsi præstare exhibendo Ipsi

---

(1) De religione, quatenus est specialis virtus agit S. Thomas 2-2, q. 81. Cf. DIGNANT, *o. c.*, l. c.; *Collat. Brug*, t. V, p. 469 ss., 603; t. VI, p. 293. Patet dari posse virtutem religionis mere *naturalem*.

De religione in sensu stricto et subjective sumpta videtur intelligenda hæc descriptio: « Est certainement et spécifiquement *religieux* ce qui contient au moins implicitement une volonté de se soumettre totalement, d'honorer un être ou des êtres surhumains, personnels et divins, une promptitude à leur obéir, à les servir avec le sentiment que c'est un devoir, et, qu'à s'y soustraire, on se rend coupable et digne de châtiment, un effort pour atteindre ce divin, comme il mérite d'être atteint, sans prétention d'exercer sur lui une action déterminante, mais plutôt par un culte qui a sa valeur propre, par des prières et des actes, où se traduisent, fût-ce en bégayant, l'adoration, l'amour ou la crainte, la révérence et le désir, l'offrande, et enfin, une fois le don obtenu, la reconnaissance et l'action de grâces ». BOUVIER, in *Recherches de science religieuse*, t. III, 1912, p. 418. Secundum hanc descriptionem *magia* omnino opponitur religioni et ipsi contraria est: cf. *ibid.*

reverentiam, homines illi haberent aliquam religionem late dictam, sed non religionem stricte dictam (1).

Concludimus ex dictis tum in tractatu de vera religione, tum in historia religionum, servandam esse eamdem definitionem de religione lato et stricto sensu accepta, et inquirendum esse in historia religionum utrum hæc res, sic definita, existat vel non apud populos diversos (2). Præterea etiam inquirendum utrum habeat religionem stricte dictam, nempe cultum latriæ.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Explica notionem* dominii alti *quod reipublicæ competit in bona civium.*

R. *Jus seu dominium altum* est « facultas quæ reipublicæ qua tali competit disponendi, in casibus necessitatis, de bonis suorum civium, non ut proprietarius absolutus et directus sed in quantum id postulat bonum commune, et indirecte vi scilicet sui juris jurisdictionis, quo potest et debet consulere bono communi » (3).

Opponitur illud reipublicæ seu Principis altum do-

---

(1) Kant explicite negat officia specifice *religiosa;* quoad alia officia negat etiam obligationis fundamentum niti in voluntate Dei. Cf. Sentroul (Mgr), *La philosophie religieuse de Kant,* Bruxelles, 1911, p. 75.

(2) Quæstio utrum talis determinatus populus habeat religionem, sive lato sensu, sive stricto sensu, non est eadem ac quæstio utrum habeat *notitiam* de Deo tamquam de Ente Supremo vel de Supremo Domino: possunt enim homines cognoscere Deum et tamen Ipsum non colere, nec Ipsi servire. S. Paulus, *Rom.* I, 18-25, docere videtur paganos illos, de quibus loquitur, cognoscere quidem Deum sed eum non colere; ideoque ad idololatriam devenisse et ad alia pessima crimina. Cf. Cornely, *Commentarius in epistolam S. Pauli ad Romanos,* Parisiis, 1876, p. 75 ss. Quapropter illa idololatria nec est, nec dici potest *religio.* — Etiam possibilis videtur cognitio de Ente Supremo cum hac falsa conclusione quod de hominibus illud Ens nullam habeat curam, nec legislator, nec judex illorum sit.

(3) Cf. Ill^mum^ Waffelaert: *De Justitia,* I, n. 41.

minium *dominio basso sive humili*, nempe jiuri stricto quod privatis civibus competit in res suas, necnon personis moralibus, qua personas privatas agentibus, in suas possessiones; v. g. ipsi Statui in illa bona quæ dicuntur: le domaine de l'État.

a. Si primum de *origine vocis historica* quæratur, hæc a medio ævo haurienda videtur. Cum enim in Europa jus feudale vigeret, haberetque rex seu dominus feudi verum aliquod jus proprietatis in feudum simul cum feudatario seu vassalo, dominium prioris altum vocabatur, alterius autem bassum sive humile (1). Tale quidem jus Principis minime tunc temporis oriebatur ex falso principio quod condominium necessario ex ratione principatus sequeretur; non enim in omnia civium bona jus altum se extendebat, sed tantum in feudalia.

Verum, sæculo XVII et XVIII insana cæpit propugnari opinio Statum omnium bonorum dominum esse; quod quidem nonnullis placuit principibus (2). Nec desunt nostris diebus qui, collectivismi chimæram prosequentes, similia asserunt, veluti respublica communis bonorum possessor existeret aut evadenda esset. « Evertere privatas bonorum possessiones contendunt oportere, earumque loco communia universis singulorum bona facere, procurantibus viris qui aut municipio præsint aut totam rempublicam gerant » (3).

---

(1) Quæ divisio tunc temporis re æquivalebat divisioni inter dominium directum et utile. Sed sensim sine sensu, factum est ut a dominio alto ratio ver. dominii magis ac magis recederet, et accederet ad dominium humile, ita ut vassali tandem soli proprietarii evaserint. Cf. PLANIOL: *Traité élémentaire de Droit Civil*, I, p. 750 etc. — VAN GESTEL: *De Justitia et lege civili*, p. 103. — BALLERINI-PALMIERI: *Opus Morale*, III, p. 28.

(2) Hinc illud Ludovici XIV in instructione ad Delphinum: « Vous devez être bien persuadé que les rois sont seigneurs absolus, et ont naturellement la disposition pleine et libre de tous les biens qui sont possédés, aussi bien par les gens d'église que par les séculiers. » — Cf. BRUN: *Introduction à l'étude du Droit*, p. 157.

(3) LEO XIII: *Rerum Novarum*.

Explicandum porro nobis est quid hodie sub nomine dominii alti veniat, necnon sub quibusnam limitibus jus illud a republica legitime queat exerceri. Jamvero:

b/ Penes rempublicam civilem esse aliquam potestatem in civium bona, nemo est qui sapienter negare possit: hanc enim potestatem usus omnium temporum testatur, ratio dictat, et necessitas boni communis omnino postulat.

Communiter autem apud auctores proponitur distinctio in dominium altum et humile ut subdivisio quædam seu ut duplex species juris rigorosi. Nequaquam tamen ita intelligendum est istud dominium altum ac si eadem facultas, eadem latitudo reipublicæ competeret in bona privatorum ac ipsis civibus in sua. Revera, in illa divisione inter dominium altum et humile, vox: dominium non univoce sumitur; aliis verbis, dum dominium humile verum et formale dominium constituit, altum Status dominium nec dominium dicit perfectum, nec dominium veri nominis etiam imperfectum.

Et sane, dominium quodcumque stricti nominis dicit facultatem disponendi pro arbitrio de aliqua re, vel de aliqua rei utilitate, in proprium et exclusivum commodum: respublica autem seu Princeps minime pro lubitu, nec ad proprium commodum, sed tantum ob bonum commune de bonis privatorum disponere potest, nec præter limites necessitatis publicæ.

Præterea, in ordine ad bonum commune, jus competit Statui disponendi non tantum de rebus privatorum, sed etiam de illorum actibus et personis, quantum fuerit necessarium: tale autem jus, ut reflectenti patet, non est jus aliquod proprietatis sed jurisdictionis seu administrationis. Sed « essentiale est discrimen inter jus strictum et potestatem jurisdictionis » (1); et hoc inde etiam confirmatur, ut observat Lugo, quod totum jus reipublicæ de quo agimus, est *indirectum:* « quatenus

(1) Cf. Illmus Waffelaert, o. c., n. 24.

directe potest et debet consulere bono communi, et providere necessitati communi, indirecte vero potest facere ea quæ necessaria sunt ad hunc finem, et ideo potest destruere vel vendere domum subditi, si hoc necessarium sit ad talem finem » (1).

Tandem, adde quod respublica, si dominium proprietatis possideret in bona civium, nequaquam injusta esset ea alienando absque necessitate, nec damna compensare deberet ex alienatione civibus oriunda, nec denique tandem ipsa existeret propter civem, sed potius civis cum suis bonis propter rempublicam; quæ omnia sustineri nequeunt.

Restat ergo ut dominium altum sit *potestas jurisdictionis* qua bona civium reipublicæ indirecte connectuntur, adeo ut ipsa, propter necessitatem communem, jus habeat de illis disponendi. — Ad rem Seneca philosophus: « Omnia rex imperio possidet, singuli dominio. Ad reges enim potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas » (2). Et S. Thomas: « Omnia sunt principum ad gubernandum, non ad retinendum sibi aut dandum aliis » (3).

c/ Agedum, quod attinet ad *exercitium* dominii alti, ex dictis facile apparet aliquam necessitatem aut saltem manifestam utilitatem, eamque publicam, omnino requiri: cum agatur de jure non in formali reipublicæ dominio, sed præcise in necessitate communi fundato. Et sane postulant libertas et incolumitas civium ut potestati civili limites necessitatis publicæ præfigantur; idemque postulant grassantes errores bene multorum, tum collectivistarum, tum eorum qui in Syllabo condemnantur dicentes: « reipublicæ Status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus » (4). Nefas ergo est, si Status

(1) *De Justitia et Jure*, disp. I, sect. 1, n. 9.
(2) *De Beneficiis*, l. VII, c. 5.
(3) Quæst. Quotl. XII, a. 24.
(4) Cf. Denzinger-Bannwart: *Enchiridion Symbolorum*, n. 1739.

ultra necessitatis communis exigentiam altum suum dominium protendat. Nefas pariter, ut patet, si utatur acceptione personarum, dum quidam gravantur, aliis vero in simili casu parcetur; aut si de bonis sacris contra superiora Ecclesiæ jura disponat.

Præterea, per se tenetur compensare damna, ex exercitio dominii alti gravatis orta: iniquum enim esset si illi soli totum onus sustinere cogerentur (1).

d/ Tandem, si quæras quasnam potestatis publicæ dispositiones complectatur dominium altum, non una apparet auctorum sententia, licet de verbo magis quam de ipsa re lis esse videatur. Nimirum omnes admittunt agi imprimis de illa ablatione dominii privati quæ dicitur: expropriation pour cause d'utilité publique, et de qua scite notat Lugo « hunc esse unum ex casibus particularibus, in quibus ille qui non est dominus simpliciter rei, potest vendere et transferre in emptorem dominium simpliciter et formale quod ipse non habet; et ideo appellamus illud dominium *eminentiale seu causale*, quatenus potest in emptore producere dominium formale et actuale » (2).

Verum, secundum quosdam auctores (3), in hujusmodi tantum actibus presse dicta consistit dominii alti ratio; dum alii communius, verbis magis minusve explicitis, ulterius pergunt atque sub dominio alto

---

(1) Cf. *Codicem Civilem*, a. 545. Quandoque sufficit ut compensatio æquivalenter fiat, ut de *præscriptione* notat Ill^mus Waffelaert, o. c., n. 213: « eo ipso quod lex præscriptionis, ante omnem eventum statuta, æqualem omnibus lucri et damni sortem exhibeat. »

(2) O. c., disp. I, sect. 1, n. 10. — Et inde fit etiam ut retineri possit nomen dominii alti, etsi nullatenus jam connotet verum dominium aut condominium, sicuti primitus erat. Insuper apparet quomodo dominium altum, licet jus rigorosum non sit, producat tamen jura rigorosa: translato enim legitime dominio, novus dominus jus strictum jam habet in re jam sua a qua proinde injuste impediretur aut privaretur. Cujus rei ratio est legislatorem hanc vim habere ut id quod legitime præcipit, constituat materiam obligationis sub ea virtute cujus intuitu lex lata est.

(3) Inter quos Vermeersch: *Quæstiones de Justitia*, n. 242; Moulart: *l'Église et l'État*, 2e éd., p. 550.

collocant omnes restrictiones apponendas ob bonum commune exercitio proprietatis privatæ, necnon leges quibus civium jura et dominia, ex jure naturali insufficienter determinata, accurate definiuntur et circumscribuntur (1). Quem ultimum loquendi modum præferendum opinamur.

IV

Q *Expone discrimen inter jus in re et jus ad rem.*

R. Quoniam notiones juris in re et juris ad rem, quæ in toto tractatu de justitia frequentioris et momentosæ sunt applicationis, ex alia tamen parte sat abstractæ videntur, jam ab initio præ oculis ponamus illius utriusque juris concretum aliquem typum, ad quem in decursu explicationum recurrere liceat. Itaque cogita hinc dominium proprietatis in aliquam domum, hinc jus quod habet creditor ut a debitore aliqua pecuniæ summa sibi solvatur.

Divisio hæc inter jus in re et ad rem est divisio quædam juris stricti (2), seu facultatis moralis inviolabilis ad aliquid habendum vel faciendum in proprium et exclusivum commodum. Sumitur autem a parte *modi* quo connexio existit inter subjectum et objectum juris, seu inter personam jus habentem et rem ad quam jus habet.

a/ Est autem *jus in re seu jus reale* illud « quod quis habet in illa bona quæ *hic et nunc* ipsi moraliter connectuntur in proprium commodum » (3). Aliis verbis: est jus strictum quod aliquis habet *in re jam sua* et sibi

---

(1) Et ita sub alto dominio cadunt determinatio jurium auctorum, juris successionis et præscriptionis, leges vectigales et mulctas imponentes etc.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. I, p. 533.

(3) Ill^mus^ Waffelaert, o. c., n. 43-49. In hac definitione, sub nomine bonorum veniunt res omnes, sive corporales, sive incorporales, quæ homini in proprium commodum devinciri possunt.

appropriata, adeo ut legitime possit et statim de ea disponere.

Equidem quisque intelligit dari bona quibus in præsenti fruimur, quia jam nostra sunt, et alia quibus nondum quidem fruimur, quia nondum nobis moraliter connectuntur, sed quæ tamen, pro jure nostro, stricte debeant in proprium et actuale devinciri commodum, sive statim sive post tempus. Ex utraque parte jus illud est strictum: sed primum in ratione juris perfectum est, alterum imperfectum tantum seu inchoatum.

Nunc autem, ut jus in re existat, seu ut bonum de quo agitur dicto sensu *nostrum* vocari possit, tres requiruntur conditiones:

Ex parte tituli fundantis jus, oportet non tantum ut pertineat ad strictam seu commutativam justitiam, sed insuper ut hujusmodi sit qui hic et nunc rem subjiciat potestati nostræ morali. Sic si Caius contrahat cum Julio se equum suum pro equo Julii post mensem commutaturum, uterque jus strictum statim acquirit, ut alter equum ipsi post mensem tradat. Attamen neuter jus habet ad præsentem fruitionem equi alterius, neque proinde titulum sufficientem ad jus in re constituendum (1).

Ex parte vero ipsius rei seu objecti juris, oportet tum ut res existat tum ut sufficienter sit determinata. Primo quidem ut res existat: quomodo enim res nondum vel non jam existens connexione morali mihi actualiter devinceretur? Ceterum, quomodo nunc ea frui possem? Ita agricola, etsi jus strictum habeat in fructus agrorum suorum adhuc *futuros*, non tamen jure in re quoad illos potitur. Contra, in fructus jam existentes jure reali

---

(1) Adverte non tantum substantiam rei, sed et aliquam partem ejus, aut usum aut utilitatem aut commodum aliquod exclusive sumptum, materiam juris in re existere posse. Et ita unus potest habere nudam proprietatem alicujus domus, dum alter usumfructum ejusdem possidet. Nec posset dicere usufructuarius: hæc domus est *mea*, nisi addendo vel subaudiendo: quoad usumfructum.

pollet. — Secundo requiritur apta determinatio objecti juris: secus enim quænam præcise res mihi actualiter connectetur? Seu in quodnam concretum objectum se extendet actuale meum dominium? Res ergo debet esse tum in se tum in individuo determinata, et ab aliis etiam ejusdem speciei distincta. Sic qui ex pluribus equis unum sed absque determinatione emit, non acquirit jus in re. Nec ille qui aliquotam partem, etiam determinatam, mercium emit quæ pondere aut mensura venduntur, antequam a toto acervo pars empta segregetur; antea enim nondum ulla pars in concreto ipsi annectitur, sed tantum jus habet ut illa moralis annexio fiat.

Uno tandem verbo, jus in re coincidit cum *dominio* proprie dicto, sumendo illud in tota sua extensione, prout dicit dominium sive plenum sive non plenum, et istud sive directum sive utile; dominium enim ita intellectum præcise dicit potestatem moralem actualem disponendi de re aliqua aut de quadam ejus utilitate in proprium et exclusivum commodum (1).

Sedulo notandum est illam actualem connexionem quam jus reale inter objectum et subjectum juris ponit esse connexionem *moralem*, non necessario physicam. Physica quidem possessio heic nec essentialis est, nec sola sufficit. Pone enim furem actualiter equum meum detinere: patet hinc quidem jus meum reale inde non deficere, hinc vero furem inde nullo jure pollere.

b/ *Jus ad rem*, quod etiam inchoatum dicitur, est « jus quod quis habet quoad ea bona quæ ipsi hic et nunc non annectuntur in proprium suum commodum, sed ita annecti debent, vel nunc vel in aliquo tempore futuro » (2). Aliis verbis: est jus strictum quod quis habet ut res aliqua *fiat sua*, cum nondum sit.

---

(1) Sic ergo non tantum dominium proprietatis, sed etiam jus usus et ususfructus, jus hypothecæ et pignoris, jus servitutis etc. constituunt jura in re. Acquiruntur autem variis modis, ut emptione, donatione, successione etc., attentis tamen legibus civilibus cujusque regionis.

(2) Crolly: *Disputationes Theol. de Justitia et Jure*, n. 138.

Quod facile intelligitur ex oppositione cum jure reali. Ex una parte, requiritur ad jus ad rem constituendum titulus quidam justitiæ strictæ, v. g. contractus; ex alia parte, oportet ut deficiat una saltem ex tribus conditionibus supra indicatis quas jus in re requirit. Et ita in allatis supra exemplis in quibus jus reale non dabatur, singula vice agebatur de jure ad rem.

Præcipuum typum juris ad rem constituit *jus creditoris erga debitorem* alicujus summæ pecuniæ; quod jus variis modis oriri potest, v. g. ex venditione quadam aut ex aliqua injusta damnificatione. Illud creditoris jus, utut strictum, minime tamen est jus reale: quia vel pecunia non statim est solvenda, vel saltem illa summa, etsi determinata quoad valorem, non tamen determinata est in individuo; nondum enim ulli determinati debitoris nummi sunt in concreto res creditoris. Illius ergo jus non ipsi devincit hic et nunc ipsam pecuniam alterius, sed ipsi adstringit *personam* debitoris, qui ex justitia tenetur suum creditorem sive statim sive post tempus solvendo constituere in jure in re (1).

Et ita intelligitur quod dicunt: jus ad rem esse jus inchoatum et personale (2) quod quis habet erga personam debitoris; esse viam ad jus in re, vel esse jus ad jus in re etc.

Ipsum insuper nunquam præsentem conferre rei fruitionem, secus ac jus reale, ex dictis etiam sequitur. Nam

---

(1) Præcipuum illud juris ad rem specimen præ oculis habet Ill^mus Waffelaert in sua definitione, o. c., n. 44: « Jus ad rem illud est quod quis (creditor dictus) habet erga personam debitoris in bona, quæ ipsi hic et nunc non annectuntur in proprium commodum, sed debent seu postulant ex justitia annecti sive nunc sive in tempore futuro. » Quæ definitio illos non complectitur casus in quibus nullus debitor existit, ut dictum est de jure agricolæ in futuros fructus agri sui.

(2) Melius diceretur jus in personam quam jus personale; ne confusio fiat cum illis juribus (etiam realibus) quæ dicuntur personalia quia non transeunt ad hæredes, ut jus illud ususfructus quod cessat cum morte usufructuarii, aut quia ab habente solo et non ab ipsius creditoribus exerceri possunt (cf. a. 1166 C. C.).

vel tempus aliquod, vel ut plurimum actio alterius requiritur antequam in proprium commodum res legitime converti possit. Sic creditor solutionem debiti expectare debet antequam fiat pecuniæ dominus; agricola autem tempus quo fructus agrorum suorum fuerint nati.

Jus ergo ad rem (exceptis casibus in quibus solo decursu temporis mutatur in jus reale) innititur obligatione positiva alterius, quo posito interventu mutatur et perficitur; secus vero pro jure in re, quod ab initio perfectum est in ratione juris.

Tandem, pro natura rei, jus ad rem confert habenti actionem (1) *personalem* tantum, seu contra personam quæ ex contractu aut delicto aliquid dare aut agere obligatur. Jus in re autem per se confert habenti actionem *realem*, scilicet in revendicationem ipsius rei utpote suæ, ita ut dominus contra quemcumque actualem detentorem illam repetere possit. Exemplo rem illustremus: creditores ordinarii alicujus mercatoris qui foro cedit actionem habent in mercatorem tantum, non vero in ipsas mercatoris merces aut pecuniam; creditor autem hypothecarius aut ille qui proprias suas merces apud fori cessorem non vendidit sed deposuit, jus reale habent et proinde actionem realem et prævalentem in ipsas res hypotheca gravatas vel in depositum traditas.

Equidem naturæ omnino consonum est ut juri reali actio realis correspondeat. Hoc tamen a jure naturæ non stricte exigitur, cum salva sit justitia commutativa ubi servatur perfecta æqualitas, sive ipsam rem tradendo, sive aliam æquivalentem aut adæquatum ejus valorem. Unde non inculpanda est lex civilis ubi per accidens, propter securitatem commercii vel aliud motivum boni communis, nonnunquam personalem tantum

(1) Actio heic intelligitur facultas prosequendi in judicio jus suum. — Ill^{mus} Waffelaert, n. 47.

actionem concedit illi qui jus reale habebat, maxime in bona mobilia (1).

E. HOSTEN.

V

Q. *Dijudicatur effatum:* Praxis differt a speculatione.

R. Frequens in regulanda vita morali quemadmodum in ordinanda quavis activitate currit adagium: praxis differt a speculatione, nec ita raro ex perversa interpretatione tamquam excusatio assumitur aut minoris scientiæ aut laxioris praxeos. Illud ideo dijudicaturi dicemus 1°, verum esse effatum si enuntiet tantum discrimen inter rationem speculativam et practicam; 2°, si vero relationem spectet scientiam practicam inter et praxim, 1, falsum quidem esse hanc illi opponi posse; 2, verum autem praxim principiis fundatam plurimum conferre scientiæ seu speculationi ad promptam et rectam principiorum in casibus concretis applicationem (2).

1° Si verba « speculatio » et « praxis » intelliguntur sensu restricto, quatenus primum designat scientiam moralem mere speculativam, tendens unice ad veritatis in re morali cognitionem, seu sistens in veri contemplatione illudque a falso discernens, alterum vero significat scientiam moralem prout ad dirigendam actionem adhibetur, ordinans nimirum verum cognitum ad directionem operationis sub respectu morali (3), rectum est effatum nec aliud enuntiat nisi distinctionem inter rationem speculativam et practicam. Exemplo sit distinctio inter

(1) Sic jus reale seu dominium rei de priore domino in novum detentorem transfert lex nostra, ubicumque applicatur principium: en fait de meubles possession vaut titre; relicta tantum priori domino actione personali contra illum cujus culpa ipse re sua privatur. — Generatim tamen concedit lex actionem realem habenti jus in re; sed utique videndum est quænam jura jus civile cujusque regionis agnoscat ut realia.

(2) Cfr. ILL. AC REV. WAFFELAERT, *De dubio solvendo*, n. 245 ss.

(3) O. c. n. 174 ss. DE JAEGHER, *Institutiones philosophicæ*, n. 184.

dubium speculativum et dubium practicum: dubium de valore contractus tali forma initi, aut sacramenti cum tali materia ministrati est dubium speculativum, impediens nempe judicium theoreticum definitivum utrum contractus aut sacramentum sit necne, donec alterutrum argumentis speculativis probetur. Dubium vero utrum sim ligatus tali contractu, utrum mihi liceat ita sacramentum conficere est dubium practicum, illudque non perseverat cum dubio speculativo, sed subito et certo ex principiis practicis resolvitur. Speculatio igitur cui conformandam dicemus praxim non est speculatio mere talis, sed speculatio practica (1).

2° Jam ergo consideremus adagium in quantum praxim opponit ipsi etiam scientiæ practicæ.

1. Falsum est quatenus enuntiat oppositionem inter utramque.

Unde ille sensus? — Ex eo quod quidam, licet cognoscant principia theologiæ moralis, casus practicos nonnumquam perperam solvant, quatenus nimirum haud recte judicant quodnam principium omnibus circumstantiis inspectis applicari postulet, aut quænam conclusio ex pluribus principiis sit deducenda (2), enuntiata

---

(1) Recolatur duplex munus rationis humanæ. Rationis est ordinare 1° *contemplabilia,* id est percipere ordinem quo invicem continentur omnia quæ ab actione nostra non dependent: in tantum vocatur ratio *speculativa* et est apprehensiva solum, ad eamque spectant tum scientiæ speculativæ, ordinem rerum ad causas proximas, tum philosophia metaphysica, ordinem rerum ad supremas causas exprimentes. Rationis est ordinare 2° *operabilia,* id est, ponere ordinem in omnibus quæ ab ipsa active procedunt: in tantum vocatur *practica* et est etiam motiva, non quasi exequens motum, sed quasi dirigens ad motum, proponens nempe voluntati verum cognitum sub ratione boni appetendi: ad eam pertinent scientiæ artium et in philosophia logica ac ethica. Cfr. *De dubio solvendo,* n. 174 ss.; De Jaegher, o c., p. 1, p. 133 ss.; S. Th. I, qu. 79, art. 11.

(2) V. g. integritatem formalem confessionis exigent ubi ea moraliter impossibilis est, aut restitutionem imponent ubi vere non urget obligatio, quia non applicant principium de sufficientia integritatis materialis in tali casu, aut non omnia principia considerant ex quibus demonstratur restitutio non obligare. Recta igitur praxis difformis quidem erit ab illa

est quædam oppositio inter scientiam moralem et praxim, atque id quod imprudentiæ personarum erat incriminandum, culpæ versum est ipsi scientiæ.

Sequela autem logica at infausta hujus opinionis apud quosdam fuit ut, relicto aut neglecto studio principiorum quæ fundamenta rei moralis exhibent, solis fere solutionibus practicis casuum conscientiæ attenderent absque scientifica rationum æstimatione. Nec minus ipsi theologiæ morali quam individuis theologis nocumentum attulit aversio illa a quæstionibus scientificis ad meram casuisticam, quod historia abunde testatur (1).

Crisis. — Talem sane oppositionem repudiamus omnino, quasi quæ theoretice proponuntur in scientia morali non essent applicabilia in praxi. Si enim theoria vera est, praxis quæ ipsi vere contrariatur eo ipso falsa et illegitima ostenditur; si vero applicatio quædam practica recta dicenda est quamvis opposita alicui solutioni theoreticæ, hæc ipsa theoria inde aut falsa aut imprudenter interpretata demonstratur.

2. Quo sensu verum dicit adagium?

Ex dictis autem jam liquet quonam vero sensu dicatur praxis differre a speculatione. Sola nimirum speculativa cognitio omnium principiorum ex auctoribus et propria reflexione hausta non statim parem aliquem reddit ad casus in praxi occurrentes solvendos, sed præter eam requiritur prudentia et sensus theologicus practicus,

---

manca speculatione, conformis vero rectæ et completæ principiorum considerationi.

(1) Ut videre est apud Bouquillon, *Theologia moralis fundamentalis*, 3ª ed., in introductione de historia theologiæ moralis, p. 129 ss. Nonne similis causa subest agnosticismo morali modernorum? Hi enim, sive ex agnosticismo transcendentali kantiano, sive ex positivismo morali, repudiant absoluta principia seu metaphysicam omnem in re morali, nihilque nisi facta concreta experientiâ cognita methodice observata attendunt, indeque inductione regulas positivas, concretas adeoque mutabiles deducunt. Cfr. Beysens, *Ethiek of natuurlijke zedenleer*. Iᵉ deel: algemeene ethiek. Leiden, 1913, p. 50 ss. *Dictionnaire de theologie catholique*, Vacant, vº Casuistique, t. II, col. 1859 ss.

quæ confert praxis seu experientia, ut principia recte applicentur. — Prudentia illa in eo præcise consistit quod aliquis omnia simul adjuncta quæ casum concretum constituunt præ mente teneat, pro æquo penset atque principium aut principia hisce omnibus circumstantiis respondentia applicet (1).

Conclusio sit praxim nequaquam posse opponi speculationi rationis practicæ, dum ab ea omnem legitimitatem accipere debet (2); eam tamen in quantum confert habitum prudentiæ et sensum theologicum practicum maximo adjumento esse scientiæ theoreticæ ut quis prompte et recte casus etiam difficiles solvere valeat.

A. LEGRAND.

VI

Q. Quænam missæ in honorem B. Mariæ Virginis celebrari possunt tanquam votivæ?

R. I. Decretum Generale S. R. C. de missis votivis, diei 30 jun. 1896, n. 3922, statuit principium generale (sub n. III, 1): « Dici possunt ut votivæ, Missæ omnes a) quæ in fine Missalis sub hac designatione ponuntur, b) necnon illæ quæ in corpore Missalis, ut votivo more per annum dici possint, adnotantur. »

---

(1) Ratio autem cur sola speculatio insufficiens sit ea est quod dum actiones, quas immediate regulat praxis, sint circa singularia contingentia, principia contra sunt generalia, universalia per abstractionem efformata adeoque prudenter ad concretam realitatem reducenda. Ratio enim nostra quæ directe singularia non cognoscit et infinitatem singularium non potest comprehendere, abstrahit ab adjunctis in singularibus casibus ut ad aliquod dictamen universale singularia reducamus. Cfr *De dubio solvendo*, n. 187.

(2) Studium igitur scientificum rei moralis praxim continuo regulare atque illustrare debet. Atque ideo, occasione editionis commentarii gallici P. Pègues in I-II Summæ theologicæ, gaudendum diximus de hoc reditu ad ipsum principem theologiæ scolasticæ moralis haud secus quam dogmaticæ: inde enim tum theologis utilitas summa, tum theologiæ splendor novus exspectari potest. *Collat. Brug.*, hoc tomo, p. 335.

Dispositio specialis de votivis B. Mariæ Virginis (sub n. V, 1) nihil aliud est quam illius principii applicatio: « Missa votiva de Beata Virgine sive sit privata, sive solemnis etiam pro re gravi, debet esse una a/ ex Votivis B. M. V. in fine Missalis positis pro diversitate temporum, b/ aliave approbata ut votiva dicatur, ut Missa *Gaudens gaudebo* de Immaculata Conceptione et Missa septem Dolorum. »

II. Votivæ de B. Maria V. in fine Missalis numero sunt quinque et assignantur quinque diversis anni ecclesiastici temporibus: horum intuitu diversimode conceptæ sunt habentque partes proprias, quæ exprimunt magis proprie relationem Dei Genitricis cum mysteriis vitæ Christi quæ successivis anni liturgici temporibus recoluntur. Ita tempore Adventus seu exspectationis nasciturí Salvatoris dicenda est missa *Rorate cœli*, quæ magna ex parte convenit cum missa feriæ IV Quatuor Temporum Adventus, et omnino eadem est ac missa festi *Exspectationis Partus* B. M. V.: in ea celebratur diserte Mariæ maternitas divina ante partum.

A festo Nativitatis Domini usque ad Purificationem eligenda est missa *Vultum tuum*. Hæc celebrat maternitatem Mariæ nato jam Salvatore, cujus apparitio et nativitas diserte recoluntur. Ceterum vix non omnia hujus missæ elementa desumpta sunt ex missis Nativitatis Domini et ex missa festi Circumcisionis quod olim habebatur partim ut festum Dei Genitricis.

Pro sequentibus temporibus anni liturgici, quæ recolunt vitam Christi publicam, dolorosam et gloriosam, minus intima est relatio matris ad mysteria vitæ Filii (1): et ideo tres missæ sequentes conceptæ sunt modo magis generali: celebrantur encomia Dei Genitricis, ita tamen ut minores quasdam habeant inter se differentias.

III. Quod vero spectat missas proprias festorum B. M. V., generatim non possunt celebrari tanquam

(1) Nota tamen diversa evangelia.

votivæ seu extra ordinem officii. Ratio esse videtur quia multo magis quam festa ceterorum Sanctorum cohærent cum mysteriis vitæ Christi et operis redemptionis nostræ quæ temporibus juxta ordinem historicum et logicum statutis celebrantur, et ideo difficilius extra dies proprios sibi assignatos recoli possunt.

Sunt tamen quædam exceptiones. Sunt enim quædam festorum missæ quas ipsa Missalis rubrica permittit celebrare ut votivas, adnotando in corpore Missæ quonam modo « votivo more per annum dici possint. » Hujusmodi autem hodie tres missæ sunt in calendario universalis Ecclesiæ.

1 Missa *Gaudens gaudebo* festi Immaculatæ Conceptionis, diei 8 decembris. Indicatur enim in corpore missæ qualiter Graduale vel Tractus sit dicendus pro diversis anni temporibus. Ulterius, juxta regulas generales, in secreta vocibus *in Solemnitate*, quæ festum indicant, substituenda sunt verba *in Commemoratione*, quæ extra festum conveniunt.

2 Missa *Stabant juxta crucem* festorum Septem Dolorum B. M. V. feriæ VI post Dominicam Passionis et Dominicæ III in mense Septembri. Pro missa votiva Missale exhibet orationem propriam, indicat variationem in Graduali addit Tractum et notat Sequentiam *Stabat mater* esse omittendam.

3 Missa *Vidi civitatem* festi Apparitionis B. Mariæ V. Immaculatæ, (die 11 februarii) quæ decreto Urbis et Orbis diei 27 nov. 1907, fuit extensa ad universalem Ecclesiam. In ea notantur diversa Gradualia et Tractus pro casu quo hæc missa celebratur more votivo.

Addendum est quod si alicui diœcesi vel ecclesiæ speciali indulto concessa sit missa quædam festi particularis proprii B. M. V. in qua notatur quomodo missa sit dicenda more votivo hæc missa etiam ut votiva celebrari potest, sed tantum ab iis sacerdotibus vel iis in locis quibus conceditur ipsa missa festiva. Et ita est de missa festi Purissimi Cordis B. M. V. pro aliquibus

locis concessa et olim celebranda Dominica III post Pentecosten vel Dom. post octavam Assumptionis.

IV. Si igitur petatur missa votiva de B. Maria V. seligenda est regulariter una ex quinque votivis, ea nimirum quæ assignatur tempori in quo celebranda est (n. 2417, 6; 2427, 2). Quodsi petatur specialiter celebranda in honorem alicujus peculiaris mysterii B. M. V. sumi potest etiam una ex tribus aliis, si forte melius conveniat cum intentione stipendium elargientis: v. g. missa Apparitionis B. M. Immaculatæ, si petatur missa in honorem B. M. de Lourdes, (n. 4238, V, 1).

Sed apprime notandum est quod si qualiscumque missa celebranda sit in honorem B. M. V., in festo, in vigilia aut infra octavam festi ejusdem B. Mariæ, nunquam est celebranda votiva aliqua, sed respective ipsa missa festivitatis aut de vigilia aut de die infra octavam, eaque est celebranda non more votivo sed *festivo*, (n. 3922, V, 1) et ideo cum *Gloria* et *Credo* et *Ite missa est,* etiamsi officium celebraretur alterius semiduplicis (1).

C. Callewaert.

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 34 ss.

DROIT CIVIL-ECCLÉSIASTIQUE

DOCUMENTS DE JURISPRUDENCE

I

TRIBUNAL CIVIL DE VERVIERS (1)

14 janvier 1913

CULTE. — CURÉ. — INDEMNITÉ DE LOGEMENT. — OFFRE DE LA COMMUNE. — MONTANT DE L'OFFRE. — DÉSACCORD. — TRIBUNAL. — ACTION RECEVABLE. — CONVENTION ENTRE LA COMMUNE ET LA FABRIQUE D'ÉGLISE. — RES INTER ALIOS ACTA.

Le curé qui a un droit né et reconnu à une indemnité de logement a, en cas de désaccord, un intérêt né et actuel à faire décider par justice si la somme offerte par la commune pour indemnité de logement est suffisante ou si elle doit être augmentée comme il le demande (2).

Une convention avenue entre la commune et la fabrique d'église, relativement à l'indemnité de logement, est une res inter alios acta *vis-à-vis du curé.*

(ERNST, — C. COMMUNE DE LIMBOURG).

JUGEMENT.

LE TRIBUNAL; — Attendu que la défenderesse, sans contester son obligation de payer une indemnité au demandeur, soutient que l'action est non recevable d'abord parce que ce dernier serait sans intérêt né et actuel;

Attendu, sous ce rapport, que la fabrique d'église a fait connaître au demandeur, le 12 octobre 1911, qu'elle portait

---

(1) *Pasicr.* III, p. 193.

(2) Voy. trib. Liége, 19 mai 1910 (*Pasicr.*, 1910, III, 301); Tournai, 27 juillet 1896 (*ibid.*, 1901, III, 248); Anvers, 24 février 1899 (*Journ. des trib.*, 1900, col. 737); cass., 23 décembre 1865 (*Pasicr.*, 1865, I, 8). V. aussi trib. Bruxelles, 17 juillet 1903, (*ibid.*, 1904, III, 82). Adde MARCOTTY et WALEFFE, Répert. décennal, v° culte, n°s 31-41. (Note de la *Pasicrisie*).

à 800 fr. la location à payer pour l'immeuble occupé par lui comme presbytère et qu'elle n'interviendrait plus dans l'indemnité de logement; qu'elle a dressé son budget pour 1912 suivant ces données; que la commune de Limbourg a, par contre, le 11 novembre 1911, déclaré refuser une augmentation de 300 fr. de cette indemnité;

Attendu qu'il suit de là que le demandeur, qui a un droit né et reconnu à une indemnité de logement, a, en outre, un intérêt né et actuel à faire décider, vu le désaccord, si la somme de 500 francs offerte par la commune pour indemnité de logement est suffisante ou si elle doit être portée à 800 francs comme il le demande;

Attendu que la défenderesse prétend en vain que l'action serait non recevable également parce qu'elle n'aurait donné en 1905 à la fabrique d'église de Dolhain l'autorisation d'aliéner un capital important pour acquisition d'immeuble que sous condition que la commune ne serait pas appelée dans l'avenir à majorer l'indemnité de logement de 500 francs qu'elle allouait au desservant;

Attendu, en effet, que c'est là pour le demandeur *res inter alios acta* qui ne peut pas avoir pour conséquence de diminuer l'indemnité de logement due par la commune seule parce qu'un tiers, qui intervenait dans cette indemnité au profit de la commune, refuserait de continuer son intervention; que si la commune prétend avoir des droits vis-à-vis de la fabrique d'église, c'est avec celle-ci qu'elle devra les discuter si elle le juge à propos;

Attendu enfin qu'il n'est pas soutenu que la somme de 800 francs ne serait pas en rapport avec la qualité du demandeur et avec les loyers qui sont exigés dans la localité; que, d'un autre côté, une indemnité de cet import pour un immeuble acheté 30,000 francs paraît loin d'être exagérée;

Par ces motifs, rejetant toutes conclusions contraires, autres ou plus amples, ouï M. Schwachhofer, substitut du procureur du roi, en son avis conforme donné à l'audience publique du 24 décembre 1912, dit pour droit que l'indemnité de logement due au demandeur sera fixée à 800 francs par an; condamne la défenderesse aux dépens avec distraction, etc.

Du 14 janvier 1913. — Tribunal civil de Verviers. — *Prés.* M. Dumoulin, président. — *Pl.* MM. Coemans et Desenfans.

II

CIRCULAIRE MINISTÉRIELLE

6 Mai 1913

CRÉDIT COMMUNAL. — EMPRUNTS. — CALCUL DES ANNUITÉS.

Monsieur le Gouverneur, j'ai l'honneur de vous faire connaître que l'état défavorable du marché des fonds publics place la Société du Crédit communal dans la nécessité de faire application des taux maxima indiqués dans ma circulaire du 16 janvier 1913 pour le calcul des annuités à souscrire par les administrations emprunteuses.

Conséquemment, il est indispensable que les emprunts dont les demandes lui parviendront désormais et qui seront compris dans le 56e emprunt à émettre par elle en 1914, soient tous votés à ces taux maxima, soit respectivement à 4.75 p. c. et 6 p. c., selon qu'ils seront remboursables en 66 ou en 33 ans ; le taux d'intérêt à voter pour les prêts à court terme est de 4.50 p. c., taux qui s'applique également aux avances de fonds à consentir aux emprunteurs.

Je vous prie, Monsieur le Gouverneur, de porter ce qui précède à la connaissance des administrations communales par la voie du *Mémorial administratif*.

Le Ministre de l'intérieur,
PAUL BERRYER.

S. Congregatio Rituum

DECRETUM (1).

De vigiliis ad reliquias martyrum persolvendis in nocte ante dedicationem ecclesiæ.

Sacrorum Rituum Congregationi sequens quæstio, pro opportuna solutione, proposita fuit; nimirum:

Juxta Pontificale Romanum tit. *de ecclesiæ dedicatione seu consecratione,* celebrandæ sunt vigiliæ ante Reliquias sanctorum Martyrum quæ in altari consecrando includentur; et canendi Nocturni et Matutinæ Laudes in honorem eorundem sanctorum; quæritur:

Nocturni et Laudes in casu sumendine sunt e novo Psalterio Breviarii Romani per dies hebdomadæ disposito; an e Communi plurimorum martyrum; et quo ritu canendi?

Et sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis Liturgicæ suffragio, præpositæ quæstioni ita respondendum censuit: « In casu vigiliæ persolvantur cum Matutino trium » nocturnorum et Laudibus de Communi plurimorum mar- » tyrum, sub ritu duplici, cum Oratione de III loco *Deus* » *qui nos*, omisso verbo *annua*, et nominibus reticitis, juxta » decretum n. 2886, *Cenomanen.*, 14 junii 1845 ».

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 18 augusti 1913.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., *Secretarius.*

(1) *Acta Apost. Sedis,* 1913, tom. V, p. 399.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

de la Brière. *Les luttes présentes de l'Église,* première série 1909-1912. Paris, éditions des « Questions actuelles », (5, rue Bayard), 1913. Fr. 3,00.

Sous ce titre l'A. a réuni les chroniques du mouvement religieux parus d'abord dans les *Études*. « Aujourd'hui, plus encore qu'à bien d'autres époques l'Église de la terre justifie son titre *d'Église militante*. Exposer les faits religieux des dernières années, c'est écrire un bulletin de campagne, c'est raconter les *Luttes présentes de l'Église*. L'auteur les a distribuées en trois groupes: luttes du Saint-Siège; luttes de l'Église de France; quelques unes des luttes religieuses à l'étranger » p. VII-VIII (1).

L'ouvrage est à recommander non seulement à l'historien, mais encore, et surtout, au théologien : l'A. ne se contente pas de narrer les faits, mais il expose et explique très bien la *doctrine* qui guide l'activité de l'autorité ecclésiastique dans les divers évènements auxquels elle est mêlée : à ce point de vue, nous signalons comme particulièrement intéressants et opportuns les chapîtres suivants : le *motu proprio* contre le modernisme, p. 53 ss.; les directions romaines sur les œuvres sociales, p. 73 ss., et leur application à la situation de l'Allemagne concernant les syndicats confessionnels et interconfessionnels, p. 491 ss.; la souveraineté pontificale, p. 99 ss.; les enseignements pontificaux et le libéralisme catholique, où il s'agit de l'emploi de la force au service de la vraie religion, p. 125 ss.; les variations du catholicisme, p. 266 ss.

J. V. D. M.

(1) L'A. consacre notamment un excellent article à la réforme scolaire en Belgique, p. 389-417.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (1).

Bernard. *Harmonieux accord de la foi et de la raison d'après Bossuet.* Paris, Société Saint Augustin, 1913. In-16, 374 p.

Beysens, J. Th. Dr. *Ethiek of natuurlijke zedenleer.* Eerste deel. Algemeene ethiek. Leiden, Théonville, 1913. In-4, 773 bl., Fr. 13.

Bittremieux. *De analogica nostra cognitione et prædicatione Dei,* Lovanii, 1913. In-8°, XI-293 p.

Broussolle, J.-C. *Théorie de la Messe.* (Cours de religion: Sommaire, notes, lectures, 50 illustrat.), 2e éd. Paris, Téqui, 1913. In-12, 264 p., Fr. 2.

Cabrol, F. Dom. *La réforme du Bréviaire et du Calendrier.* (Science et Relig., n. 646-647), Paris, Bloud et Cie, Fr. 1,20.

Capello Felix-M. *Institutiones Juris publici ecclesiastici pro clericorum commoditate in compendium redactæ.* Taurini, P. Marietti, 1913. In-8°, 243 p., F. 3,40.

Cozzi A. *Disputationes theologiæ moralis,* vol. III et IV. Taurini, Marietti, 1913. In-8°, 368 et 384 pp. Pro opere integro. Fr. 14.

Cristiani, L.-Bellarmin, Robert. *Les marques de la véritable Eglise,* (Science et Religion, n. 652). Paris, Bloud et Cie, Fr. 0,60.

de T'Serclaes (Mgr). *Récollections spirituelles* données au collège ecclésiastique belge à Rome. Bruxelles, Dewit, 1913. 3 vol. in-12. F.

de Tonquedec. *L'immanence.* Paris, Beauchesne, 1913. In-16, XV-307 p. Fr. 3,50.

Eschbach A. *Le Saint Suaire de Notre Seigneur vénéré dans la cathédrale de Turin.* Étude historique, critique et scientifique. Turin, Marietti, 1913. In-8°, XII-160 pp., Fr. 2.

Festugière M., O. S. B. *La liturgie catholique.* Essai de synthèse suivi de quelques développements. Maredsous, 1913. In-8°, 200 p. Fr. 3.

Fillion L.-Cl. *Les miracles de N. S. Jésus-Christ.* 2 vol. Paris, Lethielleux. In-8°, 192 et 416 pp.

Gemelli, Aug., O. M. *De scrupulis,* ed. 1a ex italico in

(1 Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

latinum sermonem versa. Florentiæ, Libreria editrice Florentina, 1913. Fr. 5.

Jarossay E. *Sermons et panégyriques pour le temps actuel.* Paris, Téqui, 1913. 2 vol. 438 et 456 pp.

La section Belge au XXIIIe Congrès Eucharistique, Vienne, 12-15 sept. 1912. Relation et rapports. Mont-St-Amand, De Scheemaecker, 1913. Gr. in-8°, 304 p.

Leclère, A. *Le bilan de la philosophie religieuse.* (Science et Religion, n. 643). Paris, Bloud et Cie, Fr. 0,60.

Levesque. *Précis de philosophie.* T. II: Logique-Morale. Paris, de Gigord, 1913. In-8, 480 p. Fr. 4,50.

Id. *Précis de Philosophie.* III. *Métaphysique.* Paris, de Gigord. In-8, 232 p. Fr. 2,00.

Merkelbach H. *Mater Dei.* Étude sur la dignité de la Mère de Dieu. Liége, Dessain, 1913, In-8°, 16 p.

Id. *L'inspiration des divines Écritures.* Principes et applications. 2e éd. Liége, Dessain, 1913. In-12, 96 p.

Muré, J.-C. *Evangelieboek voor Kinderen.* De Evangelieën der Zondagen en van eenige voorname Feestdagen. 3e herziene druk door P.-G. Groenen. Leiden, Van Leeuwen, 1913. In-16, IV-124 blz. Flor. 0,25.

Pègues, O. P. *Commentaire français littéral de la Somme théologique de Saint Thomas d'Aquin,* t. VII: *les passions et les habitus.* Toulouse, Privat, 1912. In-8, XII-672 p. Fr. 8,00.

Pesch, Chr. S. J. *Compendium Theologiæ dogmaticæ,* T. II: *De Deo, de fine ultimo et de novissimis.* Friburgi Br., Herder, 1913. In-8, 286 p. Fr. 6,00.

Schryvers, Jos., C. SS. R. *Les principes de la vie spirituelle.* Bruxelles, De Wit, 1913. In-16, 590 p. Fr. 3,50.

Id. *La bonne volonté.* Bruxelles, Dewit, 1913. In-18, 150 p. Fr. 1.

Sebastiani Nic. *Summarium theologiæ moralis.* Augusti Taurinorum, Marietti, 1913. In-8, 400 p. Fr. 4.

Stummel Hélène. *Fingerzeige für Paramenten-Vereine.* Essen, Fredebeul, 1912. In-18, 60 p. Prix: 1 M.

Tenhaeff N.-B. *Diplomatische studien over Utrechtsche oorkonden der Xe tot XIIe eeuw.* Utrecht, A. Oosthoek, 1913. In-8°, 339 bl.

Van Crombrugghe. *Tractatus de beata virgine Maria,* Gandæ, 1913. In-8°, 216 p.

Van Deur, E., O. S. B. *De H. Mis als voorbereiding tot de H. Communie.* Vertaald door Dom Alb. Jonckers, O. S. B., Nymegen, Malmberg, 1913. In-18, 47 blz.

Verdoodt, *Godewaarts.* Antwerpen, « Veritas », 1912, In-16, 256 bl.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Novembris.

—

I

Paucis expone sensum generalem psalmorum XLI: *Quemadmodum desiderat cervus...*, et XLII: *Judica me, Deus...*, qui duo psalmi primitus unum constituerint; eosque transscribe per strophas, versus, et membra parallela, juxta sensum et textum originalem.

II

Indica per summa capita quomodo refutanda sit rationalistarum theoria de evolutione religionum.

III

Indica præcipuas legis nostræ civilis dispositiones circa proprietatem et administrationem bonorum temporalium conjugum, *sub regimine communitatis bonorum*.

IV

Inde concludas quantum jus disponendi *de bonis communibus* uxori competat in conscientia, durante legali communitate.

V

Explica et vindica hoc assertum: Omnia quæ homo deliberate vult, ea vult propter ultimum finem. S. Th. I-II, qu. I, art. 6, ss.

VI

Quænam sunt juxta Decretum *Quam Singulari* (8 aug. 1910) et Instructiones Episcoporum Belgii obligationes parochorum circa puerorum communionem.

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques*, 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia*, in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio*. Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium : 8 fr.; pro clero Belgico : 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage*. — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix : 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi*, Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii*. Brugis, Beyaert. In-8, LXXXIV-376 pp. Fr. 6.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVIII, pag. 566).

—

VI

De dono intellectus.

Rursum incipimus recolligendo e commentariis B. Alberti M. in Magistrum sententiarum, P. Lombardum, ea quæ spectant ad donum intellectus.

Donum intellectus, docente Alberto (1), ordinat in bonum quod est finis, per modum *veri,* dum sapientiæ donum similiter per modum *boni;* et in finem quidem ordinat, ut in motu ad ipsum, dum sapientia ut quiescens in eo, et ideo intellectus est invisibilium creaturarum per quas movetur in Deum.

« Vita contemplativa perficitur visu et gustu, et visus ostendit quod gustandum est, et quoad visum est intellectus, et quoad gustum est sapientia saporans »; quæ magis a sapore dicitur quam a sapere, ut ajebat paulo supra.

(1) In 3, dist. 34, art. 3. *solutio.*

In dist. seq. (1): « Intellectus, *ait*, non est per gustum [sicut sapientia], sed potius est lumen datum a Deo ad cognitionem illius creaturæ Dei, in qua resultat Deus per gratiam, et hæc est spiritualis, vel in qua habet resultare per gloriam vel per gratiam: et ideo est lumen quo cognoscimus gratuite dispositiones cœlestium, et tendimus in Deum sic disponentem. Et ideo patet quod intellectus et sapientia differunt a scientia, quæ scilicet est lumen divinum ad operabilia pertinentia ad hanc vitam. »

Ibidem ad 3m: « Intellectus non est de Creatore per gustum, sed ut visus tantum, tendens in verum per lumen elevans ad ea in quibus Deus resultat altius quam in vestigio et imagine: sicut est dispositio præmiorum in beatitudine spiritualium substantiarum. Sapientia autem habet lumen quod facit saporis gustum. Et hoc est quod dicit Augustinus: Apud Isaïam intellectus est quo ab infirmitate carnalis voluptatis corda mundantur, ut pura intentio dirigatur in finem. Carnalis enim voluptas ab eo videtur vocari carnalitas deprimens a contuitu divinorum in quibus clarius resultat Deus quam in his quæ corporalia sunt: et horum est intellectus, et per ea dirigitur ad visum Creatoris. Et ideo dicitur in *littera* (Magistri), quod intellectus est divinarum (rerum), et spiritualium creaturarum, et omnium bonarum affectionum animæ. Et semper intelligitur quod etiam est oppositorum, et per altius lumen quam sit fides: quia fides simpliciter assentit credita, sed intellectus videt ipsum in lumine interiori (2). »

---

(1) Sc. 35, a. 3, *sol.*

(2) De hac re, quomodo nempe se habeat donum intellectus ad virtutem theologicam fidei, confer Bonav., in 3, *dist.* 34, p. 1, q. 3 et recole dicta ubi de consilii dono supra, pag. 558, scilicet dona respondere virtutibus theologicis ut organa, non ut formæ: adeoque, licet donum intellectus aliquo sensu dici possit altius lumen quam fides, quatenus ea quibus fides assentit, ulterius penetrat intellectus, et in genere cognitionis perfectius est intelligere quam fide agnoscere, inde tamen non sequitur

Infra (1) definit idem Albertus: « donum intellectus est simplex lumen sub quo Deus videtur in his qui beati sunt, et in specialibus officiis et actibus eorum. »

Ubi addit (2): Fides... dirigit opus per hoc quod ostendit mercedem, et eum qui simpliciter est finis omnis boni: sed intellectus dirigit in finem per lumen videndo finem, vel in se, vel in beatis, et non dirigit opus. »

Articulo sequente (3): « Intellectus donum, *ait*, meo judicio est de Deo principaliter, et de his spiritualibus in quibus relucet veritas divina: et bene concedo quod non accipit Deum nisi per modum veritatis in se. Hæc autem creatura spiritualis plus habet quam imaginem solam: et ideo non est proprie in imagine, sed potius utitur imagine sicut instrumento, et lumine sibi infuso ut prius illuminante: et hoc est majus quam fides. »

« Intellectus donum tendit et accipit [Deum, finem,] ut bonum sibi in ratione veri tantum. . Veritas quæ est finis intelligentiæ, secundum Philosophum est veritas abstracta a re: hic autem veritas in re accepta est finis, cui conjungi quærit realiter donum intellectus (4). »

Tandem: « Est quidam intellectus de hoc quod dicitur per sermonem: et iste non est donum, sed præcedit fidem et contemplationem. Et est quidam intellectus intuens in lumine accepto a Deo, quod lumen est gratum faciens, et hoc est donum, et est nobilior perfectio intellectus nostri quam fides vel contemplatio: et

---

donum intellectus absolute perfectius esse fide theologica, utpote cui ut organum deservit, in qua fundatur et a qua regulatur, quam vero nullo modo ut forma perficit. Cæterum solum textum Alberti nunc citamus, abstinendo a commentariis, quæ apud Bonaventuram et Thomam inveniemus. — Quod hunc ipsum textum attinet, eum exscribimus ex edit. Vivès, a. 1894, quæ nobis videtur exhibere lectiones plures erroneas aut inaccuratas, manuscriptorum abbreviationibus perperam lectis.

(1) Dist. 35, a. 9, *sol.*

(2) Ad 2^{m}.

(3) Nempe a. 10, *sol.*

(4) Ibid. ad 3^{m}.

ideo secundum viam generationis actus, licet non habitus, sequitur fidem et contemplationem (1). »

Hæc quæ ex B. Alberto hic illic dispersa notavimus, congrue recollecta atque illustrata apud Doctorem seraphicum reperimus :

« Cognitio, *ait* (2), de Deo sub ratione veri potest haberi secundum triplicem modum. Uno modo habetur cognitio de Deo per simplicem assensum. Alio modo, per rationis adminiculum. Tertio modo, per simplicem contuitum. Primum est virtutis fidei cujus est assentire. Secundum est doni intellectus cujus est credita per rationem intelligere. Tertium est beatitudinis munditiei cordis, cujus est Deum videre. Quoniam ergo rationes secundum quas juvamur ad credita intelligenda accipiuntur non solum a conditionibus Creatoris sed etiam a conditionibus creaturæ spiritualis, quæ inter creaturas proximiorem habet assimilationem ad Creatorem : hinc est quod donum intellectus, cujus actus est in contemplationem summi veri elevari, per lumen quod non solum facit assentire, sed etiam per congruas rationes credita intelligere, non solum attenditur in contemplatione creatricis essentiæ, sed etiam spiritualis creaturæ. Et ex hoc patet quis sit actus et objectum proprium ipsius doni intellectus : quoniam objectum ejus est ipsum verum æternum inquantum intelligibile, non solum secundum proprias conditiones, sed etiam secundum proprietates creaturarum sibi similium... Actus vero ejus est contemplari ipsum verum creditum, ut devotius credatur et ardentius diligatur ; et ita donum intellectus consistit in contemplatione rationali Creatoris et spiritualis creaturæ. »

In sequentibus, resolvendo objectiones, rite ostendit S. Bonaventura quomodo distinguatur donum intellectus a cæteris donis intellectualibus et a fide.

---

(1) Ejusd. dist. 35, art. 11.
(2) In 3 *Sent.*, dist. 35, q. 3.

Sic: « donum sapientiæ est ad cognitionem æternorum... secundum tamen quod illæ æternæ rationes sunt via ad gustum et experimentalem cognitionem divinæ suavitatis, ita quod cognitio illa gustui est annexa. Donum vero intellectus negotiatur circa æterna secundum rationes æternas quæ sunt via ad cognitionem veritatis. Et hinc est quod Bernardus appropriat donum intellectus fidei, quæ assentit summæ veritati propter se; donum vero sapientiæ appropriat charitati, cujus est disponere ad gustandum Deum.

Per hunc etiam modum est differentias invenire inter intellectum et scientiam, quia scientia negotiatur circa creaturas secundum rationes creatas: unde negotiari habet non solum circa creaturas spirituales, quæ habent rationem imaginis, sed etiam circa sensibiles et corporales, quæ habent rationem vestigii. Donum vero intellectus, etsi negotietur circa creaturas, hoc tamen est secundum rationes æternas; et ideo solum est circa creaturas spirituales, in quibus rationes æternæ relucent magis expresse. Et sic patet quod, quia alio et alio modo est intellectus circa Creatorem et creaturas quam sapientia et scientia, hinc est quod illis habitis non superfluit. »

Item advertit: « Intellectus... sive circa creaturas sive circa Creatorem negotietur, semper refert ad rationes æternas, ad quas per creaturas etiam elevat contemplandas: et ideo unum solum donum est, quamvis illa sint plura; et ex hoc colligi potest quod donum intellectus est infra sapientiam et supra scientiam. »

Infra ibidem: in dono intellectus, cognitio « fundatur super assensum fidei, et ulterius ordinat ad sapientiæ gustum; nihilominus tamen in actu intellectus est quædam delectatio, sed longe inferior quam in dono sapientiæ. Delectatur enim quis in cognitione veritatis, sed non sicut in gustu summæ suavitatis. »

Indicat quoque qua ratione donum intellectus combinatur dono sapientiæ: « donum sapientiæ consistit in

gustu, donum vero intellectus consistit in lumine rationis: et amplius ascendit affectio quam ratio, et unio quam cognitio, secundum quod vult Dionysius: hinc est quod donum sapientiæ in suo actu non sic indiget adminiculo creaturæ secundum quod donum intellectus. Et ideo donum sapientiæ in actu suo versatur solum circa æterna, donum vero intellectus non solum circa æterna sed etiam circa creata. Cum ergo dicitur quod dona quæ ad invicem combinantur, debent habere idem objectum, hoc verum est de objecto principali, non autem de eo quod habet rationem adminiculantis. »

Tandem hæc addit de relatione fidei inter et donum intellectus: « In visione per speculum sunt multi gradus secundum majorem et minorem depurationem ab obscuritate ænigmatis, et secundum hoc alio et alio modo habet illuminari et habilitari. Unde fides habilitat ad assentiendum Deo in articulis, quos etsi non videat in se, tamen videt in creatura cognoscendo quid est quod per nomen dicitur. Numquam enim cognoscit aliquis credens quid sit trinitas, nisi quia videt quid sit ternarius in creatura. Sed ulterius donum intellectus illuminat ad intelligendum non solum quid est quod per nomen dicitur, sed etiam ad videndam rationem quare trinitas debeat in Deo esse, per hoc quod videt in ipsa imagine egressum verbi a mente per viam generationis, et amoris ab utroque per viam connexionis. Ex his patet quod, etsi fides et intellectus sint per speculum, tamen in modo speculandi differunt, et ideo sunt diversi habitus. »

Quod notionem doni intellectus attinet, addimus brevi compendio doctrinam S. Thomæ, 2. 2. q. 8.

Ex art. quidem primo definiri potest donum hoc: Supernaturale lumen intellectui infusum quo penetret ad cognoscendum quædam, quæ per naturale lumen cognoscere non valet. Ubi notat Cajetanus: intellectus donum se extendere ad penetranda omnia ad quæ judicanda vel applicanda se extendunt sapientiæ, scientiæ et consilii dona, et omnia quibus fides assentit.

In art. secundo ostenditur quomodo intellectus donum esse possit cum fide: quatenus nempe quæ per se et directe cadunt sub fide et naturalem rationem excedunt, intelligi tamen possunt imperfecte, ut modo supra de Trinitatis mysterio ostendebat Seraphicus. Quæ vero cadunt sub fide indirecte, utpote ordinata aliquo modo ad divina mysteria, ut sunt revelata et contenta in Scriptura, quæ non excedunt vim rationis, ea possunt etiam perfecte intelligi.

Art. 3 docet donum intellectus se extendere quoque ad operabilia, sicut et fidem, quæ per dilectionem operatur, non quidem ut circa ea principaliter versetur, sed inquantum in agendis regulamur rationibus æternis, quibus conspiciendis et consulendis inhæret superior ratio, quæ dono intellectus perficitur.

Heic attende, monente Cajetano, fidem et theologiam esse altiores habitus quam practicum et speculativum, et pariter dona non debere distingui per practicum et speculativum, ut infra videbimus ad art. 6, ubi S. Thomas dicta sua 1. 2, q. 68, a. 4 retractat, quemadmodum jam notavimus supra (1).

Ex art. 4 habemus: donum intellectus esse in omnibus justis, qui sufficienter instruuntur a Spiritu sancto circa ea saltem quæ sunt de necessitate salutis. Nec sufficit fides etiam formata, ut advertit Cajetanus. Nam fides formata non distinguitur ab informi ex aliquo quod est ex parte intellectus, sed voluntatis. Atqui fides informis non facit existimationem rectam de ultimo fine practice in intellectu, sed hoc habet ex dono intellectus, qui non est sine charitate. « Fides, ut ait S. Doctor (2), importat solum assensum ad ea quæ proponuntur », id est, non ulteriorem actum, scilicet illam æstimationem rectam, practicam de ultimo fine.

Equidem art. 5 demonstrat donum intellectus non

---

(1) Hoc tomo, pag. 7.
(2) Seq. art. 5, ad 3m.

esse nisi in justis, ex ratione modo data: « Nisi usque ad hoc moveatur a Spiritu sancto intellectus humanus, ut rectam æstimationem de fine habeat, nondum consecutus est donum intellectus, quantumcumque ex illustratione Spiritus sancti alia quædam præambula cognoscat: rectam autem æstimationem de fine ultimo non habet, nisi ille qui circa finem non errat, sed ei firmiter inhæret tamquam optimo, quod est solum habentis gratiam gratum facientem ».

Art. 6 agit de distinctione doni intellectus ab aliis donis, de quo satis supra loco modo citato (1), ubi præcipua hujus articuli exscripsimus. Unum notandum ex Cajetano: scilicet, æstimationem practicam de fine ultimo non esse actum doni intellectus sed sapientiæ, attamen non haberi nisi ab illo qui habet donum intellectus, ut diximus; sed alia existimatio aliudque judicium quodvis quoad perceptionem spectat ad donum intellectus, quantum vero ad judicium vel applicationem spectat ad sapientiam, scientiam vel consilium, sicut quantum ad assensum formatum spectat ad fidem formatam.

Obiter animadvertamus S. Thomam annectere donum intellectus fidei, sapientiæ vero charitati, sicut supra S. Bonaventura ex Bernardo quoque notat, et similiter in *Brevil.*, ut videbimus agendo de functionibus doni intellectus. Consentiunt etiam Angelicus et Seraphicus in hoc quod respondere docent donum intellectus beatitudini munditiei cordis. Id insinuat supra, initio citati textus, S. Bonaventura, et alio in loco de beatitudinibus agens (2) ait: « Intellectus autem disponit ad cordis munditiam, nam speculatio veritatis mundat cor nostrum ab omnibus phantasiis. »

Angelicus vero idem delectabiliter exponit, in loco quem referimus, art. 7: « In sexta beatitudine, sicut et

---

(1) Nempe hujus tomi pag. 7.
(2) *Brevil.*, p. V, c. 6.

in aliis, duo continentur. Unum per modum meriti, scilicet munditia cordis; aliud per modum præmii, scilicet visio Dei... Et utrumque pertinet aliquo modo ad donum intellectus. Est enim duplex munditia, una quidem præambula et dispositiva ad Dei visionem, quæ est depuratio affectus ab inordinatis affectionibus. Et hæc quidem munditia cordis fit per virtutes et dona quæ pertinent ad vim appetitivam. Alia vero cordis munditia est, quæ est quasi completiva respectu visionis divinæ. Et hæc quidem est munditia mentis depuratæ a phantasmatibus et erroribus: ut scilicet ea quæ de Deo proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phantasmatum, nec secundum hæreticas pravitates. Et hanc munditiam facit donum intellectus.

Similiter etiam duplex est Dei visio: una quidem perfecta, per quam videtur Dei essentia. Alia vero imperfecta, per quam etsi non videamus de Deo quid est, videmus tamen quid non est; et tanto in hac vita Deum perfectius cognoscimus, quanto magis intelligimus eum excedere quidquid intellectu comprehenditur. Et utraque visio pertinet ad donum intellectus. Prima quidem ad donum intellectus consummatum, secundum quod erit in patria. Secunda vero ad donum intellectus inchoatum, secundum quod habetur in via. »

Adjicimus jam sermone brevissimo, ex doctrina S. Bonaventuræ supra recitatæ sæpiusque memoratæ, septem functiones doni intellectus.

Primo, « propter vitiorem obliquitates expeditissime repellendas » est « intellectus contra gulam »; seu, ut alibi (1) ait S. Doctor: « contra gulam et ebrietatem, quæ rationem suffocat. »

Secundo, « propter expediendas vires naturales..... Rationalis... indiget expediri in veritatis speculatione, electione et executione: per donum autem intellectus expeditur ad verum speculandum. »

---

(1) In 3, *dist.* 34, p. 1, a. 2, q. 1.

Tertio « propter expedienda septem virtutum officia: » expedit « intellectus ad fidem. »

Quarto « propter expeditionem in patiendo conformiter ad Christum. » Christum ad patiendum movit paterna voluntas « ut cognita per intellectum. »

Quinto « propter expeditionem in agendo.... Necesse etiam habemus quiescere in optimo, et hoc quantum ad intellectum veri, et quantum ad affectum boni; primum fit per donum intellectus... »

Sexto « ad expeditionem in contemplando..... Illuminari... indigemus in operibus reparationis et primariæ conditionis; primum dat consilium, secundum intellectus. » Qua de re latius dicemus statim.

Septimo « ad expeditionem in actione et contemplatione... Contemplativa... debet habere... quantum ad intelligentiam veritatis, intellectum. »

Quæ in his functionibus doni intellectus, in ordine præprimis ad contemplationem, minus luculenta videri possunt, ipse Doctor Seraphicus nobis illustrabit alio in loco, quem si paulo fusius exscribimus, tædio lectori non erimus sed potius delectationi ob mirabilem fœcundamque doctrinam; neque etiam nimis protrahetur nostra tractatio de dono intellectus, siquidem illi finem imponemus verbis hisce S. Bonaventuræ, remissis, juxta superius dicta, præclaris documentis Rusbrochii ad aliud tempus.

En igitur quomodo, S. Bonaventura docente, intellectus *Verbi increati* clavis est ad intelligentiam operum primariæ conditionis:

« Clavis ergo contemplationis est intellectus triplex: scilicet intellectus *Verbi increati*.... (1).

De primo, ad Romanos: *Invisibilia Dei creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas. Sempiterna virtus* et *divinitas* per effectum intelliguntur, quia Deus est

(1) Vide supra, ubi de dono consilii, pag. 560 cum nota (2).

causa omnium, et per virtutem ejus *omnia sunt facta;* quod est contra philosophos, qui negant, quod ab uno et eodem, semper manente eodem, sint *multiformia*, ab æterno *temporalia,* ab actualissimo manent *possibilia*, a stabilissimo *mutabilia*, a simplicissimo *composita,* a sublimissimo *infima;* cum effectus sit similis causæ, et causa hæc sit contraria in his conditionibus.

Horum ostium est intellectus *Verbi increati,* qui est radix intelligentiæ omnium; unde qui non habet hoc ostium, intrare non potest. Philosophi autem habent pro impossibili quæ sunt summe vera, quia ostium est eis clausum. — Quomodo autem hæc intelligantur, dicitur ad Hebræos: *Fide intelligimus, aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Summum autem spiritum impossibile est se non intelligere; et cum intellectum æquetur intelligenti, intelligit quidquid est et quidquid potest: ergo et ratio intelligendi æquatur intellectui, quæ similitudo ejus est. Hæc autem similitudo Verbum est, quia, secundum Augustinum et Anselmum, similitudo mentis convertentis se super se, quæ in acie mentis est, verbum est. Si ergo hæc similitudo *æqualis* est, ergo Deus est, et a Deo originata repræsentat originantem et quidquid Pater potest: ergo repræsentat multa. — Item, cum virtutem Patris repræsentet, repræsentat virtutem unitissimam; sed « virtus, quanto magis unita, tanto magis infinita »: ergo illa similitudo infinita repræsentare habet; et ita necesse est, ut ab *uno* sint *multa.* Si igitur intelligis Verbum, intelligis omnia scibilia. Judæus autem hoc intelligere non potest; et tamen Scriptura dicit: *Dixit Deus: fiat lux;* et iterum: *Dixit Deus*, hoc est Verbum genuit, in « quo omnia disposuit » et disponendo omnia facit. Unde Augustinus in libro Confessionum: « Verbo tuo » tibi coæterno facis quæcumque facis, nec alio modo » quam dicendo facis; non tamen sempiterne facis quæ » sempiterne dicis. »

Si enim unitas posset cognoscere totum *posse* suum,

videret et cognosceret omnes numeros; et si punctus cognosceret totum *posse* suum, cognosceret omnes lineas in centro; *unitas* tamen magis est principium quam *punctus*, quia unitas est pars *essentialis* numeri, punctus autem principium et non pars; nec aliquod istorum est principium activum. Igitur cum primus intellectus sit principium activum, necesse est, ut in similitudine sua omnia disponat, omnia exprimat.

Item, ab æterno sunt omnia *temporalia*. Quæ enim a Patre procedunt ordinate procedunt, et unum est causa alterius, ordine *naturæ* et ordine *temporis;* ergo Verbum sic repræsentat res, ut in esse producuntur. Sicut enim in providentia mea vel memoria possunt esse multa futura, et unum futurum magis distans quam aliud; nec propter hoc sequitur, quod cum eveniunt, sit mutatio in memoria mea; sic in Verbo, non est mutatio. Cum enim creat animam hanc, non mutatur, quia ab æterno dixit, animam hanc nunc creandam. Unde eodem dicto, quo ab æterno dixit, nunc creat; sicut, si *velle* meum esset *posse* meum; si vellem modo, cras fieri rem, non esset mutatio in me, si fieret; sed esset, si de *non volente* fierem volens.

Item, ab actualissimo fiunt possibilia sive materialia. Pater enim intelligitur principium principians *de se*, principium principians *de nihilo*, principium principians *de aliquo* materiali. Et Verbum exprimit Patrem ut principium principians *de se,* et sic est explicans et repræsentans productionem Spiritus Sancti et suam sive *æternorum*. — Exprimit etiam Patrem ut principiantem aliquid *de nihilo*, et sic repræsentat productionem *æviternorum,* ut Angelorum et animarum. — Repræsentat etiam ut principiantem aliquid *de aliquo* ut materiali; sed quod fit de aliquo prius est in potentia, quam fiat; necesse ergo est, ut repræsentet *possibilia*. Necessario ergo ab actualissimo fiunt possibilia.

Et hæc similitudo sive Verbum est *veritas*. Quid est veritas secundum definitionem? « Adæquatio intellectus

et rei intellectæ », illius intellectus, dico, qui est causa rei, non intellectus mei, qui non est causa rei. — Hæc adæquatio vera est, quando res est *tanta*, *talis*, *ordinem habens, agens*, *patiens*, *tunc, ubi*, cum *situm* habet, secundum differentias prædicamentorum. Tunc enim res sunt veræ, quando sunt in re vel in universo, sicut sunt in arte æterna, vel sicut ibi exprimuntur.

Res autem vera est, secundum quod adæquatur intellectui causanti. Quia vero perfecte non adæquatur rationi, quæ exprimit eam vel repræsentat; ideo omnis creatura *mendacium* est, secundum Augustinum. Res autem adæquata non est sua adæquatio: ergo necessario est, ut Verbum vel similitudo vel ratio sit *veritas;* et ibi est *veritas creaturæ*, et repræsentantur per Verbum ita infima sicut suprema. Unde licet Angelus magis participet cum Verbo in *conditionibus nobilibus*, puta quoad imaginem Dei, quam vermiculus; in ratione tamen *exemplaritatis* non est nobilior ratio Angeli quam vermiculi; ita ratio vermiculi exprimit vel repræsentat vermiculum, ut ratio Angeli Angelum, nec secundum hoc nobilior Angelus vermiculo. Quælibet autem creatura umbra est respectu Creatoris.

Et sic patet, quod ab actualissimo sunt possibilia, a stabilissimo mutabilia, et a sublimissimo infima. Et sicut sol lucens facit varietatem et multiformitatem colorum; sic ab illo Verbo est varietas rerum. Unde non contingit intelligere nisi per Verbum. — Et hæc est clavis nobilissima animæ purgatæ per *fidem*, quæ est necessaria, quia « mentis nostræ acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per justitiam fidei emundetur. » Unde omnes, qui non habent hanc fidem, manum habent amputatam. Unde in Psalmo: *Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* etc. (1). »

(Continuabitur).

---

(1) *Collat. in hexaëmeron*, coll. III, (edit. Quaracchi).

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Augusti-Septembris propositas.

—

I

Q. *Paucis expone sensum generalem psalmi II:* Quare fremuerunt Gentes..., *eumque transcribe per strophas, versus et membra parallela, juxta sensum et textum originalem.*

R. I. Secundum sententiam tum inter antiquos tum inter recentiores auctores catholicos vixnon communem, eamque longe probabiliorem, psalmus II *messianicus* est, et quidem non in sensu typico tantum, sed *in sensu suo litterali.*

Psalmista, qui secundum Act. Ap. IV, 25 et decretum Commissionis Pontificiæ de re biblica (1) David est, neque seipsum neque alium regem temporalem Israël præ oculis habet, sed in longinquo futuro prospicit visione sua prophetica et carmine suo describit ipsum Christum, Filium Dei sensu ipsi soli proprio, sensu proprio scil. et naturali, a Deo constitutum tamquam regem super terram universam, et regnum suum, Ecclesiam suam, extendentem, invitis regum populorumque hostilium conaminibus, et in fine definitivam et perfectam de iis victoriam agentem.

Indoles psalmi vere *dramatica* est, quatuor strophis distinctis successive referens et describens insurrectionem hostium, responsum Jahve, proclamationem Messiæ, et adhortationem Psalmistæ ad humilem submissionem.

---

(1) 1 Maii 1910. Cfr. *Collat. Brug.*, t. XV, pp. 371.

Quatuor ideo sunt *strophæ*, quarum hæc est *analysis:*

*I*ª *Stropha:* Vivido modo psalmista ex abrupto in mediam insurrectionem lectorem inducit. Massam informem populorum videmus tumultu agitatam (v. 1ª) cernimusque hostilibus consiliis occupatam (v. 1ᵇ); reges quoque et principes, populis ad rebellionem præparatis, videmus in apertum transilire (v. 2ª) mutuoque consilio (v. 2ᵇ) rebellantes populosque ducentes adversus Regem a Jahve constitutum (v. 2ᶜ), subitoque vox clamoris eorum personat terram: « Dirumpamus vincula Jahve ipsiusque Regis, longe a nobis abjiciamus funes eorum! » (v. 3).

*II*ª *Stropha:* Cætibus confusis frementiumque clamoribus, vivide opponitur ipse Jahve, habitans in cœlis altissimis, alte super omnia vana ista conamina elevatus, eaque in plena majestate sua irridens, populosque et reges subsannans (v. 4); quoadusque voluerit rebellabunt isti et agitabuntur, sed tempore a seipso statuto, irascetur Dominus, et factis suis quasi vox tonitrui de cœlo clamabit (v. 5): « Vos insanos! Ego sum, Ego, Jahve, qui regem meum unxi eumque constitui super Sion, montem sanctum meum, in sede sua regali unde vobis dominari ipsum volo! Quid resistitis ipsi et mihi? » (v. 6).

*III*ª *Stropha:* Et ecce auditur vox fiducialis et tranquilla ipsius Messiæ, proclamantis statutum Jahve quo ipsum in regem constituit (v. 7ª): « Jahve dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te (v. 7ᵇ⁻ᶜ). Et propter hanc filiationem meam, constituit me regem super terram universam: dedit enim mihi gentes in hæreditatem meam et orbem terrarum ad ultimos terminos in possessionem (v. 8)! Commisit mihi sceptrum ferreum quo regerem populos, symbolum potestatis meæ cui nihil resistet, deditque mihi gentes quasi vasa fictilia confringere, facili scil. et irremediabili ruina adversas potestates percutere (v. 9) » !

Quantum elucebat in toto carmine vanitas omnium

hostilium conaminum! Obstupescentis est ipsum exordium: *Quare* tumultuantur....? — omniaque hostium molimina ut *inania* proclamantur. Nonne enim rebellio fit non in Regem tantum ipsum, sed multo magis in Jahve? — Tota secunda stropha in eodem versatur: Jahve est qui regem suum constituit! — Tertia quoque stropha, voce Messiæ, idem inculcat: Data est mihi a Deo omnis potestas!

IV^a Stropha: Unde liquida fluit in ultima stropha conclusio psalmistæ, fere singulis suis formulis opposita insurrectioni in prima stropha descriptæ: Quare tumultuantur et *meditantur inania? — Estote*, reges, *sapientes!* (v. 10). — *Insurgunt* et consiliantur *adversus Jahve* et adversus Unctum ejus. — *Servite Jahve* cum timore, et jubilate (contremiscite, obedite?) ei cum tremore (v. 11). — *Dirumpamus vincula eorum... — Assumite servitium ejus* (v. 12^a). — Tempus enim a Jahve statutum adveniet, ira ejus exardescet, judicium messianicum exercebitur: beati qui Jahve ipsiusque Unctum secuti fuerint, miseri vero qui ipsis restiterint (v. 12^b-13).

II. **Textus** (1).

---

(1) Textum hunc transcribimus per *strophas, versus* et *membra parallela versuum*. Nec satis, ut putamus, potest attentio sacerdotum in hujusmodi distributionem provocari, in quantum ipsa præbet adjumentum valde pretiosum ad intelligendum et memoria retinendum sensum psalmorum quos in Officio suo quotidie recitandos habent. Cfr. quæ de hac re, sub respectu practico, scripsimus in opere *Psalmi et Cantica Breviarii,...*, pp. LXV-LXXII. — Distributio quam secuti sumus in multis certa est; interdum incerta, eo quod textus originalis forte fuerit corruptus nec cum plena certitudine restitui possit. Præcipuas restitutiones in notis ad textum indicamus.

Conati sumus textum describere *juxta sensum et textum originalem*. Notum est textum Vulgatæ in nonnullis a textu hebraico discrepare sicut cæteroquin discrepantes lectiones occurrunt etiam in aliis versionibus antiquis; et dici nequit textum nostrum hebraicum, qualis fuit sæc. VI et seqq. post Christum comparatus, in omnibus reddere textum primigenium qualis fuit aliquando sub divina inspiratione conscriptus; fieri enim potest versiones, huic operi Massoretarum antiquiores, in locis discrepantibus conservasse lectionem primitivam. — In locis dubiis secuti sumus vel in notis retulimus eas lectiones vel restitutiones quas sensus contextus et opiniones doctorum indicant. — Quæ in textu nostro a textu massoretico discrepant, *cursivis* impressa invenies.

In vanum consurgunt populi et principes adversus Christum et Ecclesiam ejus.

I. Impiorum insurrectio.

1. Quare tumultuantur gentes,
   et populi moliuntur inania *consilia?*
2. Insurgunt reges terræ,
   et principes consiliantur in unum,
   adversus Jahve et adversus Unctum *(Messiam)* ejus:
3. « Dirumpamus vincula eorum,
   « et projiciamus a nobis funes eorum! »

II. Hos vanos conatus irridet Jahve.

4. Qui habitat in cœlo irridet,
   Dominus subsannat eos;
5. Tunc *(tempore statuto)* loquitur ad eos in ira sua,
   et in furore suo perterret eos:
6. « Ego autem constitui regem meum,
   « super Sion, montem sanctum meum! »

Notanda in textum, ad vv. indicatos.

v. 2. *Insurgunt,* sic habent t. hebr., LXX et Vulg.; non pauci tamen putant corrigendum et vertendum: *Consiliantur.*

Jahve, nomen Dei, quod LXX vertere solent: ὁ Κυρίος, indeque Vulg.: *Dominus.*

Unctum, hebr. *mashiach* (unde: *Messias*). Hoc nomine in V. T. designantur varii homines unctione Deo consecrati, ut sacerdotes, prophetæ et reges; titulo proprio, quasi Unctus per excellentiam, sic designatur Sacerdos, Propheta et Rex qui fuit Christus Jesus. LXX vertunt: ὁ Χριστος, indeque Vulg.: *Christus.*

v. 3. *Funes,* ita hebr. — LXX: τὸν ζυγὸν, indeque Vulg.: *jugum.*

v. 4. *Dominus,* hebr. *'Adonai,* cujus loco plura manuscripta legunt *Jahve.*

v. 6. In t. hebr quem secuti sumus hic, sunt *verba ipsius Jahve;* in LXX vero et Vulg. sunt *verba ipsius Uncti,* attestantis se a Jahve fuisse regem constitutum. — Lectio hebr. præferenda videtur, utpote bene sequens ad v. 5 qui Jahve tamquam locuturum introducere videtur: hisce verbis proclamat altum suum dominium, cui nemo resistere valet: Ego, Jahve, constitui ipsum in regem, — satisque innuit instare vindictam. — In oppositum Lagrange, apud *Revue Biblique,* 1905, pp. 39 ss.

Super Sion, montem Sanctum meum (hebr. ad litteram: montem sanctitatis

III. Jus suum Christus proclamat.

7. Prædicabo decretum Jahve:
Dixit ad me: « Filius meus *es* tu,
« ego hodie genui te.
8. « Postula a me, et dabo *tibi* gentes *in* hæreditatem tuam,
« et *in* possessionem tuam *dabo* terminos terræ.

---

meæ. Mons Sion ponitur pro ipsa sancta civitate Jerusalem, quæ erat centrum regni judaici, quæque ipsa, ut sæpe, ponitur hoc loco ut figura regni messianici, Ecclesiæ scil., aliquando a Christo instaurandi.

v. 7. Prædicabo decretum Jahve, ita hebr.; Vulgata vero, post LXX: prædicans...; aliæ adhuc lectiones occurrunt in versionibus antiquis; unde apparet textus esse incertus. Variæ fuerunt tentatæ restitutiones: Lagrange, l. c.: Ego Christus constitutus sum... ad annuntiandum statutum Jahve scil. novam epocham innocentiæ et justitiæ in Jerusalem; — Zenner-Wiesmann, *Die Psalmen nach dem Urtext*, 1906, in hunc ps., corrigit v. 7ª eumque jungit v. 2º hoc modo:

2ª Insurgunt reges terræ
2ᵇ et principes consiliantur in unum,
7ª Et proclamant: « Adversus statutum Jahve!
2ᶜ « Adversus Jahve et adversus Unctum ejus!
3 « Dirumpamus vincula eorum,
« et projiciamus a nobis funes eorum »!

Hoc modo dispositio poematis in omnino liquida, et in specie obtinetur perfectus ille parallelismus, semper per *duo* membra procedens, qui in textu nostro non adamussim servatur.

Decretum Jahve illud est quo Messiæ, filio suo, commisit dominium super terram universam (v. 8 s.).

Filius meus es tu; ego hodie genui te. — Varias horum verborum interpretationes vide apud auctores. — Qui psalmum habent ut messianicum *in sensu typico* tantum, eumque in sensu litterali de quodam rege temporali, puta de David aut Salomon, intelligunt, verba ista sic evolvunt: Ego, Jahve, hac die introinstallationis tuæ constitui et uxi te in regem, et hac ratione in filium meum te assumo. Quæ sententia non placet. — Qui vero *in sensu litterali* de Messia audiunt, filiationem hanc de filiatione propria dicta et naturali interpretantur: *Filius meus es tu*; alterum vero membrum vario modo intelligunt, puta: Ego *ab æterno* genui te; — vel: Ego *in momento Incarnationis tuæ*, Jesu-homo, fecit te esse filium meum; — vel: Ego manifestavi te esse Filium meum, sive: *in Baptismo tuo in Jordane*, — sive *in resurrectione tua*; — sive *in Ascensione tua* et ingressu in gloriam.

v. 8. *Hæreditas*, idem quod: possessio firma; — *terminus terræ* idem quod: terra universa, usque ad fines suos.

9. « *Rege* eos cum sceptro ferreo,
« tamquam vas fictile confringe eos! »

IV. CHRISTO IGITUR SUBDITI ESTOTE.

10. Et nunc, reges, estote sapientes,
erudimini, judices *(principes)* terræ.
11. Servite Jahve cum timore,
et jubilate *ei* cum tremore.
12. Assumite servitium ejus, ne irascatur,
et ne pereatis de via *recta*.
13. Nam exardescet in brevi ira ejus:
beati omnes qui confugiunt ad eum *(ad Christum)!*

A. VANDER HEEREN.

II

Q. *Quid in apologetica vocatur* methodus immanentiæ?

R. 1. Imprimis distinguatur oportet inter *doctrinam* de immanentia et *methodum* immanentiæ.

Doctrina de immanentia est complexus assertorum quæ nituntur huic fundamentali principio, — quod id quod Deus vocatur inest homini, quod omne divinum in ipso homine solo est inveniendum, quod religio formaliter nihil aliud est quam affectus erga Infinitum, exortus ex aliqua quasi intuitione Infiniti, quod proinde ipsa religio est independens ab omni cognitione specu-

---

v. 9. *Rege*, seu regere poteris (hebr.: *confringe*, quod minus congruit *sceptro*) eos, cum sceptro *ferreo*, cui nil resistet; *confringe* eos sicut *vas fictile* (hebr.: *vas figuli*), seu facilis erit tibi victoria, ruinaque qua hostes tuos cædes irremediabilis.

v. 11. *Jubilate;* verbum hebr. forte melius verteretur: *contremiscite*, quod optime quadraret in membrum parallelum.

v. 12. *Assumite servitium ejus;* sic intelligimus LXX et Vulgatam. Textus autem hebr.: *naskqu-bar* vertitur: *Osculamini* (adorate, agnoscite?) *Filium* (*bar* autem est forma aramaica quæ hic ægre exspectatur); — ab aliis vertitur: *Adorate pure* (?). Textus incertus manet; *sensus* LXX et Vulgatæ bene quadrat in contextu.

lativa determinata, quod ex sola hominis conscientia vel subconscientia exsurgit religio, quod proinde religio, tota quanta est, ex homine solo originem habet et in ejus conscientia absolvitur (1). Illa deinde sic explicantur ut rejiciatur a/ realis distinctio inter Deum et Universum, b/ omne supernaturale, etiam omnis revelatio ab extrinseco, c/ valor objectivus cognitionis religiosæ (2). Ex hac doctrina proposita est aliqua apologetica, quæ ut scopum habebat animas ad Christianismum adducere et ut medium adhibebat ostendere in ipsius hominis natura latere exigentiam et desiderium religionis christianæ. Hæc apologetica, quæ doctrinam ipsam de immanentia admittebat, omnino vitiata erat, ut per se patet.

2. Sed quidam auctores, perspicientes nostris diebus multos homines adhærere doctrinæ de immanentia vel ipsius assertis quasi imbui, conati sunt, quin hanc doctrinam admittant vel propugnent, ex hac tamen adducere homines ad christianismum: assumpserunt id quod ipsis videbatur quasi ineluctabilis persuasio hominum nostri temporis ut ex hac manuducerent illos ad fidem catholicam: inde specialem agendi cum incredulis rationem exposuerunt, quæ est *methodus immanentiæ*. Hæc definiri potest: *methodus persuadendi hominibus religionem revelatam primario per rationes ex intimis naturæ humanæ exigentiis petitas et viribus voluntariis adaptatas* (3).

3. *Ex intimis naturæ exigentiis et tendentiis* persuade-

---

(1) Hæc notio generalis exponitur in encyclica « Pascendi »: cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 600 s.; cf. etiam t. XIII, p. 201 ss. Illud generale immanentismi vitalis principium ab aliis scholis aliter ulterius explicatur. Cf. MICHELET, *Dieu et l'agnosticisme contemporain*, Paris, 1909, p. 184 ss.; ALB. VALENSIN, ap. D'ALÈS, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, art. *immanence*, col. 569 ss.

(2) Cf. ALB. VALENSIN, *o. c.*, col. 574 ss.

(3) DE GROOT, *Summa apologetica de Ecclesia catholica*[3], Ratisbonæ, 1906, p. 13; cf. VAN NOORT, *De vera religione*, Amstelodami, 1907, p. 81 ss.

rere religionem revelatam est proprium munus illius methodi immanentiæ. Attamen non omnes eodem deinde modo hac methodo usi sunt, nec eodem processu in ordinandis argumentis, nec iisdem argumentis; imo nec ad eumdem finem proximum: alii nonnisi ut præparationem vel dispositionem aptam ad ipsam fidem adhibuerunt hanc methodum, alii, ut videtur, ut necessariam omnino, alii forsitan ut sufficientem et jam substituendam traditionali, quæ dicitur, apologeticæ (1).

Nuper a R. P. Aug. Valensin exposita est methodus immanentiæ (2), qualis, uti dicit, fuit propugnata a D. Blondel (3), et quæ reducitur ad sequentia capita:

a/ principium fundamentale: id quod homini mere ab extrinseco est, nempe id quod non correspondet alicui indigentiæ humanæ, vel alicui appetitui, vel alicui puncto cui inseratur, non potest in ipsa hominis vita penetrare, nec ejus cognitione assimilari, nec aliquem cujuslibet generis valorem habere (4).

b/ Ex altera parte, catholica doctrina tenet existere *supernaturale*, nempe dari entia quæ sunt positive indebita omni naturæ finitæ, creatæ vel creabili, quæ proinde nec naturam constituunt, nec ad illam consequuntur,

---

(1) De variis modis quibus adhibita est et explicata methodus immanentiæ, cf. Le Bachelet, *De l'apologétique traditionnelle et de l'apologétique moderne*, Paris, 1897, p. 121 ss.; Michelet, *o. c.*, p. 184 ss.; Lahousse, *L'apologétique de l'Église catholique* (Extrait de la « Revue apologétique »), Bruxelles, 1906, p. 30 ss.

(2) *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, art. *immanence*, col. 580 ss.

(3) Utrum talis reapse sit sententia Dni Blondel non dijudicamus. Cæteroquin oportet ulteriores explicationes considerare quæ in illo systemate ingrediuntur. R. P. de Tonquédec rite, ut videtur, doctrinam Dni Blondel exposuit in opere: *L'immanence*, Paris, 1913; de quo etiam cfr *Revue-thomiste*, 1913, t. XXI, p. 355 ss., p. 481 ss.

(4) Obscura certo est hæc assertio. En auctoris verba: « Ce qui ne correspond pas à un appel, à un besoin, — ce qui n'a pas dans l'homme son point d'attache intérieur, sa préfiguration ou sa pierre d'attente, ce qui est purement et simplement du dehors, cela ne peut ni pénétrer sa vie, ni informer sa pensée, c'est radicalement inefficace en même temps qu'inassimilable ». Col. 581.

nec ab illa exiguntur (1). Hæc docet Revelatio sola, hæc nequit detegere humana ratio.

c) Ex duobus præcedentibus assertis consequitur quædam oppositio vel antinomia : secundum principium immanentiæ, nihil animæ ingreditur quod anima non postulat, nec intelligi potest animæ felicitas quam anima de se non appetit — et tamen supernaturale est aliquid quod natura non postulat et visio beatifica est felicitas quam anima naturaliter non appetit.

d) Ad hanc radicalem oppositionem auferendam, contendunt ostendere dari in ipso homine *indigentiam supernaturalis, le besoin du surnaturel* (2).

e) Ad hoc porro assumunt theses quas catholica doctrina tenet de necessitate et de existentia gratiæ in præsenti Providentiæ ordine, et distinguunt triplicem statum hominis : 1° statum gratiæ *(l'état de vie surnaturelle)* in quo homo possidet gratiam sanctificantem, quæ est principium vitæ supernaturalis ; 2° statum mortis supernaturalis *(l'état de mort surnaturelle)* in quo homo per peccatum mortale amisit sanctificantem gratiam ; 3° statum transnaturalem *(l'état transnaturel)*, in quo est homo qui nondum habuit, nec peccato personali unquam amisit gratiam sanctificantem.

Jamvero in *statu gratiæ* licet anima humana ejusque facultates sint remaneantque realiter distinctæ a gratia, tamen gratia inest animæ et operatur in ipsius animæ operationibus : præterea anima, quæ donatur gratiâ, jam positive ordinatur ad visionem beatificam, hancque appetit et exigit : quapropter in hoc statu animæ datur vera indigentia supernaturalis (3).

---

(1) « Le surnaturel est par définition ce qui demeure toujours au delà de la capacité, des mérites, des exigences de notre nature et même de toute nature concevable. — Ontologiquement, il consiste dans la participation à la vie divine par la vision beatifique, et dans tout ce qui prépare, commence, accompagne, achève ou suit cette participation à titre hypothétiquement nécessaire ou doublement gratuit ». Col. 582.

(2) Col. 584.

(3) « Il existe pour l'âme vivante, un besoin positif du surnaturel, fondé sur le plein d'une grâce deiforme et déifiante ». Col. 587.

In *statu transnaturali*, homo nondum in se habet principium habituale actuum salutarium, sed interius movetur gratiis actualibus prævenientibus, quæ inquietum reddunt hominem et inde suscitant indigentiam supernaturalis (1).

De statu mortis nihil speciale est statuendum, quia vel non considerandus est in apologetica, quæ agit de primo accessu ad fidem, vel quia de illio statu idem est dicendum quod de statu transnaturali asseritur.

f In hoc tandem erit munus proprium methodi immanentiæ quod faciat hominem in semetipso detegere illam *indigentiam supernaturalis* ita ut, hac indigentia agnita, præparetur homo ad audiendam et accipiendam doctrinam quæ docet supernaturale existere. Materia proinde circa quam versatur illa inquisitio est ipsa hominis vita, seu complexus actionum et passionum quæ in homine de facto inveniuntur.

Systema illud per summa capita exposuimus; in sequentibus responsis crisim de illo exponemus. Interim notemus illam methodum non tradi ab auctore, a quo expositionem ejusdem accepimus, tamquam completam apologeticam, sed tamquam primam, et tamen necessariam instructionem, qua proxime disponitur homo ad intelligendam demonstrationem de facto Revelationis (2): quæ demonstratio fit per hoc quod vocatur apologetica traditionalis.

J. Van der Meersch.

---

(1) « Il existe pour l'âme ignorante et païenne, celle qui n'est encore que conviée, un besoin (négatif) de surnaturel, créé par le vide d'une disposition, qui, étant la marque d'un état perdu, le signe d'un rappel, l'effet d'une grâce prévenante et la condition d'une grâce habituelle, peut déjà s'appeler, dans un sens analogique, une grâce elle-même » Col. 588.

(2) Cf. col. 584, 588.

III

Q. *Indicatis variis restrictionibus quibus perfectum jus dominii limitatur, ostende qua ratione* perfectum *nihilominus vocetur et sit.*

R. Perfectúm jus dominii, quod communius *jus proprietatis* vocatur, aut sæpius etiam dominium sine addito, illud est quod in se continet dominium directum simul et utile, et quod proinde possessori tribuit facultatem moralem disponendi, ad suum exclusivum commodum, tum de re possessa, tum de omnibus fructibus et utilitatibus ejus.

Equidem jus illud non inde perfectum dicitur quod nullis omnino circumscribatur limitibus, adeo ut omnia quæcumque velit possit dominus cum rebus suis agere. Plures enim afferri oportet restrictiones, quæ quidem aut ipsam domini facultatem moralem limitant, aut certe justum licitumve ejusdem usum. Quas restrictiones latiore sensu limites vocamus (1), illosque dicimus sive juridicos, seu provenientes ex jure stricto in altero existente, sive morales.

a/ Et primo jus proprietatis, non secus ac aliud jus quodvis, totaliter subjacet Deo, qui a seipso, utpote primo principio et ultimo fine omnium, jus strictum in omnia possidet, illudque independens, et illimitatum nisi a propria divina perfectione intrinseca. Nullum proinde jus dominii, nullam facultatem inviolabilem disponendi de nostris rebus possidemus quam Deus pro arbitrio coangustare, aut imo auferre non possit.

Aliam deinde limitationem, eamque juridicam, juri proprietatis ponit necessitas extrema vel quasi-extrema

---

(1) « Latiore enim acceptione pro aliquo limite haberi potest quidquid est quo auferatur, non quidem inviolata facultas, sed licitus inviolatæ facultatis usus ». VERMEERSCH, *Quæstiones de Justitia*, n. 231. — Limites presse tales ostendit laudatus auctor binos tantum existere, scilicet aliena necessitas et altum Status dominium.

proximi : quoties nimirum ipsi alia non suppetit via qua ex præsentissima necessitate se eripiat nisi sumendo bonum alienum, modo tamen dominum in eamdem necessitatem inde non conjiciat. « Etenim ex ipso fine ad quem Deus bona temporalia hominibus concessit, jus ad usum earum rerum, quæ vitæ sustentandæ actu necessariæ sunt, præcellit et elidit jus dominii in bona quæ tantum commodo ac decoro vitæ inserviunt. Illud autem jus extreme indigentis jus vere strictum seu rigorosum est, non quidem in re quadam determinata antequam ab ipso apprehenditur, sed ad rem quamlibet ipsi necessariam apprehendendam. Postquam vero manum apposuit, jam in ipsa re jure stricto gaudet » (1). — Inde limitatur, ut patet, jus proprietatis privatæ: non potest enim dominus talem excludere dum rem arripit. Quodsi excludat, ipse injustus est; si autem rem arreptam vi recuperet ad restitutionem tenetur, imo ad compensationem damni inde pro paupere orti.

Præterea, dominio perfecto tertia quædam restrictio, eaque etiam juridica, a lege naturali eo ponitur quod non possit dominus sua re uti cum alterius injuria. Manifestum est enim te gladium tuum adhibere non posse ad occidendum innocentem, aut domum tuam non posse comburere, simul comburendo domum vicini. In quo iterum perfecta tua potestas utendi et abutendi aliquousque circumscribitur (2).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, II, p. 25. Illud jus indigentis a quibusdam auctoribus extenditur etiam ad casus *gravis* necessitatis eorum quibus a domino seu proprietario tribuenda sunt ex pietate alimenta. Cf. VERMEERSCH, *o. c.*, n. 232.

(2) Non quidem loquimur de jure stricto quod alter ad suum proprium commodum haberet in eamdem rem quæ est proprietas tua, sed de illo jure quod habet in suam. Et sane jus tuum in propriam v. g. pecuniam inde etiam limitatur quod teneris justum famulo tuo salarium solvere; nam propter contractum locationis operarum famulus strictum jus ad rem habet in salarium conventum. Verum in illam tunc pecuniam tuam, ipse jam jus perfectum non habes, quia facto proprio, nempe contractu, illud restrinxisti; et proinde hujusmodi limitatio, utut verissima, non est limitatio perfecti cujusdam dominii.

Insuper, ipse lex civilis jus dominii limitat, variis ordinationibus plerumque ex justitia stricta obligantibus. Vi enim dominii alti potest respublica, in quantum boni communis necessitas postulat, de civium possessionibus disponere, sive domino usum rei suæ coarctando, sive etiam ipsum rei dominium transferendo in alium, ut fit in expropriatione publica, in præscriptione legitima etc. Commune vero bonum legales restrictiones omnes mutant oportet: non tantum illæ quæ directo securitatem et salubritatem publicam respiciunt, sed illæ etiam quæ intuitu ipsius domini feruntur, ut quæ pupillis, minoribus, uxoribus usum suæ proprietatis coarctant: illæ pariter quæ intuitu proximi statuuntur, ut quæ de bonis contiguis et vicinis agunt. Nec competit reipublicæ jus dominii directe coangustare, cum tota ipsius in bona privata potestas indirecta sit. Directe hoc, seu immediate et propter se possessionibus et divitiis modum imponere netas est Statui: indirecte vero seu propter aliud, hoc est propter commune bonum ipsi licet præscribere limites, adeo ut restrictio non instar onis, sed medii tantum se habeat (1).

Tamdem, non stricte juridicos sed lato sensu morales limites licito usui proprietatis ponunt aliæ virtutes præter justitiam commutativam. Sic propter motivum non justitiæ, sed temperantiæ prohiberis ne vino utaris tuo usque ad ebrietatem: propter motivum caritatis teneris ad eleemosynas elargiendas, et sic porro. Hisce præceptis aliquousque rursus restringitur possidentis

---

(1) Cf. Vermeersch, l. c. n. 281, 3: «Et nadiamus enim nonnulla exempla eorum quæ Status in regimen proprietatis privatæ non potest. 1° Non licet Principi supprimere privatas possessiones, etiam rerum immobilium, nec summam reunire maximam, ultra quam prohibeantur rites augere privatas divitias, nec ei jus imperare vectigalia et demandare de majoribus facultatibus magis æquabiles tantas dominis, nec integra tanta publica quemlibet justitiæ limitare dominio, nec ad certos annos invadere proprietatem rerum quæ vel a natura suam datæ propriæ dominii indulsit, vel sunt ratione conditionis acquisitæ. Illæ enim dari non possunt sine potestate directa in ipsum jus quem ab ipso alienamus.»

dominium, non ita tamen ut ea violans jus aliquod strictum lædat, et ad restitutionem teneatur. Sed iterum inde patet jus perfecti dominii nequaquam illimitatum aut omnino independens esse, præterquam quod manifestum fit rigorem juris a virtutibus moralibus apte temperari, christianamque ita induere rationem.

b/ Quæ cum ita sint, quomodo tamen jus proprietatis, ita multipliciter limitatum, perfectum vocetur?

Primo quidem comparate ad alia jura in re minus perfecta. Nimirum cum jus pleni dominii complectatur dominium tum directum tum utile, perfectum dicitur relate ad jus nudæ proprietatis, seu proprietatis absque jure ad fructus, necnon relate ad dominium utile, seu fructuum absque proprietate ipsius rei. Istæ namque species dominii semipleni diminutam tantum præbent facultatem utendi et abutendi.

Secundo vero jus proprietatis, in se consideratum, in tantum dicitur perfectum seu plenum, in quantum nullus ex limitibus supra indicatis ullam fractionem ipsius juris in re in alium hominem actualiter transfert, imo nec aliquod jus ad rem in proprium alterius commodum (1). Sic enim soli domino manet facultas disponendi de re sua et de fructibus ejus, necnon inde arcendi omnes alios, ita ut nulli alteri res ab ipso possessa in commodum vergere debeat.

Et revera, quod attinet ad limites ablativos dominii, scilicet tum ad jus Dei, tum ad jus proximi extreme indigentis, tum ad jus reipublicæ in ipsam translationem proprietatis, quamdiu alius jure vel jurisdictione sua actualiter non fuerit usus, nihil inde refert ad ea quæ potest dominus (2). Quod vero ceteras restrictiones

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 545.

(2) Unde non dicendum, sicut impugnando liberalismum œconomicum fecerunt quidam, jus proprietatis privatæ potius usumfructum esse quam verum dominium, propterea quod principale rerum omnium dominium penes Deum existit. Hoc enim inaccurate dicitur; sed nec operariis, quibus favere intendit, ullatenus propositio prodest: jus enim ususfructus,

spectat, nulla ex eis partem dominii ad alterum unquam transfert. Non injuria proximi vitanda, ut patet; cum ideo præcise vitanda sit ut unicuique integra salvaque maneant propria jura. Nec magis lex civilis, cum prohibet, etiam ex justitia, talem aut talem proprietatis usum: illud enim non tollit quempiam esse perfecte dominum, seu nullam fractionem juris in re aut ad rem in alterius commodum transfert, sed tantum ligat jus proprietatis quoad certam partem. Nec tandem morales quas vocavimus restrictiones: quippe quæ nec illicito rei usui limitem proprie dictum ponunt. Qui enim proprio se vino inebriat, sane peccat, sed non contra justitiam; aliis verbis, nedum virtutes illæ morales partem dominii unquam transferant, contra ipse dominus illas transgredi potest quin jus suum dominii prætergrediatur; nec ipsius facultas qua ita abutitur ab aliis violari potest.

Verbo: perfectum vocatur jus plenæ proprietatis quia, etsi pro conditione hominis, in societate præsertim viventis, non undequaque illimitatum existat, tamen est « potestas moralis pro libitu de re ipsa cujus aliquis dominus est disponendi, ea in proprium commodum utendi, omnesque alios et a re ipsa et ab ejus usu excludendi sine injuria alterius, nisi illa potestas lege aliqua ex justitia obligante, absque translatione tamen ullius partis dominii in alium, restringatur » (1).

---

etsi minus extensum, æque tamen strictum est ac jus pleni dominii; nec minus usufructuarius potestatem habet arcendi omnes alios a fructibus suis quam plenus proprietarius arcendi alios a re simul et fructibus.

(1) Ill^mus Waffelaert: *De Justitia*, I, n. 50.

IV

Q. *Ex dictis sequentem casum resolve: Titius minorennis, nixus jure perfecti dominii quod habet in bona sua, primo quidem tutorem suum pluries impedivit ab exercitio legalis tutelæ seu administrationis illorum bonorum; deinde vero, sui juris factus, domum suam combussit; postea leviter se exposuit gravi criminis suspicioni, unde propria familiæque fama passa est naufragium; et tandem omnes inutiliter consumpsit facultates, ita solvendis debitis se imparem reddendo. — Utrum et quare limites prætergressus est dominii sui?*

R. Logice decurrit solutio quæsiti, percurrendo varias restrictiones sive juridicas sive morales quas in præcedenti responso juri proprietatis assignavimus. Nimirum:

Ad primum. Etsi tutor nullo jure in re nec ad rem polleat in bona minorennis, quia ad proprium commodum illis uti non potest, sed tantum in bonum pupilli, ipsa tamen potestas administrationis quæ legaliter ipsi competit est aliquod ejus bonum, conferens scilicet ad ipsius honorem et ornamentum. Eo quidem sensu jus administrationis est tutori bonum utile et æstimabile, quod non minus tanquam bonum proprium possidet ac cetera omnia quæ in suis bonis habet, et quæ sunt materia justitiæ et injustitiæ (1).

Proinde, ut ait Lugo, qui a legitimo superiore suam potestatem indebite aufert, aut ipsum impedit in justo ejus exercitio, peccat contra justitiam; non minus ac si auferret ipsi divitias, vestes aut famam (2). Unde patet

---

(1) Recte omnino dici potest tutorem verum quoddam dominium habere illius juris administrationis, ipsoque proinde in proprium commodum uti posse, qua parte scilicet confert ipsi honorem etc. Interim verum manet eum in ipsa minoris bona nec jure in re, nec jure ad rem pollere.

(2) Lugo: *De Justitia et Jure,* Disput. 1, sect. 1, n. 14.

minorennem jam in hoc, quin ad modales circumstantias facti descendamus, limites dominii sui objective prætergressum esse, illum dico limitem juridicum quo quisque agere prohibetur cum injuria alterius.

Ad secundum. Comburendo autem propriam domum, nullum juridicum suæ proprietatis limitem transgressus est Titius, cum nemo præter ipsum in eam jus haberet, nec aliunde, ut supponitur, injuria stricta proximo allata est. Verum, morales limites (latiore sensu) juris dominii non observavit: aliis verbis, si contra justitiam non peccavit, peccavit sane contra pietatem erga suos, vel saltem contra caritatem erga hominum communitatem, siquidem bona externa hac priore sua destinatione nunquam destituuntur qua ad utilitatem totius generis humani existunt.

Ad tertium. Famam vero propriam leviter projiciendo, quoniam in eam perfecto gaudet dominio, injustus per se non fuit. Abdicavit enim quod suum erat, nec erga seipsum aliquis injustus esse potest, cum a se nemo invitus patiatur quidquam (1). Sed ita agendo, quadam prodigalitatis specie moralem juris limitem prætergressus est.

Præterea in casu dato, per accidens gravi peccavit injuria, quia ipsius diffamatio graviter læsit famam suorum, in quam isti jus strictum habebant. Per accidens etiam justitiam læsisset, si ita imparem se reddidisset implendis officiis suis in justitia debitis, quia iterum bono proprio cum injuria alterius usus fuisset.

Ad quartum. Præter peccatum prodigalitatis et contra pietatem erga suos, commisit heic Titius peccatum contra justitiam, ratione læsi juris stricti ad rem quod habebant creditores. Nam illorum jus limitem juridicum apponebat dominio ejus.

E. Hosten.

---

(1) Cf. Lehmkuhl: *Casus Conscientiæ*, I, n. 554.

V

Q. *Ostende ex S. Thomæ* Summa theologica *I, qu. 44, a. 4, Deum esse causam finalem hominis.*

R. **Prænota** (1). 1° Quæstio quisnam sit finis ultimus hominis spectari potest dupliciter, vel scilicet ex parte Dei, ad quem finem voluerit Deus hominem ultimò esse, vel ex parte ipsius hominis, ad quem finem homo naturæ appetitu tendat. Primus respectus vocari potest dogmaticus, metaphysicus, et describit *destinationem* nostram; alter est psychologicus et studet *tendentiæ* nostræ ultimæ. Nos in præsenti sub primo respectu rem attingimus, quærendo ad quem finem Deus hominem sicut et omnes creaturas destinaverit, postea acturi de ipsa tendentia ad finem in homine spectata.

2° Non tamen ut dogmatici volitionem hanc in Deo consideramus, sed tantum quatenus inde dependet directio vitæ nostræ. Ideo ex dogmatica recolatur quonam sensu aliquis possit divinæ operationi finis assignari: relate nimirum ad divinam volitionem nulla est causa finalis, nullum bonum movens suì appetitu ad operandum, quamvis una perfectio Dei possit dici ratio alterius, in casu, divina bonitas necessario et primario amata a Deo possit vocari ratio cur Deus velit alia a se (2). Vera igitur causa finalis existit tantum relate ad effectus divinæ operationis, seu, ut breviter dicit S. Thomas, I, qu. XIX, art. 5: « Deus *vult hoc esse propter hoc* sed non *propter hoc vult hoc* (3).

---

(1) Recolat lector quæ jam antea de eodem objecto in hoc periodico scripta sunt: t. I, p. 174 ss.; t. II, p. 17 ss.; 63 ss.; t. VI, p 433 ss.; p. 656 ss. Notiones ibi traditas præsupponimus, cætera ibidem exposita et demonstrata hìc in unum colligere attentamus per modum commentarii in Summam theologicam.

(2) Aliis verbis ratio nostra distinguens in Deo plures perfectiones aut plures formalitates, unam concipit tamquam necessariam ut altera sit, et hanc alteram concipit et affirmat existere vel saltem posse existere si prima sit. Cfr. PALMIERI, *De Deo creante et elevante,* thesis X.

(3) Nempe vult effectus suos esse convenienter ordinatos in finem sed

Hisce dictis sic breviter complectimur atque explicamus doctrinam S. Thomæ I, qu. XLIV, art. 4, sequentes commentarium Cajetani in hunc locum (1).

1. *Exponitur doctrina articuli.*

In antecessum recolit S. Doctor principium generale finalitatis quod pertinet ad principium rationis sufficientis (2): « Omne agens agit propter finem ». Quod breviter demonstratur: « alioquin ex actione agentis non magis sequeretur hoc quam illud nisi a casu ».

Absonum foret dicere omne agens effectum suum bene determinatum hunc et non alium producere casu. Id enim casui tribuimus quod nescimus a quanam causa proveniat. Ratio autem sufficiens cur aliqua causa producat talem effectum determinatum hæc sola est quod iste effectus præcontineatur in illa causa, quatenus nimirum hæc sit determinata ad tali modo operandum, seu ordinata ad talem operationem, sive ex necessitate naturæ, sive ex libera electione, quod idem est ac dicere: ratio cur aliquod agens ita agat est quia agit propter talem effectum ut finem, seu omne agens quod determinato modo agit, agit propter finem. Si autem omne agens, primum quoque agens seu Deus agit propter finem: de hoc fine creationis nunc quæstio est. S. Th. I-II, qu. I, art. 3.

Hoc principio finalitatis rememorato, sic procedit argumentum S. Thomæ:

Idem est finis agentis et patientis in quantum hujusmodi, sed aliter et aliter: id nimirum quod agens

---

nulla est finalis causa actus divinæ voluntatis. Cfr. Ferretti, *Philosophia moralis*, I, p. 16, nota 1.

(1) Cfr. Th. Pègues, O. P., *Commentaire français littéral de la Somme Théologique*, t. III, p. 28 ss.; t. VI, p. 202 ss.; *Dictionnaire de théologie catholique*, t. V, v° Fin dernière; t. III, v° Création; *Dictionnaire apologétique*, t. I, v° Dieu.

(2) Ratio sufficiens cur aliqua actio *sit* est causa efficiens, id est agens in actu seu in exercitio; ratio sufficiens autem cur actio sit *talis* et non alia, est causa finalis agentis, id est agens præcontinens talem actionem determinatam, ordinatum ad talem actionem; et tunc præcise *casui* attribuimus aliquem effectum quando non habet rationem sufficientem cur talis sit in agente a quo procedere videtur, seu quando ignoramus a quanam causa determinata processerit.

intendit imprimere idem est quod patiens intendit recipere.

Jamvero Deus, utpote agens perfectum, operando intendit solum communicare suam perfectionem quæ est Ipsius bonitas.

Ergo creatura intendit consequi hanc communicationem perfectionis seu bonitatis divinæ.

Sic ergo bonitas divina est finis rerum omnium.

Explicatur major. Omnis effectus qua talis id omne et id tantum est quod causa intendit ut sit; ad id tantum existit ad quod causa ipsum intendit (1) esse. Ut ergo sciamus ad quid existat, ad quid tendat creatura quævis et universitas rerum, sufficit sciamus ad quid Deus eam produxerit seu voluerit existere et tendere (2). Id autem in minori declaratur.

Declaratur minor. Omne agens qua tale intendit seipsum, scilicet communicandum, (v. *ad 2um*). Sed quia agentia creata sunt imperfecta, id est, non sunt pure agentia, sed simul agunt et patiuntur, seu perficiuntur sua actione, seu « agunt propter indigentiam », ideo quando agunt, non unice intendunt communicare, simul vero intendunt aliquid acquirere. Deus autem, utpote plenitudo essendi, est agens non patiens, seu agens tantum. Ideo non potest agere ad aliquid acquirendum, sed solum ad communicandum seipsum. Et ideo solus Deus est « maxime liberalis, quia non agit propter suam utilitatem, sed solum propter suam bonitatem » (v. *ad 1um*). Ita solvitur objectio de egoïsmo necessario Dei (3).

---

(1) Intentione scil. vel stricto sensu, quæ supponit cognitionem intellectualem, vel lato sensu, seu tendentia cui aut nulla prælucet cognitio, ut est appetitus naturalis, aut cognitio sensibilis tantum, ut est appetitus brutorum. Cfr. De Jaegher, *Institutiones philosophiæ*, p. 221.

(2) Ordo enim universi non est ordo staticus seu quietis in fine possesso, sed ordo dynamicus seu motûs in finem acquirendum. Deus autem volens creaturam ad aliquem finem existere ei indidit aliquam formam, seu principium intrinsecum, qua in hunc finem tendat sponte sua.

(3) Cfr. Conc. Vatic., Sess. III, cap. I. Denzinger-Bannwart, 11 ed., n. 1783. Vitanda est ergo confusio quando dicitur Deus creare propter gloriam suam extrinsecam, ne intelligatur quasi Deus ageret ad acquirendum hoc bonum creatum.

Quando igitur Deus liberrimo consilio decrevit creare universum, nihil aliud voluit nisi communicare suam perfectionem seu bonitatem, sensu metaphysico; id est, voluit ut existerent imitationes, participationes limitatæ suæ infinitæ perfectionis. En igitur finis agentis, Dei, unde in conclusione deducitur finis patientis, creaturæ.

Explicatur conclusio. Creaturæ igitur ad hoc tantum existunt, hunc tantum finem habent ut suo singulæ modo participent et imitentur bonitatem Dei, in quem finem tendunt conservando et evolvendo quantum ipsis convenit, suam propriam perfectionem qua imitantur bonitatem Dei (v. *ad 3um*). Alio et alio modo igitur omnia appetunt Deum ut finem, seu redeunt ad Deum, quatenus Deo assimilantur, alia scil. eo quod sunt cum suis proprietatibus et activitatibus, ut mineralia, alia in quantum vivunt, ut plantæ, alia in quantum sensibus cognoscunt, ut bruta, alia tandem in quantum intellectu et voluntate sunt prædita, ut homines et angeli.

Sic ergo divina bonitas est finis omnium rerum quatenus Deus omnibus intendit communicare suam bonitatem, creaturæ vero omnes intendunt participare bonitatem Dei seu assimilari perfectioni Dei (1).

Adnotatio. Doctrina supra exposita sub alia forma passim sequenti modo exprimitur: Deus omnia fecit propter gloriam suam extrinsecam, accidentalem; finis omnium creaturarum est gloria Dei extrinseca. Gloria nimirum Dei accidentalis in eo præcise sita est quod bonitas Ejus infinita, quam ab æterno SS. Trinitas cognoscit, amat et laudat (gloria Dei formalis intrinseca, essentialis) a Deo ad extra communicatur, ita ut alia entia hanc bonitatem participent atque imitentur: est excellentia Summi Dei ad extra manifestata. Creaturæ autem omnes gloriam reddunt Deo *objectivam*, quam vocant, tum in essendo, tum in agendo, eo quod omne earum esse et operari nil aliud est nisi participare et imitari bonitatem Dei: hæc glorificatio Dei est finis

(1) Cfr. J. Van der Meersch, *Tractatus de divina gratia*, p. 114, p. 116.

intrinsecus, essentialis, necessarius omnis creaturæ. Hæc nunc gloria objectiva, si ab ente intellectu et voluntate prædito percipiatur, generat in ipso claram de Deo cum laude notitiam seu glorificationem Dei formalem: respectu creaturæ irrationalis hæc glorificatio est finis extrinsecus quem non immediate sed mediate tantum obtinet.

2. *Homini applicantur quæ de creatura universim dicta sunt.*

Creando hominem Deus unice intendit perfectiori modo communicare suam infinitam perfectionem, illam in specie qua est intelligens et volens. « Creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam ». Gen. I, 26.

Finis igitur ad quem homo existit est ut suo proprio modo participet, imitetur divinam bonitatem, quatenus non modo est et vivit et sensibus percipit, sed præterea spirituali cognitione et appetitu gaudet. Conservando et evolvendo has suas facultates hunc finem intendit, seu suo proprio modo Deum imitatur, ad Deum redit, Deum glorificat: hæc iterum est glorificatio Dei objectiva quam necessario et essentialiter omnis homo, quemadmodum cæteræ creaturæ, Deo persolvit.

Id autem proprium est homini præ creatura irrationali quod Deus Seipsum ipsi communicare intendit tamquam objectum cognitionis et objectum amoris (1), sive per creaturas, in ordine naturali, sive, in ordine supernaturali, per revelationem obscuram in via, facialem in patria.

Adeoque finis hominis est suscipere hanc intentionalem communicationem Dei et ita, imitari quam perfecte Deum et vitam intimam Dei, Ipsum cognoscendo et amando. Illa autem cognitio, ille amor simul est summa perfectio hominis, utpote supremus actus intellectus et

---

(1) Aliis verbis, solus homo, inter creaturas corporales, conscius esse potest hujus sui et omnium rerum esse participati et ex illa conscientia assurgere, redire conscio modo ad principium primum et plenum sui et universi esse.

voluntatis, et consequenter est ejus beatitudo, et simul est glorificatio Dei formalis seu agnitio excellentiæ divinæ. Eam gloriam Deo reddit homo, non ex necessitate naturæ sed cum physica libertate. Ad eam tamen, utpote destinationem suam essentialem, adstringitur necessitate morali, seu obligatione, et quidem obligatione prima, cæterarum obligationum fundamentali.

Conclusio est: finis ultimus hominis est glorificatio Dei formalis quæ simul constituit supremam hominis beatitudinem (1).

A. Legrand.

VI

Q. *De* quibusnam Sanctis *celebrari possunt missæ votivæ et* quænam Sanctorum missæ *pro votivis sumendæ sunt?*

R. I. **De quibusnam?** De illis sanctis qui ex concessione Ecclesiæ cultu publico universali coli possunt.

1. Ideoque *non de Beatis*. Quum per beatificationem formalem aut æquipollentem, Ecclesia non velit judicium definitivum ferre de sanctitate alicujus servi Dei, cultum publicum, quem ei exhiberi concedit, non permittit universalem sed variis modis quoad locum et quoad actus restrictum. Non plus ergo permittitur

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 658 ss. Hæc doctrina de destinatione nostra fundamentalis est non tantum in theologia morali sed etiam in theologia ascetica, (cfr. Tissot, *La vie intérieure simplifiée*, 11e éd., p. 51 ss.), et mystica: relegat lector textum Rusbrochii citatum fasciculo præcedenti, p. 565. Quæ exposuimus de communicatione divinæ bonitatis et de reditu creaturæ ad Deum, præclaris hisce verbis exprimit: « Dum igitur [homo] ita amorem et quicquid habet divinitus sibi præstitutorum ac infusorum munerum sive donorum considerat, adspectat et sentit, facile animadvertit, Deum continenter et sine intermissione horis omnibus seipso et cum universis donis suis fluitare. Atque eam ob rem fit amore impatiens nec se continere aut cohibere potest, quin cum omnibus suis viribus in bonitatem incomprehensibilem et celsissimam Trinitatem et deliciosissimam unitatem, quoad fieri potest, refluat ».

quam quod in singulis casibus conceditur, et non licet « excedere limites verbales indultorum Sedis Apostolicæ super Beatificationibus » (n. 942). Qui limites generales determinantur decreto Alexandri VII (n. 1130, coll. n. 1156) quo vetatur (sub n. 7) ne dies festi celebrentur nisi speciali indulto apostolico provisum fuerit « et (sub n. 6) ne missæ Beatorum determinatis personis vel ecclesiis concessæ alibi celebrentur (1). »

Non exstat autem generale indultum celebrandi de Beato missam votivam, et S. C. Rituum in casu particulari rogata negavit hujusmodi missam licere (n. 1568, 1). Ergo neque in iis locis ubi officium et missa in die festi alicujus Beati conceditur (v. g. de B. Idesbaldo in diœcesi Brugensi) licet de eodem Beato celebrare missam votivam, nisi vi specialis indulti apostolici.

2. Permittitur vero de *Sanctis,* formaliter aut æquipollenter canonizatis, quorum nomina in Martyrologio Romano sunt inscripta, (n. 3922, § III, 1) aut in quorum honorem « in ipsorum die missæ festivæ a Sede Apostolica sint concessæ aut ab immemoriali fuerint recitatæ » (2). De aliis vero, quorum cultum Ecclesia non positive approbavit, sed toleravit tantum, etiamsi eorum reliquiæ religioso cultu asserventur, non permittitur celebrare missam votivam (decr. gen. n. 1853).

II. **Quænam missæ?**

1. Missæ quæ in fine Missalis ut *votivæ* describuntur, nempe de SS. Angelis et de SS. Petro et Paulo; item de S. Joseph *Adjutor et Protector,* quæ olim inter votivas per annum, nunc autem in novis Missalibus additur ad Dom. III post Pascha (3).

2. Missæ Sanctorum *propriæ* quæ in die festi in

---

(1) Hæc restrictio hodie intelligi debet juxta tenorem decr. 9 jul. 1895 (n. 3862) de missa celebranda in ecclesia aliena.

(2) De Herdt, *S. Liturgiæ praxis,* t I, n. 37. Cf. *Collat. Brug.,* t. VIII, p. 345.

(3) Cf. decr. n. 3764, 9; 23 jan. 1912; *Collationes Brugenses,* t. II. p. 290.

Proprio Sanctorum integre aut partim exhibentur vel saltem indicantur.

Nota tamen missas Sanctorum proprias quæ exstant in Appendice Missalis pro aliquibus locis vel in Proprio Diœceseos, adhiberi tantum posse ut votivas in iis ecclesiis in quibus conceditur has missas celebrare ut festivas in propriis diebus festis. Ita v. g. in diœcesi Mechliniensi, ubi non est concessum festum S. Godelivæ, missa votiva in honorem hujus Sanctæ celebranda esset Missa *Loquebar* ut in Communi Virg. et Mart. 1° loco, prout jacet, sed sine oratione propria diœcesi Brugensi concessa.

3. Si missa propria, vel partim vel imo ex integro deficiat, supplendum est per partes vel missam integram *de Communi* magis convenientem qualitati Sancti et tempori anni ecclesiastici. Si v. g. in corpore Missalis exstant solæ orationes in honorem alicujus Sancti Confessoris Pontificis, ita tamen ut secreta et postcommunio sint desumptæ ex missa de Communi *Statuit*, hæc missa, non vero missa *Sacerdotes* erit dicenda. Si hujusmodi indicia inveniantur in Appendice aut in Proprio alicujus diœceseos extraneæ, utilia erunt ad seligendam missam maxime congruam, licet partes propriæ non possint adhiberi nisi in locis pro quibus missa propria est concessa. Quod si tandem nullum suppeditatur in Missali indicium, sacerdos ipse judicet de convenientia missæ cum qualitate Sancti. Si v. g. sit celebrandum in honorem alicujus Sanctæ nec Virginis nec Martyris sed quæ diu fuerit vidua, sumatur missa *Cognovi* cum epistola speciali *Viduas honora*.

III. **Mutationes inducendæ.**

1. Missæ propriæ compositæ sunt intuitu alicujus festi determinati, maxime diei anniversariæ Natalis Sanctorum ad vitam æternam. Verum illa festa dies, habens sedem fixam in mense, est independens a Proprio de Tempore, h. e. a logica et historica vitæ Redemptoris repræsentatione per annum liturgicum.

Ex quo intelligitur has missas posse celebrari etiam aliis diebus et extra ordinem officii — h. e. ut votivæ — quin inde oriatur oppositio quædam cum mysteriis vitæ Christi quæ successive recoluntur, qualis oppositio esset, si v. g. missa Nativitatis Domini celebraretur tempore passionis.

2. Aliunde tamen solent in his missis occurrere verba aut imo partes quæ propria sunt *festo,* quia alludunt ad determinatam diem, aut ad factum quod recolitur, aut exprimunt indolem ac solemnitatem ipsius festi. Ut autem in missa extra hunc diem festum celebrata servetur veritas verborum, debent induci interdum quædam mutationes in textu formularum. Quare:

a/ Omitti debent verba: *hodie, hodierna dies, hujus diei, annua dies* et alia hujusmodi.

b/ Verbis: « *natalitia, natalis, solemnitas, festivitas* » debent substitui alia quæ abstrahunt a die propria festi v. g. *memoria, commemoratio* (nn. 3922, III, 1; 2427, 2; 3138; 3539, 1).

c/ Si quæ pars integra ita exprimat caracterem festivum diei ut extra festum non possit verificari, ei substituatur formula respondens ex missa de communi magis convenienti. Ita v. g. loco Introitus « *Gaudeamus* omnes... *diem festum* celebrantes sub honore... » dicatur pro S. Anna, Introitus ex missa *Cognovi*, pro S. Agatha, ex missa *Loquebar*.

3. In eligenda et celebranda missa votiva, diligens ratio est habenda *temporis anni ecclesiastici* in quo celebratur.

Ita, missam propriam conceptam pro tempore post Pentecosten, si dicenda sit tempore paschali, celebrabit sacerdos cum duplici *Alleluia* ad antiphonam Introitus et unico *Alleluia* post Offertorium et Communionem, et loco Gradualis assignati dicet post Epistolam « magnum Alleluia » quod desumet ex missa respondente de Communi. Quod si hanc missam celebret post Septuagesimam, loco versus alleluiatici post Graduale dicet Tractum congruum de Communi. Item

extra tempus paschale in missis votivis omittenda sunt Alleluia. Qui casus præsertim practicus est pro missa de SS. Corde Jesu (nn. 3137, 5; 3764, 10 (1); 2784, 3).

Quod spectat votivas de Martyribus, sedulo observandum est in Communi tam unius quam plurimorum martyrum exstare missas alias per annum, alias omnino diversas pro tempore paschali. Si igitur extra tempus paschale dicenda est in honorem S. Martyris missa quæ in Proprio Sanctorum exstat tempore paschali, sumenda erit missa de communi per annum (aut vice versa), retentis tamen semper quæ propria sunt Martyri in cujus honorem celebratur (nn. 2340, 3; 2839, 5).

4. Si dicenda sit votiva de *pluribus Sanctis non simul adscriptis in calendario:*

a) Si sint ejusdem qualitatis (v. g. de S. Antonio et de S. Francisco Assisiensi, confessoribus non pontificibus), sumatur missa de communi sanctorum hujus qualitatis (conf. non pontif.), mutando in orationibus singulare in plurale et utrumque sanctum nominando.

b) Si vero non sint ejusdem qualitatis aut dignitatis (v. g. S. Franciscus conf. non pont. et S. Clara virgo), dicatur missa de digniori (in casu de S. Francisco) et in orationibus nulla exprimatur qualitas nisi quæ conveniat omnibus, vel eligantur orationes quæ indiscriminatim omnibus Sanctis apprime conveniunt, v. g. ex missa S. Callisti (14 Octobris).

5. Si petatur missa in honorem *unius Sancti qui in calendario cum sociis est adscriptus,* videndum est utrum, recitatis orationibus in singulari et paucis forte mutatis vel demptis, servari possit missa propria. Hoc magis optandum est si in missa sint quædam propria soli Sancto de quo celebratur (v. g. de S. Dionysio, 9 Oc-

---

(1) In hoc decreto n. 3764, 10, responsum est corrigendum, et loco « Negative » legendum est « Affirmative » ut authentice constat ex Indice Decretorum Authenticorum, t. V, p. 129. Cf. *Ephem. Liturg.*, t. XI, p. 164; 346; XVIII, 307 ss.

tobris). Quod si omnia fere referantur ad plures, sumatur potius missa conveniens de communi.

6. Si petatur missa *in honorem Sancti* alicujus et simul *pro aliqua necessitate,* celebretur missa de Sancto juxta regulas præfatas, cum intentione obtinendi gratiam specialiter intentam. Potest etiam, diebus ritus simplicis addere orationem votivam (post tertiam orationem) pro dicta necessitate.

C. Callewaert.

Les fabriques d'église et la loi du 30 août 1913

apportant des modifications aux lois sur les droits d'enregistrement d'hypothèque, de timbre et de succession (1).

La nouvelle loi fiscale introduit en diverses matières des modifications qu'il importe aux fabriques d'église de connaître.

1° **Donations.** L'article 2 stipule que le droit d'enregistrement est fixé à *5 p. c.* pour les donations de biens meubles ou immeubles faites aux fabriques d'église (2). Autrefois ces donations n'étaient sujettes qu'à un droit fixe de 2,40 francs (3).

Il est ajouté à l'art. 28 de la nouvelle loi que les actes portant donation entre vifs de biens immeubles sont exempts de droits de transcription.

2° **Legs.** L'article 46 porte que le droit de succession et le droit de mutation par décès sont réduits à *5 p. c.* pour les legs faits aux fabriques d'église. Ces droits, dit l'article suivant, sont réduits de moitié pour ce qui n'est

---

(1) Voir *Moniteur*, 5 sept. 1913, p. 5817 ss., qui renvoie aux documents et discussions relatifs à cette loi : Session 1912-1913. *Chambre des représentans, Documents parlementaires*, nos 294, 342, 374, 393, 391 ; *Annales parlementaires*, Discussion et adoption, pp. 2091 ss., 2125 ss., 2163 ss., 2203 ss., 2243 ss., 2287 ss., 2374 ss., 2415 ss., 2466 ss. *Sénat, Documents parlementaires*, n° 161, 169, 172, 173 ; *Annales parlementaires*, Discussion et adoption, séances des 28 et 29 août 1913.

(2) Sont soumis au même droit d'enregistrement les biens dont un défunt a disposé à titre gratuit dans les trois années qui ont précédé le décès, s'ils n'ont pas fait l'objet d'un acte de donation. Le donataire est tenu de faire par écrit la déclaration de cette disposition, dans les six mois du décès, sous peine d'une amende égale à deux fois le droit. (Art. 49).

(3) Loi du 28 juillet 1879, a. 1, § 1.

recueilli ou acquis *qu'en usufruit.* Antérieurement les dispositions à cause de mort étaient passibles d'un droit proportionnel de 13,80 p. c. (1).

Si le décès a lieu dans le territoire du royaume, le délai pour la déclaration est de six mois; pour le payement des droits de succession il est de dix mois, à compter, dans les deux cas, du jour du décès (art. 52, 53).

Par mesure de contrôle, la nouvelle loi établit que les administrations et les établissements publics ne peuvent, après le décès d'un habitant du Royaume, titulaire d'une inscription ou d'un titre nominatif, en opérer le transfert, la mutation ou la conversion que sur la présentation d'un certificat visé, sans frais, dans les vingt-quatre heures du dépôt, par le receveur du droit de succession dans le ressort duquel le défunt a eu son dernier domicile. Ce certificat est exempt du timbre et de l'enregistrement (art. 56) (2).

3° **Baux.** L'article 8 stipule que les droits proportionnels établis sur les baux sont remplacés par un droit gradué, fixé ainsi qu'il suit:

A 50 centimes, si le prix annuel du bail, y compris les charges annuelles imposées au preneur ne dépasse pas 500 francs;

A 1 franc, si le prix et les charges dépassent 500 francs sans excéder 2,000 francs;

A 2 francs, si le prix et les charges dépassent 2,000 francs sans excéder 10,000 francs;

---

(1) *Ibid.*, a. 1, § 3.

(2) L'art. 57 statue que les administrations et les établissements publics qui sont *détenteurs ou débiteurs,* de quelque chef que ce soit, de titres, sommes ou valeurs revenant à un héritier, légataire ou autre ayant droit par suite du décès d'un habitant du royaume, ne peuvent en opérer la restitution, le paiement ou le transfert qu'après avoir remis au fonctionnaire de l'administration de l'enregistrement désigné à cette fin, la liste certifiée sincère et véritable des dits titres, sommes ou valeurs. — Les contraventions aux articles 56 et 57 sont punies d'une amende de 500 à 5,000 francs (a. 58).

A 3 francs, si le prix et les charges dépassent 10,000 francs.

Si l'acte n'est pas enregistré dans le délai de trois mois à compter de sa date (1), il est encouru, individuellement et sans recours, par le bailleur et le preneur, une amende de 25 francs.

Il est vrai que l'enregistrement des baux verbaux n'est pas obligatoire; mais les auteurs sont d'accord pour affirmer que la location des biens des fabriques doit se faire par écrit (2).

La formalité de l'enregistrement donne date certaine à l'acte de bail; il garantit les droits des locataires en cas de vente, d'expropriation pour cause d'utilité publique etc. Au surplus l'acte de bail, dressé sur papier timbré, devant ou pouvant servir de titre envers ou entre les fabriques et les particuliers, ou être produit en justice comme obligation, décharge, justification, demande ou défense, les fabriques ont tout intérêt à solder ce droit modique d'enregistrement, pour éviter l'amende comminée par la loi.

4° **Achat et aliénation de fonds publics.**

Toute opération d'achat, de vente ou de cession de fonds publics, contractée ou exécutée en Belgique, à l'intervention soit de banquiers, agents de change, commissionnaires ou courtiers, soit d'autres personnes faisant habituellement office d'intermédiaire aux fins de ces opérations, est soumise à un droit de timbre de 10 centimes par 1,000 francs pour les opérations au comptant ayant pour objet les titres de la Dette publique belge et les autres fonds publics qui peuvent être acquis par les fabriques (art. 11, 13).

5° **Polices d'assurance.**

Les contrats d'assurance sont, en vertu de la nouvelle

---

(1) Art. 22 de la loi du 22 frimaire, an VII.

(2) Ar. roy. du 22 juillet 1826, art. 2, combiné avec l'art. 60 du décret de 1809.

loi, sujets à une taxe d'abonnement annuel, acquittée par les sociétés d'assurances.

Le montant de cette taxe est fixé à 3 francs par 1,000 francs, sans fraction, pour les assurances contre les accidents et la responsabilité civile s'y rattachant; a 2 centimes pour 1,000 francs, sans fraction, pour les assurances contre l'incendie (a. 30 et ss.).

A. De Meester.

Suprema S. Congregatio S. Officii

(Sectio de Indulgentiis).

Privilegia et Facultates ab Apostolica sede concessa Sacerdotibus qui Pio Operi Propagationis Fidei operam suam impendunt (1).

I. Cuique Sacerdoti, cui munus demandatum fuerit in aliqua Parœcia, aut in aliqua Communitate, colligendi eleemosynas pro Pio Opere Propagationis Fidei (2), quantacumque sit pecuniæ vis, quæ ab ipso colligatur, aut etiam, qui de propria stipe in capsam ejusdem Pii Operis inferat pecuniæ summam illi parem quam una solveret decuria, conceditur:

1° privilegium personale Altaris tribus in qualibet hebdomada diebus;

2° facultas elargiendi cum adnexa plenaria Indulgentia Benedictionem christifidelibus in articulo mortis constitutis, servato ritu et forma a s. m. Benedicto XIV præscriptis in Constitutione quæ incipit *Pia Mater;*

(1) Hisce renovat Revmus Episcopus Brugensis consensum requisitum ad usum facultatum pii operis Propagationis Fidei quem olim dedit « omnibus et singulis diœcesis. ..... sacerdotibus, pro tempore quo conditiones requisitas adimpleverint ». *Acta Congr. Prosyn. anni 1800*, apud *Collat. Brug.*, t. I, p. 384, sub. VII, coll. t. X, p. 394, n. 2.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, t. II, p. 496, t. XV, p. 379 sq.

3° facultas benedicendi unico Crucis signo, privatim quandoquidem, publice vero tempore Missionum, Spiritualium Exercitiorum, Adventus et Quadragesimæ, quando conciones ad populum habuerint, coronas, cruces, crucifixos, parvas statuas ac sacra numismata, eaque applicandi indulgentias apostolicas nuncupatas, nec non coronas eas quæ a S. Birgitta nomen habent;

4° facultas benedicendi, unico Crucis signo, coronas juxta typum coronarum S. Rosarii confectas, eisque adnectendi indulgentias a Pontifice Gregorio nuncupatas;

5° facultas applicandi crucibus indulgentias sanctæ Viæ Crucis pro infirmis, navigantibus, carceribus detentis, in parvis infirmitatis commorantibus, aliisque a vinculis ejusdem Viæ Crucis statutibus legitime impeditis; servatis tamen ceteris conditionibus;

6° facultas benedicendi ac imponendi christifidelibus, servatis servandis, Scapularia S.ma Trinitatis, Passionis D. N. Jesu Christi, Septem Dolorum ac Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virg., nec non B. Mariæ Virg. a Monte Carmelo, cum potestate adhibendi unicam formulam in eorum benedictione;

7° facultas adscribendi christifideles Tertio Ordini Sacularis S. Francisci Assis., benedicendi ac imponendi Scapulare et Cingulum, ceteris servatis servandis;

8° facultas adscribendi christifideles Archiconfraternitati Chordigerorum, benedicendi et imponendi Cingulum seraphicum;

9° facultas adscribendi christifideles Sodalitati Militiæ Angelicæ, benedicendi atque imponendi Cingulum S. Thomæ Aquinatis;

10° facultas benedicendi, cum adnexis indulgentiis, numisma B. Mariæ Virg. Immaculatæ;

11° facultas benedicendi, cum adnexis indulgentiis, numisma S. Benedicti Abb.

II. Quique parvus Sacerdos, qui ad quodcumque Consilium, vel Consilium pro Pro Operi diregendo, vel promovendo pertinet, ac etiam qui ab Episcopo designatus Rector Dioecesanus omnibus hangitur numeribus quæ forent explenda per Consilium vel Consilium ejusdem Pro Operis, nec non Sacerdos, qui in anno summam responderem mille

subscriptionibus in capsam Pii Operis intulerit, undecumque eam acceperit, conceduntur:

1° facultates omnes superius enumeratæ;

2° privilegium personale Altaris quinquies in hebdomada;

3° facultas benedicendi, cum adnexis indulgentiis, coronas SS. Rosarii B. Mariæ Virg.

Quod si contingat incompletam esse hic et nunc pecuniæ summam, quæ perdurante anni cursu foret colligenda, nihilominus Sacerdos, qui anni præcedentis summam integram collegerit, præfatis privilegiis et facultatibus uti poterit usque ad finem computationis currentis.

III. Cuique similiter Sacerdoti, qui ex ære proprio in capsam Pii Operis intulerit summam, quæ illam æquet quam mille adscripti solverint, conceditur ut ejus vita naturali perdurante gaudere valeat omnibus privilegiis et facultatibus, quibus gaudet quilibet ex Sacerdotibus in numero II recensitis, qui Consiliarii constituti sunt ejusdem Pii Operis.

Die 26 junii 1913.

Cum præsens elenchus ex authenticis documentis fideliter sit excerptus, Suprema S. Congregatio S. Officii illum publicari typisque mandari permisit.

De mandato D. Cardinalis Secretarii
ALOISIUS GIAMBENE,
Substitutus pro Indulgentiis.

CONSULTATIO

Quæritur. An satisfecerunt fideles conditioni requisitæ ad jubilæum de eleemosyna eroganda eo ipso quod pecuniam suam effuderint in capsam ad hoc in ecclesiis appositam, licet pecunia illa non deveniat ad manus pauperum nec ad pias causas distribuatur durante tempore jubilæi, sed postea tantum?

Respondetur. Satisfecerunt huic conditioni etiam stricte interpretatæ: ii enim vere « eleemosynam..... vel in egenos, vel... ad pias caussas » erogarunt (1). Irrevocabilis enim ibi est donatio et stricta dominii translatio, si non in pauperem quemdam aut in pium opus determinatum, saltem in personam Episcopi qui pro pauperibus aut piis causis per se vel per delegatos (parochos) acceptat (2).

A. LEGRAND.

(1) Vide textum, hoc tomo p. 234.

(2) Cfr. DE LUGO, *De Sacramento Pœnitentiæ*, disp. XXVII. s. VII. n. 112. Differentia cum exemplo suprà dato. p. 406. n. 4. de famulo infideli aut immemore. aut cum casu ab Aa. memorato quo eleemosyna missa ad pauperem ad eum pertingit tantum clauso tempore jubilæi. in eo est quod adhuc revocari posset mandatum a domino. ita ut donatio non sit irrevocabilis.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Decembris.

—

I

Delineet historiam generis humani prout per summa capita describitur in libro Geneseos, tanquam prooemium ad historiam populi Israël. Cfr. I, 2; II, 4; V, 1; VI, 9; X, 1; XI, 10, XI, 27; XXV, 12; XXV, 19; XXXVI, 1; XXXVII, 2.

II

Quid censendum de hoc universali principio immanentiæ vitalis: « homini ingreditur nihil quod non correspondet alicui indigentiæ ipsius ».

III

Qua ratione in *primarios* et *derivatos* distinguuntur modi acquirendi dominium in res externas.

IV

Indicatis conditionibus **legitimæ occupationis** rei nullius, explica utrum peccet ille qui venationem exercet sine licentia legali, cum armis prohibitis vel tempore clauso.

V

Resolve hanc difficultatem: Homo peccando avertit sese ab incommutabili bono quod est ultimus ejus finis. Ergo falsum est hominem, in omnibus quæ deliberate vult, intendere ultimum finem.

VI

Quid est missa votiva *privata* et quibus diebus prohibetur?

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Meditationes theologicae*, 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia*, in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio*. Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis. Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage*. — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix: 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi*, Edit. altera. Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missae* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii*. Brugis, Beyaert. In-8, LXXXIV-376 pp. Fr. 6.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

NOTA BENE. Subscriptionis anni proxime insequentis pretium percipietur via postali primis diebus mensis Decembris.

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVIII, pag. 613).

—

VII

De dono sapientiæ.

Ex Alberto M. varia hæc colligimus:

Donum sapientiæ ordinat in bonum quod est finis, per modum boni (sicut intellectus per modum veri), a sapore dicta magis quam a sapere.

Donum altior perfectio est quam virtus, et sic sapientia, ex parte intellectus ut quiescens in fine, æternis per gustum rebus inhæret.

Vita contemplativa perficitur visu et gustu... et quoad gustum est sapientia saporans (1).

Intellectus simpliciter regit, sapientia quodammodo, quatenus per gustum dulcedinis divinæ secundum aliquid rectificat intellectum, ut frequentius circa illud iteretur quod gustat. Alii tamen doctores e converso sapientiam simpliciter regere volunt, intellectum quodammodo (2).

---

(1) In 3, *dist.* 34, art. 3, *solut.*
(2) Ibid., a. 4, ad 3um.

Sapientia « est quoddam lumen divinorum sub quo videntur et gustantur divina per experimentum..... proprie est gustus Dei in donis suis..... Lumen igitur lucens et calefaciens ad hujusmodi scientiam divinorum, per gustum Dei in donis sine quibus ipse non est, dicitur meo judicio *sapientia* donum (1). »

« Et sic (ut lucens et calefaciens) est veritatis et bonitatis, secundum quod unum est in alio, scilicet veritas in bonitate et bonitas in veritate (2). »

Sapientia tamen non est compositio ex cognitione et dilectione... sed est perfectio consequens utramque, nempe gustus dulcedinis cogniti in dono sanctitatis percepto a Deo (3).

Est tantum de divinis. Large dicitur a sapere tantum, stricte vero a sapere et a sapore. Simpliciter autem sapida sunt sola divina (4).

Hæc varia puncta doctrinæ B. Alberti Doctor seraphicus concinne complectitur his verbis:

« Sapientia quadrupliciter consuevit accipi tam a philosophis quam a Sanctis, videlicet communiter, et minus communiter, et proprie, et magis proprie. Communiter accipiendo sapientiam, sic sapientia dicit cognitionem rerum generalem, secundum quam definit eam Augustinus et Philosophus quod sapientia est cognitio rerum divinarum et humanarum... Alio modo dicitur sapientia minus communiter, et sic sapientia dicit cognitionem non quamcumque, sed cognitionem sublimem, videlicet cognitionem rerum æternarum..... causarum altissimarum. Tertio modo accipitur sapientia proprie, et sic nominat cognitionem Dei secundum pietatem; et hæc quidem cognitio est quæ attenditur in cultu latriæ, quem exhibemus Deo per fidem, spem et

(1) *Dist.* 35, a. 1, ad diffin. I, ad 1m.
(2) Ibid., ad 2m.
(3) Ibid., ad diffin. II, ad 2m.
(4) Ibid., art. 2. — In art. 3 agit de discrimine sapientiæ ab intellectu, qua de re supra diximus satis.

dicuntur..... Quinto modo dicitur sapientia magis proprie, et sic nominat cognitionem Dei experimentalem. Et hoc modo est unum de septem donis Spiritus sancti, cujus actus consistit in degustando divinam suavitatem. Et quoniam ad gustum internorum, in quo est delectatio, necessario requiritur actus affectionis ad conjungendum et actus cognitionis ad apprehendendum, secundum illud Philosophi quo dicit quod delectatio est conjunctio convenientis cum convenienti cum sensu ejusdem: hinc est quod actus doni sapientiæ est partim cognitivus et partim est affectivus, ita quod in cognitione inchoatur et in affectione consummatur, secundum quod ipse gustus vel saporatio est experimentalis boni et dulcis cognitio. Et ideo actus præcipuus doni sapientiæ proprissime dictæ est ex parte affectionis..... Et ex hac eadem causa contingit quod sapientia non potest esse nimia, quia excessus in experimento divinæ dulcedinis potius est laudabilis quam vituperabilis, secundum quod patet in viris sanctis et contemplativis... (1). »

Ibidem ad 5m objectionem: quod nemo est sapiens ex hoc solum quod amat, nisi etiam ulterius cognoscat, sic respondet: « Dicendum quod illud est verum, [illegible] in amore Dei [illegible] est cognitio. Optimus enim modus cognoscendi Deum est experimentum dulcedinis, multo etiam excellentior et nobilior et delectabilior est quam per argumentum inquisitionis. Unde ex hoc non sequitur et habetur quod cognoscere sit etiam actus ipsius doni sapientiæ præcipuus, sed quodammodo concurrit ad ejus actum præcipuum: et hoc quidem verum est, quia, sicut dictum est, sapientia in se claudit utrumque actum, unde quodammodo respicit intellectum, quodammodo respicit affectum. »

Ad 6m obj. ibidem: quod unus habitus non potest esse respectu istorum duorum actuum, cum penes illos

(1) S. Th. 55 a. 1, q. 1.

diversificentur potentiæ: respondet: « quod verum est quod non possunt isti actus ejusdem habitus esse ita quod uterque sit principalis, nihil tamen impedit duos esse ita quod unus sit primus, alter vero præcipuus, unus sicut disponens, alter vero complens, sicut... habitum fuit de fide » (1).

Cum utroque Doctore Alberto et Bonaventura convenit quidem Angelicus in hoc quod sapientiæ donum tum intellectum respicere docet tum voluntatem seu affectum, seu cognitionem importare simulque affectum, unde etiam ponit charitati respondere sapientiæ donum, sicut et Bonaventura, ut vidimus supra agentes de dono intellectus. Opponitur vero e diametro iisdem Doctoribus in eo quod actum præcipuum doni sapientiæ esse dicit intellectus, hunoque subjectum esse proprium ejusdem doni, quod, ait, « causam quidem habet in voluntate, scilicet charitatem. Sed essentiam habet in intellectu, cujus actus est recte judicare (2). » Unde et sapientiam dici a sapore agnoscit, scilicet quantum ad suam causam (3), essentialiter tamen nomen habere vult a sapere.

Itaque actum proprium et principem doni sapientiæ reponit in judicio intellectus: « Qui cognoscit causam altissimam simpliciter, quæ est Deus, dicitur sapiens simpliciter, inquantum per regulas divinas omnia potest judicare et ordinare. Hujusmodi autem judicium consequitur homo per Spiritum sanctum (4). »

Hujus autem judicii naturam amplius exponit his verbis (5): « Sapientia importat quamdam rectitudinem judicii secundum rationes divinas. Rectitudo autem judicii potest contingere dupliciter. Uno modo secundum perfectum usum rationis. Alio modo propter con-

(1) Videlicet supra, *dist.* 23, q. 2, et 3.
(2) 2-2, q. 45, a. 2, corp.
(3) Ibid., ad 1m.
(4) Ead. q. 45, a. 1, corp.
(5) Ead. q. 45, a. 2, corp.

naturalitatem quamdam ad ea de quibus jam est judicandum. Sicut de his quæ ad castitatem pertinent, per rationis inquisitionem recte judicat ille qui habet scientiam moralem; sed per quamdam connaturalitatem ad ipsam, recte judicat de eis ille qui habet habitum castitatis. Sic ergo circa res divinas ex rationis inquisitione rectum judicium habere pertinet ad sapientiam quæ est virtus intellectualis. Sed rectum judicium habere de eis secundum quamdam connaturalitatem ad ipsas pertinet ad sapientiam secundum quod donum est Spiritus sancti..... Huiusmodi autem compassio, sympathia sive connaturalitas ad res divinas fit per charitatem, quæ quidem unit nos Deo... Sic ergo sapientia, quæ est donum, causam quidem habet in voluntate, etc. ut modo supra.

Ex his habes quomodo donum sapientiæ distinguitur a sapientia virtute intellectuali adquisita, quod jam ante indicabat S. Thomas, ubi addit quomodo similiter differt a fide: « fides assentit veritati divinæ secundum seipsam. Sed judicium quod est secundum veritatem divinam pertinet ad donum sapientiæ. Et ideo donum sapientiæ præsupponit fidem, quia unusquisque bene judicat qui cognoscit. »

Ad hæc subtiliter adnotat Cajetanus assensum et judicium simul esse, formaliter tamen distingui, et determinationem sui ad aliquid naturæ primam esse judicio de illo. Unde sapientiam posteriorem esse fide: fidei primo est assensus, sapientiæ primo est judicium. Et addit: actus qui spectant ad diversa dona intellectualia « non perfecti sunt ita a fide, quin egeant donorum perfectione, quibus cum eliuntur, non dici sed alio modo, ut scilicet eriuntur ex instinctu Spiritus sancti, eliuntur: ut de sapientiæ dono in proposito dicitur, quod a sapientia elicitur judicium secundum quamdam connaturalitatem ad divina. »

---

1 Art. 1 ad 2m

Notabile quoque subjicimus quod idem Cajetanus scribit in art. 2: « Oportet habere singulos habitus primo respicientes actus qui secundario a virtutibus respiciuntur. Unde nullum donum ponitur pro assensu, qui primo est fidei, sed pro aliis actibus secundariis. Sic enim anima perfecta redditur ad opera supernaturalia proxime et complete. »

Ex ipsa natura doni sapientiæ exposita in art. 2 sponte sequitur illud non esse nisi cum gratia et charitate (1).

In art. 3 docet S. Doctor sapientiam donum non esse speculativam tantum sed et practicam. Intendit enim rationibus divinis et conspiciendis et consulendis : « conspiciendis quidem secundum quod divina in seipsis contemplatur ; consulendis autem, secundum quod per divina judicat de humanis actibus et per divinas regulas dirigit actus humanos. »

Heic rursum notat Cajetanus ad 1m: practicum et speculativum uniri in uno superioris ordinis, seu ut ait S. Thomas ex Philosopho : quanto aliqua virtus est altior, tanto ad plurima se extendit; unde dona ad intellectum spectantia distingui non debent secundum rationem speculativam et practicam, quod prius fecerat S. Thomas 1. 2, q. 68, a. 4, sed postea retractavit 2. 2, q. 8, a. 6, et conformiter ad hoc loquitur heic (2).

In art. 5 docetur donum sapientiæ esse in omnibus habentibus gratiam, saltem quantum necessarium est ad salutem ; esse tamen gradum quemdam sapientiæ non communem omnibus justis, qui magis pertinet ad gratias gratis datas.

Hæc sapienter interpretatur Cajetanus, dum ait sapientiam dupliciter augeri posse : intensive, ex parte subjecti, et extensive, ex parte objecti ; et licet utrum-

---

(1) Quod evolvit S. Thomas in art. 4.

(2) Hac de re sæpius jam sermo fuit, vid. jam ab initio hoc tomo, pag. 7.

que augmentum perficiat habentem, diversimode tamen: intensivum per se primo ordinari ad perfectionem habentis in seipso, extensivum vero ad suî et aliorum utilitatem. Unde extensivum ex ea parte qua ad aliorum utilitatem ordinatur inter gratias gratis datas esse, ex altera vero parte ad bene esse gratiæ gratum facientis spectare. Quando enim dicitur gratias gratis datas esse in utilitatem aliorum, hoc dictum formaliter est intelligendum, ut merito notat idem Cajetanus, id est ut præcise gratis datæ, materialiter enim sumptæ seu simpliciter in se etiam prodesse possunt recipienti, et prosunt bene utenti.

Tandem exscribimus ex Angelico: « quod septima beatitudo congrue adaptatur dono sapientiæ, et quantum ad meritum et quantum ad præmium. Ad meritum quidem pertinet quod dicitur: Beati pacifici. Pacifici autem dicuntur quasi pacem facientes vel in seipsis vel in aliis, quorum utrumque contingit per hoc quod ea in quibus pax constituitur, ad debitum ordinem rediguntur. Nam pax est tranquillitas ordinis... Ordinare autem pertinet ad sapientiam... et ideo esse pacificum convenienter attribuitur sapientiæ. Ad præmium autem pertinet quod dicitur: Filii Dei vocabuntur. Dicuntur autem aliqui filii Dei in quantum participant similitudinem Filii unigeniti et naturalis... qui quidem est Sapientia genita. Et ideo participando donum sapientiæ, ad Dei filiationem homo pertingit (1). » « Spiritus sanctus intantum dicitur Spiritus adoptionis, inquantum per eum datur nobis similitudo Filii naturalis, qui est genita Sapientia (2). »

In hoc adaptatione septimæ beatitudinis consentit cum Angelico Seraphicus aiens: « Sapientia... disponit ad pacem, nam sapientia jungit nos summo vero et

(1) Ejusd. q. 45, a. 6, corp.

(2) Ibid , ad 1m. — Hæc notata velim in quæstione de unione Spiritus sancti cum justis, filiis Dei adoptivis.

bono, in quo est finis et tranquillitas totius nostri rationalis appetitus (1). »

Jam transimus ad septem functiones doni sapientiæ brevissime indicandas juxta textum S. Bonaventuræ supra (2) recitatum et de singulis donis agendo memoratum.

1ª Functio: « Sapientia contra luxuriam ». S. Thomas in q. 46 de stultitia opposita sapientiæ, hanc stultitiam ponit filiam luxuriæ (a. 3) utpote quæ maxime nascitur ex luxuria.

Cajetanus, in hanc q. 46, rite distinguit quæ facile confunduntur, et quorum nomina ut synonyma fere adhibentur, dicendo: hebetudo vel cœcitas mentis impedit perceptionem divinorum, stultitia vel fatuitas impedit judicium divinorum; prior contrariatur dono intellectus, posterior dono sapientiæ.

2ª Functio: « Concupiscibilis indiget expediri... quantum ad affectum respectu Dei, et hoc fit per gustum sapientiæ. »

3ª Functio: « Sapientia (expedit) ad caritatem. Unde, sicut caritas est mater et consummatio omnium virtutum, sic sapientia omnium donorum, ita ut vere dicat Sapiens: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius (*Sap.* VII, 11). »

4ª Functio: « Paterna quidem voluntas movit (Christum ad patiendum)... ut amata per sapientiam. »

5ª Functio: « Necesse etiam habemus quiescere in optimo... quantum ad affectum boni... per donum sapientiæ, in quo est quies. »

6ª Functio: « Perfici autem habemus per accessum ad summum, quod consistit in uno, et hoc per donum sapientiæ. »

7ª Functio: « Contemplativa propter conversionem ad Trinitatem tria debet habere dona expedientia,

---

(1) *Brevil.*, p. V, c. 6.
(2) Hoc tomo, p. 124-128.

scilicet quantum ad reverentiam majestatis, timorem; quantum ad intelligentiam veritatis, intellectum; quantum vero ad sapientiam sive gustum bonitatis, sapientiam. »

Has omnes functiones sapientiæ exponit S. Bonaventura, ut patet, juxta notionem a se datam doni sapientiæ.

Quamquam sapientia summum est inter dona Spiritus sancti multaque de eo dicenda remanent, nihil tamen amplius addemus nunc, ob rationem jam allatam, quia nempe postea, si Deus dederit, in interpretandis Doctoribus mysticis, præprimis B. Joanne Rusbrochio, fusius dicendum erit de sapientia et intellectu aliisque donis præcipue intellectualibus, in ordine ad unionem contemplativam cum Deo consideratis.

Itaque finem facimus dicendi de dono sapientiæ. Non possumus tamen quin hortemur nosmetipsos omnemque Clerum ut, scientiæ sacræ studio sedulo incumbentes, usque memores simus quomodo hoc in studio usui nobis sint ac esse debeant dona Spiritus sancti, sæpe continuoque invocandi, præprimis vero donum sapientiæ. Quod delectabiliter exponit Doctor Seraphicus, interque mysticos princeps, ostendens theologiam esse scientiam, non tantum speculativam, sed affectivam et principaliter quidem « ut boni fiamus. »

Et primo quidem audiamus quid Bonaventuræ sit et quid nobis esse debeat theologia, prout universam doctrinam sacram complectitur: « Ipsa sola est scientia perfecta, quoniam incipit a primo, quod est primum principium, et pervenit ad ultimum, quod est præmium æternum: incipit a summo, quod est Deus altissimus creator omnium, et pervenit ad infimum, quod est infernale supplicium. Ipsa etiam sola est sapientia perfecta, quæ incipit a causa summa, ut est principium causatorum, ubi terminatur cognitio philosophica, et transit per eam, ut est remedium peccatorum; et reducit in eam, ut est præmium meritorum et finis desideriorum. Et in hac cognitione est sapor perfectus, vita et

salus animarum; et ideo ad eam addiscendam inflammari debet desiderium omnium christianorum. Ex his patet quod, licet Theologia sit de tot et tam variis, est tamen scientia una, cujus subjectum, ut a quo omnia, est Deus; ut per quod omnia, Christus; ut ad quod omnia, opus reparationis; ut circa quod omnia, unicum caritatis vinculum, quo cœlestia et terrestria connectuntur; ut de quo omnia in libris canonicis comprehensa, credibile, ut credibile; ut de quo omnia in libris expositorum [i. e. interpretum seu theologorum] credibile, ut intelligibile (1). »

Quomodo sit theologia scientia affectiva, cujus cognitio est quidem gratia speculationis, sed principaliter ut ipsa boni fiamus, sic exponit: « Notandum est quod perfectibilis est intellectus noster a scientia. Hunc autem contingit considerare tripliciter, scilicet in se, vel prout extenditur ad affectum, vel prout extenditur ad opus. Extenditur autem intellectus per modum dictantis et regulantis; et quia secundum hunc triplicem statum errare potest, habet triplicem habitum directivum. Nam, si consideremus intellectum in se, sic est proprie speculativus, et perficitur ab habitu, qui est contemplationis gratiâ, quæ dicitur speculativa scientia. Si autem consideremus ipsum ut natum extendi ad opus, sic perficitur ab habitu qui est ut boni fiamus, et hæc est scientia practica sive moralis. Si autem medio modo consideretur ut natus extendi ad affectum, sic perficitur ab habitu medio inter pure speculativum et practicum, qui complectitur utrumque, et hic habitus dicitur sapientia, quia simul dicit cognitionem et affectum.... Unde hic est contemplationis gratiâ et ut boni fiamus, principaliter tamen ut boni fiamus (2). »

Quibus addimus hæc præclara: « Quia Deus summe

(1) *Brevil.*, p. I, c. 1.
(2) In 1 *Sent.*, prolog. q. 3.

suavis et bonus est, et omnia quæ ab ipso fluunt sapida sunt et bona, ideo cum intellectus cœperit in agnitione veri dilatari, statim etiam gustus animæ, hoc est interior affectus, incipit quodam spirituali sapore in cognitis delectari. Et sic quod in solo intellectu fuerat scientia, accedente sapore affectus, dicitur sapientia, id est sapida scientia; scientia est ex cognitione veri, sapientia ex adjuncto amore boni (1). »

Quam vera hæc sunt, quam bona! Profecto, qui doctrinæ sacræ continuo vacat sub divino lumine ac sapore doni sapientiæ, quam dilucide advertit omnia adjuncta vitæ alio jam non humano modo sese aspectui suo offerre, res omnes aliam induere faciem, qua ad superna atque æterna attollatur!

Universa doctrina de donis Spiritus sancti, tum in genere, tum in specie et singulariter consideratis, quam breviter exposuimus scholastice magis quam mystice, fundamenti instar erit in interpretandis verbis et actis tum Sanctorum qui practice iis donis usi sunt eaque, ut dicitur, vixerunt, tum Doctorum mysticorum qui etiam theoriam exposuerunt. Priusquam tamen hanc interpretationem aggrediamur, præ oculis habita imprimis doctrina B. Rusbrochii, necesse erit paulo amplius declarare notionem contemplationis supernaturalis, et brevem notitiam addere illarum gratiarum gratis datarum seu charismatum, quæ in illa contemplatione quoque occurrere possunt. Etenim gratiæ gratis datæ affinitatem quamdam habent cum donis Spiritus sancti, et nonnullæ commune nomen cum aliquibus virtutibus vel donis sortiuntur, atque frequenter cum his obviæ sunt in vita et scriptis Sanctorum ac Doctorum mysticorum, ita ut earum consideratio sæpe necessaria sit ut accurate et plene illorum acta et scripta intelligi atque exponi valeant.

(Continuabitur).

---

(1) *De profectu Relig.*, l. XI, c. 72 in princ., Bonaventuræ immerito, ut videtur, attributum.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

—

I

Q. *Paucis expone sensum generalem psalmi XLIII:* Deus, auribus nostris audivimus..., *eumque transscribe per strophas, versus et membra parallela, juxta sensum et textum originalem* (1).

R. I. **Adjuncta generalia** quibus psalmus respondet **facile perspiciuntur:**

Populus Israel, qui in toto psalmo loquens inducitur (2), versatur in *maxima angustia:* fugere debuerunt agmina ejus coram hostibus, bona fuerunt direpta, multi gladio occisi sunt, multi quoque e patria sua abducti et dispersi in terra aliena, omnes facti sunt objectum opprobrii et irrisionis (vv. 10-17). — Hisce calamitatibus ansam non dedit Israel per infidelitatem suam erga Deum et idololatriam: *Deo* enim *fideles manserant;* quare ænigma est ipsis se ita a Deo esse derelictos (vv. 18-22). Imo persecutionem patiuntur *propter Deum* (3), quia Deo fideles sunt, quia in ipsum confidunt (v. 22). — His tamen omnibus invitis animum non desponderunt: *in Deo confidunt* qui, sicut olim patres eorum (vv. 2-4), ita etiam ipsos defendet et salvabit, quando arcu et gladio armati incedent contra inimicos (vv. 5-9).

---

(1) Recole adnotata *supra*, p. 616, *nota* (1).

(2) Nunc in singulari: *Ego, meus,* — nunc in plurali: *Nos, noster,* loquitur psalmista; nullum tamen inde reale discrimen.

(3) Vide aliam interpretationem infra, in nota ad v. 22.

Occasio autem **determinata**, in qua hæc varia adjuncta verificabantur, varia a variis auctoribus indicatur. Plerique Protestantes psalmum assignant *tempori Machabæorum*; quam sententiam Ill. Beelen valde probabilem æstimat. Attamen, aliis omissis (1), hoc videtur huic sententiæ obstare, testibus libris Machabæorum (2) satis magnam fuisse Israelitarum deflexionem a lege sua ad ideas et cultum gentilium. — Alii assignant tempora satis turbata immediate *subsequentia captivitatem babylonicam* (3). — Alii inter catholicos assignant *finem ipsius captivitatis babylonicæ*, quo tempore, sic aiunt, ii qui peccatis suis fuerant causa punitionis jam obierant eorumque posteri ad cultum legemque Dei redierant (4). — Alii altius assurgunt usque ad tempus (a. 701) quo *Sennacherib, rex Assyriorum,* successive expugnaverat varias civitates Juda, spolia multa abstulerat, multos occiderat, multos quoque abduxerat, et tandem ad Jerusalem ipsam obsidendam ascendere volebat. Civitate sancta inclusus manebat rex Ezechias, debuitque ipse et populus ejus audire opprobria et blasphemias a Rabsaces (i. e. a duce exercitus) regis Sennacherib ipsi et Deo suo impie illatas. Et tamen ab Ezechia, optimo rege, destructa fuerat idololatria, et populus ad veri Dei cultum ejusque legem reductus (5). Unde revera hisce adjunctis respondere videtur psalmus (6).

---

(1) Nollem contra hanc sententiam arguere ex decreto *Commissionis Pontificiæ de Re biblica,* De auctoribus et tempore compositionis psalmorum, ad VII; ibi enim non rejicitur absolute hæc hypothesis applicata *uni alterive psalmo,* sed dicitur tantum probabiliter sustineri non posse *non paucos* esse psalmos ævo Machabæorum compositos. — Vide decretum apud *Collat. Brng.*, t. XV, pp. 371 s.

(2) I Mach. I, 12; II, Mach. IV, 6-V, 10.

(3) Cfr. Schegg, *Die Psalmen* (1857).

(4) Cfr. Emmanuel, *Nouvel essai sur les psaumes* (1869); Van Steenkiste, *Liber psalmorum* (1886).

(5) Cfr. IV Reg. XVIII s.; II Par. XXIX-XXXI; Is. XXXVI s.

(6) Cfr. Zenner-Wiesmann, *Die Psalmen nach dem Urtext* (1906), post P. De la Garde.

— Alii tandem ad *tempora ipsius David* ascendunt, occasionemque assignant bellum ipsius contra Syros, cujus occasione Idumæi in terram Juda irruperant (1).

Argumentum et **divisio** psalmi. Psalmus *deprecatorius* est, et tum quoad stylum suum, tum quoad sensa animi quæ exprimit, unus ex pulcherrimis totius psalterii. Apte in eo *quinque strophæ* distinguuntur quæ sic sibi succedunt:

Iª Stropha. Testis omnium calamitatum quæ irruerunt in populum Dei, revocat psalmista Deo in memoriam facta præclara quæ olim in favorem populi sui perfecit, et signanter occupationem terræ sanctæ, duce Josue; quæ utique occupatio opus Dei fuit, non opus hominum (2-4).

IIª Stropha (2). « Tu semper, idem Deus, rex noster es, a quo solo exspectamus liberationem ab angustiis nostris, et auxilium adversus inimicos nostros » (5-9).

IIIª Stropha. Istis mirabilibus operibus Dei olim ab ipso patratis, huicque fiduciæ psalmistæ erga Deum et regem suum, — vivida descriptione opponuntur mala ingentia quæ in populum irruerunt: « Tu, Deus, repulisti nos, et mala omnia ista in nos irruentia permisisti » (10-17).

IVª Stropha. Et ecce ænigma sunt omnia mala ista pro psalmista: « Tibi enim, Deus, et fœderi tuo fideles manseramus; tu, qui scrutaris abscondita quæque cordium, tu nosti illud; quare ergo affligi nos permittis (18-21)? Imo, quod culmen est, propter te, Deus, affligimur, quia tui sumus; te in nobis contemnunt et impetunt » ! (v. 22).

Vª Stropha. Unde tandem vivida erumpit oratio: « Quare dormis, Domine? Quare abscondis te? Quare oblivisceris inopiæ nostræ? Nonne vides anima et cor-

(1) Cfr. II Reg. VIII, 13; I Par. XVIII, 12. — Cfr. FILLION, *Les psaumes commentés* (1893); VIGOUROUX-BACUEZ, *Manuel biblique* (12 ed. 1906); CEULEMANS, *Introductio et commentarius in psalmos* (1900).

(2) Nota parallelismum valde arctum inter stropham I et II.

pore nos deficere? Expergiscere, evigila, exsurge in auxilium nobis, et libera nos propter nomen tuum (24-27)!

II. **Textus.**

Oratio populi Dei, in maxima afflictione publica.

I. OLIM, DEUS, PATRIBUS NOSTRIS AUXILIUM TULISTI.

2. Deus, auribus nostris audivimus,
patres nostri narraverunt nobis
opus *quod* operatus es in diebus eorum,
in diebus antiquis, 3, tu, manu tua *(occupationem terræ sanctæ):*
Gentes expulisti, — et plantasti istos *(patres nostros)*,
destruxisti nationes, — et dilatasti istos;
4. Nam non per gladium suum possederunt terram,
et brachium eorum non dedit victoriam ipsis;
sed dextera tua et brachium tuum
et lux *(favor)* vultus tui: nam complacebas tibi in eis.

II. ETIAM NOS IN TE CONFIDIMUS, ADVERSUS HOSTES NOSTROS.

5. Tu ipse *es* rex meus et Deus meus,
qui præstas salutem Jacob *(populo Israel)!*

Notanda in textum, ad vv. indicatos:

v. 2. *Opus* illud est occupatio terræ Chanaaň sub Josue.

v. 3. *Manus tua*. Melius hæc verba adduntur v° 2, ob parallelismum membrorum qui tum in v. 2 tum in v. 3 sic magis obvius fit, ut apparet legenti textum nostrum.

Nota oppositionem v. 3: *Gentes* expulisti e terra Chanaan, et in ea plantasti istos, *patres* nostros: *nationes* destruxisti, et dilatasti, crescere fuisti istos, *patres* nostros.

v. 4. Nota insistentiam: gladio *suo*, brachium *eorum*; — dextera *tua*, brachium *tuum*, lumen vultus *tui*.

Lumen vultus tui, i. e. benignitas tua, auxilium tuum: quia illuminato, benigno vultu, eos aspiciebas.

v. 5. *Jacob*, i. e. populo Jacob, populo Israël. — Vers. 5 vertimus juxta LXX.

6. Per te affligentes nostros percutimus,
in nomine tuo conculcamus adversarios nostros.
7. Etenim non in arcu meo spero,
et gladius meus non salvat me.
8. Sed *tu* salvas nos ab affligentibus nostris,
et odio habentes nos *tu* confundis.
9. In Deo gloriamur omni die,
et nomen tuum, *Deus*, in æternum laudamus.

III. Magna est angustia nostra.

10. Et tamen repulisti et confudisti nos,
et non egressus es cum exercitibus nostris.
11. Fugere fecisti nos retrorsum coram hoste,
et odientes nos despoliaverunt sibi.
12. Tradidisti nos tamquam oves occidendas,
et inter gentes dispersisti nos.
13. Vendidisti populum tuum sine pretio *(pro nihilo)*,
et non factus es dives ex pretio eorum.
14. Posuisti nos *in* opprobrium vicinis nostris,
in subsannationem et derisum *his qui* in circuitu nostro *sunt;*
15. Posuisti nos *in* proverbium inter gentes,
in commotionem capitis inter populos.

---

v. 6. *In nomine tuo*, idem quod: *in te*, per auxilium tuum.

v. 9. *In Deo* tanquam in rege et adjutore nostro *gloriamur*.

vv. 10 ss. Nota *gradationem* in hisce vv.: post assertum *generale:* Tu, Deus, rejecisti nos et pudore nos affecisti (10a), jam *specialim* describit: Non dimicasti nobiscum (10b); fugere debuimus coram hoste (11a); bona nostra diripuerunt (11b); multi ex nobis occisi sunt (12a); imo multi inter gentes dispersi sunt (melius esset mori (12b); nos, populum tuum, tractasti tamquam vilem mercem quam nihili vendidisti (13). — Alii (hebr. verunt paulo aliter: Et non fuisti alte non constituisti altum pretium) in venditione eorum.

Nota quoque audaces figuras: tradidisti nos ut *oves occidendas, als slachtvee* — *populum* tuum quasi mercem vilem auctione publica *vendidisti*, et vile pretium accepisti; — facti sumus objectum *opprobrii* et *irrisionis*, objectum *proverbii:* ubi volunt gentes alicui exprobare aut irridere, sumunt Israel quasi terminum comparationis: « *Judæum* » ipsum vocant; — super nos, in signum despectus et irrisionis, capita movent.

16. Tota die ignominia mea coram me *est*,
et confusio faciei meæ cooperit me,
17. propter vocem exprobrantis et calumniantis,
propter vultum inimici et ultoris.

IV. Tibi tamen fideles manseramus.

18. Omnia ista venerunt nobis, et *tamen* non obliti eramus tui,
et non fuimus infideles fœderi tuo;
19. Non recesserat retro cor nostrum,
et non declinaverat gressus noster a via tua, —
20. ut contereres nos in loco *afflictionis*,
et cooperires nos umbra mortis.
21. Si obliti essemus nominis Dei nostri,
et extendissemus manus nostras ad Deum alienum,
22. nonne Deus investigasset *et sciret* illud? —
ipse enim novit abscondita cordis.
23. Sed propter te occidimur omni die,
æstimamur tamquam oves occidendæ.

V. Exsurge ergo in auxilium nobis!

24. Expergiscere! Quare dormis, Domine?
Evigila! Ne repellas in perpetuum!

---

v. 17. *Propter vocem..., propter vultum...*: i. e. quia audire cogor opprobria et calumnias; quia videre cogor inimicum et ultorem.

v. 20. In loco *afflictionis*, hebr. in loco draconum (aut vulpium), i. e., juxta plerosque: in deserto, figurate pro augustia ad quam redactus fuit Israel. — Zenner-Wiesmann confert cum Neh. II, 13 ubi occurrit quidam « *fons draconis* » prope Jerusalem; et æstimat Rabsacen prope huic fonti protulisse in regem populumque Israel et in Deum opprobria et blasphemias quæ leguntur IV Reg., XVIII, II Par. XXXII et Is. XXXVI.

Umbra mortis, superlativum: umbra densissima, figurate pro: augustia maxima.

vv. 21 s.: Deum ipsum, ejusque perfectam scientiam invocant in testem innocentiæ suæ. *Extendere manus*, gestus adorantis et orantis.

v. 23: Textum hebr. a Zenner Wiesmann intelligitur: *Apud te*, i. e. etsi simus tibi conjuncti, etsi tui simus, tamen morti tradimur.

25. Quare faciem tuam abscondis,
oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ?
26. Etenim depressa est ad pulverem anima nostra,
adhæret terræ corpus nostrum.
27. Exsurge *in* auxilium nobis,
et libera nos propter *nomen* tuum!

A. VANDER HEEREN.

II

Q. *Quid significat dari in homine indigentiam religionis.*

R. Hic non agitur de *necessitate morali* Revelationis vel religionis revelatæ (1).

Nec intenditur directe obligatio ipsa qua tenetur homo ad habendam religionem seu ad Deum colendum (2).

Sed inquiritur de *indigentia psychologica*, nempe de naturali aptitudine hominis ad religionem, cui aptitudini si non satisfit percipit homo deesse sibi aliquid, seque non habere perfectionem qua possit frui. De hac re nostra diebus multum disputatur et sæpe sermo fit etiam de experientia religiosa, de emotione religiosa et de aliis hujusmodi. Specialiter damnata fuit sententia de indigentia religionis qualis fuerat a Modernistis propugnata, quippe quæ omnem proprie dictam fidem destruit, et omnes variasque religiones tamquam radicaliter easdem habet.

Conabimur breviter exponere quid realiter importet

v. 25. Anima et corpus, vel quasi summa, deliquium præ angustia.

v. 26. Propter nomen tuum. Ita Vulg. et LXX., et hoc melius congruit contextui, si tamen verbum v. 22: Propter te occidimur, exsurge ergo quia agitur causa tua. — Textus hebr. vero habet, propter misericordiam tuam.

(1) Cf. VAN HOOVE, *De vera Religione*, Amstelodami, 1907, n. 23.

(2) Cf. TORNANCHIA, *Istituzioni teoriche di diritti naturali* (traduzione dal italiano), Torino, 1857, t. I, n. 208 ss.; MAZZELLA, *De vera Religione et de Ecclesia*, Romæ, 1885, n. 198 ss.; PANCRAZIO, *Institutiones philosophiæ moralis*, Romæ, 1887, t. II, n. 28 ss.

religionis indigentia psychologica, et quinam sint præcipui errores hac de re rejiciendi.

I. Si universum hominum genus conspicitur, apparet apud omnes populos viguisse semper aliquam religionem (1); quo ex facto concludere licet religionem esse aliquid quod ipsius humanæ naturæ tendentiis correspondet, aliquid quo homo indiget.

1. Jamvero religionem non in solis sensibilibus facultatibus et actibus, sed, saltem *essentialiter*, in voluntate ejusque operationibus consistere negabit nemo qui de religione rectam habet notionem (2).

Porro voluntas est facultas appetitiva rationalis seu immaterialis, omnisque actus voluntatis est vel formaliter amor, vel radicaliter in quodam amore consistit. Jamvero ut in voluntate possit oriri actus amoris aut desiderii, actus odii aut aversionis, prærequiritur omnino ut a facultate cognoscitiva, nempe ab intellectu, aliquid apprehendatur ut bonum vel ut malum, ut subjecto conveniens vel disconveniens. Proinde ut in voluntate exsurgat amor erga Deum prærequiritur ut ab intellectu cognoscatur Deus et quidem ut bonus (3);

---

(1) Cf. SCHANZ, *Apologie des Christentums*[3], Freiburg i. Br., 1903, t. I. p. 103 ss.; CHR. PESCH, *Gott und Götter*, Freiburg i. Br., 1890, p. 1 ss. Quoad diversas sententias quæ propositæ fuerunt ad explicandam originem tum notionis de Deo, tum religionis, cf. SCHMIDT, in *Anthropos*, 1908, p. 130 ss., 336 ss., præsertim p. 559 ss., ubi exponitur doctrina propugnata ab A. Lang, qui docet monotheismum fuisse priorem notionem religiosam quam habuerunt populi.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 575 ss.

(3) Idem dicendum de omni affectu qui in voluntate exsurgit: prærequiritur semper ut objectum ab intellectu apprehendatur et quidem sub hac formali ratione qua excitat determinatum affectum. Locuti sumus de voluntate, sed idem valet de appetitu sensitivo; ut exsurgat affectus in appetitu sensitivo prærequiritur ut in phantasia apprehendatur objectum. — Quum in homine, dum vivit hac in terra, actio intelligendi dependeat (extrinsece) ab actione imaginandi, ideo simul cum affectu in voluntate habetur affectus correspondens in appetitu sensitivo.

Quapropter potest haberi etiam erga Deum amor sensitivus, timor sensitivus, etc., eo vel magis quod Deus sæpe, etiam in Sacra Scriptura, nobis exhibetur metaphorice sub imagine hominis et ut agens sicut agunt homines: ita Deus dicitur misericors, iratus, etc.

ut in voluntate exsurgat desiderium colendi Deum vel efficax volitio exercendi cultum prærequiritur ut intellectus judicet bonum esse colere Deum.

Quapropter in tantum homo est naturaliter religiosus in quantum naturaliter cognoscit Deum, eumque cognoscit ut cui est obediendum, ut qui est honorandus, amandus, etc., et in quantum connaturaliter exsurgunt affectus proportionati prædictæ cognitioni et in quantum homo libere exercet actus subjectionis, honoris, amoris, etc.

Jamvero si homo suis facultatibus recte utitur, necessario adducitur ad habendam notionem quamdam de Ente Supremo, ad cognoscendam Ejus existentiam, dependentiam omnium rerum ab Ipso; ad cognoscendum bonum esse, imo obligatorium, agnoscere illud supremum dominium, honorare illum supremum Dominum, obedire Ipsi, timere Ipsum, etc.; quam cognitionem sequuntur desideria recte agendi et tandem volitiones liberæ (1). Igitur operativæ facultates, quæ homini sunt propriæ, et quibus præcipue *vita* ejus exercetur, ita *naturaliter agunt ut hominem ad exercendam religionem ducant: hæc est igitur psychologica indigentia religionis*. Hujus porro indigentiæ homo ipse conscius est.

2. Si nunc consideratur generalis appetitus hominis ad felicitatem, patet ex dictis non fieri satis huic tendentiæ absque ordine in variis operationibus humanis et relatione illarum ad ultimum finem, beatitudinemque post hanc terrestrem vitam (2): jamvero hæc

(1) Indicamus tantum præcipua quæ ad religionem pertinent. Abstrahimus etiam a modis diversis quibus homo potest ad prædictam cognitionem pervenire et concedimus illam posse esse plus vel minus perfectam ac firmam. Sed notamus illas quæstiones, quæ circa Deum Ejusque cum homine relationem versantur, tales esse ut homo naturaliter cupiat certam de his habere solutionem, nec circa illam indifferens maneat, quia ab illarum solutione dependet totius humanæ vitæ ordinatio.

(2) Cf. Sérol, *Le besoin et le devoir religieux*, Paris, 1908, p. 24 ss.

ordinatio nequit fieri absque religione, proprie dicta, vi cujus nempe et Deo debitus tribuitur honor et ab Eo postulatur et recipitur auxilium quo indiget homo (1). Hoc autem confirmatur ex hoc quod homines, qui renuunt Deum honorare, Eique subjici, irrequieti sunt, et ex hoc quod, e contrario, pax magna et intensum gaudium contingit illis qui perfecte Deo adhærent actibus suis, et etiam illis qui, post vitam in impietate transactam, ad Deum suum convertuntur: illa pax et lætitia sunt signa manifestativa ordinis qui in anima viget (2).

II. Præcipui errores oppositi rectæ notioni de indigentia psychologica religionis sunt sequentes:

1. Agnosticismus (3), quatenus tenet non posse ab homine haberi proprie dictam cognitionem de Ente Supremo Personali: hæc si deest intellectualis cognitio, jam nequit in voluntate haberi proprie dictus honor tributus Deo, aut subjectio ad Illum, aut adoratio, aut deprecatio, aut gratiarum actio, uno verbo nullus actus haberi potest qui sit religiosus seu in quo verificetur vera ratio religionis.

2. Omnes sententiæ quæ, consequenter ad agnosticismum, tenent religionem essentialiter consistere in quodam spontaneo affectu, in quadam « emotione », quæ esset quædam cæca adhæsio ad « Infinitum », vel ad « Incognoscibile », vel ad « Divinum ». Ex hac porro emotione sequerentur notiones religiosæ, assertiones quæ essent dogmata religiosa (4). Tales senten-

---

(1) Nitemur ad indigentiam cultus interni connaturaliter sequi necessitatem cultus externi: quia internus cultus nequit vis violenta non manifestari ad extra, et violentia est contra naturam. Cf. TAPARELLI, *o. c.*, n. 219. Idem Auctor etiam demensurat religionis necessitatem pro hac nunc in quantum est *sensitivis* membrum, *o. c.*, n. 222 ss. Sed abstrahimus ab hac indigentia.

(2) Cf. SERDI, *o. c.*, p. 93-114.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 117, 195.

(4) De illis theoriis cf. PINARD, ap. PALÉS, *Dictionnaire encyclopédique de la foi catholique*, art. *Evolution religieuse*, col. 1816 ss.; cf. etiam quæ de

tias esse falsas constat ex hoc quod a/ amor omnis et affectus omnis est impossibilis si non præcedit *cognitio* de objecto amando (1); b/ præterea amor *libere* elicitus in tantum est *moraliter rectus* in quantum subjectum amans cognoscit dignum esse amore objectum cui afficitur; c/ etiam honor in tantum recte tribuitur personæ in quantum cognoscitur hæc persona ut digna honore (2). d/ Si agitur de religione revelata, homo psychologica indigentia exigit ut sciat Deum existere et Illum de facto fuisse locutum: judicium credibilitatis et credenditatis prærequiritur ut voluntas imperet actum *fidei*.

Ergo modus, quo agere debent hominis facultates ut secundum propriam naturam recte agant, exigit ut *præluceat cognitio intellectualis* omni actui voluntatis tendentis in Deum.

Adnotatio. Non pauci auctores, etiam inter illos qui nullo modo adhærent illis sententiis falsis, loquuntur de *sensu religionis* (Religionsgefühl). Hæc denominatio sæpe apud ipsos indefinita manet et confusa. Actus religionis proprie dictus est in *voluntate* et, quatenus virtuosus, est actus deliberatus. Sed possunt etiam dari motus indeliberati (tum in voluntate, tum in appetitu sensitivo) qui vel movent ad actum deliberatum, vel consequuntur ipsum. Illi motus indeliberati non de essentia religionis sunt et ab illa sunt distinguendi (3).

Schanz (4) dicit subjectivum religionis fundamentum esse *sensum dependentiæ* (Abhängigkeitsgefühl). Obscura videtur hæc denominatio. Non enim potest sensibus percipi dependentia hominis a Creatore. Quodsi agatur de voluntate in

---

origine religionis secundum Modernismum scripsimus in *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 203 ss.

(1) Cf. PINARD, *o. c.*, col. 1851 ss.; PÈGUES, *Commentaire français littéral de la Somme théologique de Saint Thomas d'Aquin*, t. IV, Toulouse, 1909, p. 554.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 469, t. IX, p. 498.

(3) Cf. DIGNANT, *De virtute religionis*, Brugis, 1896, n. 14.

(4) *O. c.*, n. 33, p. 144.

materia de qua sermo est, prælucente *intellectuali cognitione* de existentia Creatoris omnium rerum et consequenter de dependentia hominis a Deo, de honestate agnoscendi hoc supremum dominium Dei, potest voluntas velle hoc agnoscere et velle plene subjici Deo : hæc autem voluntatis actio est *adoratio* (1). In ipsa autem voluntate, quippe quæ est facultas essentialiter *appetitiva,* non datur perceptio vel apprehensio dependentiæ, præterea in voluntate non aliud datur fundamentum religionis quam ipsa aptitudo seu capacitas voluntatis ad exercendos actus religiosos.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Ex principiis circa dominium filiorum-familias, apud* Coll. Brugen. *expositis, t. VIII, p. 616-626, sequentes resolve casus:*

A/ *Philippus, operarii filius 20 annorum, laborat in quadam fabrica sed domi alitur; ita ut parentibus pro tecto et victu plus solvere nolit quam 10 f. per hebdomadam, de cetero sibiipsi comparans proprias vestes. Cui conventioni ægre tantum consentiunt parentes, qui non cessant totum reclamare salarium; usquedum juvenis, querelis pertæsus, in vicinam mox tabernam domicilium eligit, nihilque jam parentibus tradit. Confessario autem exponit se ita cum salario suo egisse non quidem ut eo male uteretur, sed ut pecuniam suam, secus a parentibus totaliter consumendam, sibi ad matrimonium ineundum servaret. — Age partes confessarii, dando rationem.*

R. Multum quidem nostris diebus viget apud filios operariorum, etiam juniores et præsertim in civitatibus, mos ille retinendi partem salarii sui, tradita parentibus reliqua pecunia in compensationem suæ sustentationis. Qui mos utique non est approbandus, utpote qui non

(1) Cf. Taparelli, *o. c.*, n. 213; Dignant, *o. c.*, n. 123 ss., *Collat. Brug.*, t. V, p. 469 ss.

raro justitiæ aut pietati sive obedientiæ adversatur, et præterea juvenibus laxare habenas, ipsaque familialia vincula resolvere natus est.

Cavendum tamen, ubi ad judicium rei morale devenitur, speciatim in tribunali pœnitentiæ, ne sacerdos, limites veri prætergressus, hujusmodi juvenes absque examine aut absque exceptione de peccato damnet.

Igitur, quoad propositum in quæstione casum, et secundum principia apud *Coll. Brugen.*, l. c. exposita, ita res judicanda apparet:

Quoad justitiam. In toto suo modo agendi justitiam servavit Philippus; et proinde ad restitutionem nullo capite tenetur. Etenim ex una parte, cum agatur de labore suo personali et separato, jus civile nostrum (C. C. art. 387) ipsi, utut minorenni, salarium pleno jure adjudicat (1); huicque legi ex motivo strictæ justitiæ latæ standum est in conscientia, cum juri naturæ contradicere non demonstretur. Ex alia vero parte, ratione alimentorum: sive jam ante omnem explicitam conventionem parentes inter et filium justitia compensationem exigat, sive probabilius tantum postea (2), omni tamen casu salva erit justitia commutativa ubi pactum initum ad æqualitatem compensat alimoniam. Quod in proposito casu verificatur. Etenim sustentatio Philippi operarii, detractis vestibus, summam hebdomadariam 10 f. non superat, quamdiu ipse domi degit: omnisque postmodum sumptus circa ipsum pro parentibus cessat, cum juvenis lares suos alibi transtulerit. Quod autem ægre consentiant parentes, non necessario signat ipsos injustam pati coactionem; namque in nostro casu jus strictum ad integrum salarium reapse non habent. Videamus autem utrum ob aliam forsan rationem merito reclamaverint.

---

(1) Pleno jure, id est in perfectum dominium; etsi hanc restrictionem, ut dicemus, lex ponat quod pater retinet administrationem dicti salarii.

(2) *Collat. Brug.*, l. c., p. 622.

Quoad pietatem. In hoc primum ad normam pietatis egit Philippus, quod parentes suos opifices non gravavit (1) sed servavit indemnes, toto tempore suæ cohabitationis. Verum, in hoc officii genere, ulterius se extendit obligatio illius virtutis, quoties saltem parentes in necessitate versantur, et filius illos adjuvare potest. Si ergo — quod facile contigerit — reliqua familiæ Philippi subsidia insufficientia fuerint ut parentes, parvulis forsan liberis adhuc onusti, veram egestatem vitare potuerint, peccavit juvenis contra pietatem toto tempore familialis necessitatis, et peccato eo graviore quod gravior fuerit illa necessitas. Non tamen quod integrum omnino salarium hoc casu tradere debuisset: aliquam adhuc partem intuitu matrimonii jure merito servare poterat, ob rationem propriæ necessitatis; siquidem ipsa pietas non cogit ut filius sibimetipsi in re moraliter necessaria non provideat (2).

Quoad obedientiam. Lex civilis (C. C. art. 389) merito concedit patri *administrationem* salarii Philippi nondum majorennis nec emancipati; non ita quidem ut ad proprium commodum parens jure stricto in dicta bona gaudeat, sed ita ut in salarium remanens post detractos sumptus, jure gestionis polleat, jure scilicet late dicto cui respondet apud Philippum debitum obedientiæ. *Per se* ergo, patri pecuniam tradendam reclamanti obedire debebat juvenis, ipsique totum committere salarium. Verum hæc cessat obligatio ubi non de administratione, sed de consumptione agitur, ita ut adepta majorennitate filius jam nihil reciperet. Proinde si hoc Philippus jure merito timebat, contra obedientiam non peccavit retinendo partem salarii: etenim, si propter parentum egestatem ad aliquid tenebatur, ad

(1) Extra classem operariorum, deficit sæpe pro filiis omnis obligatio sive justitiæ sive pietatis solvendi pretium suæ sustentationis, cum alioquin facile dispensentur a parentibus.

(2) Cf. GENICOT: *Casus Conscientiæ*, I, p. 260.

hoc pietas illum urgebat, non obedientia propter legem; si vero lautiorem parentum non indigentium vitam prævidebat, et inde consumptionem suæ pecuniæ, merito non dedit.

Nota. Liceat heic practica Ill^mi^ Waffelaert (1) monita appellare:

« 1. Hæc jura filiorum non debent publice proponi, nec ad admussim definiri illæ relationes parentes inter et filios, quod spectat potissimum bona temporalia, sed generatim pietas parentum in filios, filiorum in parentes, cæteraque officia et obligationes inculcari, potissimum vero auctoritas parentum.

2. Sacerdos publice et privatim, et confessarius item, sedulo semper tueatur auctoritatem paternam; vicissim vero hortetur parentes ut justum aliquod peculium concedant filiis, necnon æquam mercedem filiis apud se remanentibus.

3. Per se, nisi graviora timeantur incommoda, non sunt consulendæ conventiones inter parentes et filios cohabitantes; præsertim minorennes, ne filii fiant quasi commensales et inquilini; vel quod pejus est, ne ipsi parentes fiant inquilini apud filios.

4. Non promoveat nec consulat sacerdos compensationem occultam; si tamen facta fuerit non injuste, non obliget ad restitutionem; aut faciendam non injuste, non absolute et graviter damnet; attendat tamen filius ne bis suum recipiat ».

---

(1) Ill^mus^ WAFFELAERT: *De Justitia*, I, n. 122.

IV

Q. B/ *Titius jam majorennis per decem annos apud patrem senem et viduum solus remansit, ceteris liberis post majoritatem mox matrimonio junctis. In paterna autem mercatura solus sed strenue laborans, rem familiæ notabiliter auxit, quin unquam de stipendio ipsi dando sermo fuerit agitatus. In specie, quadam die, negotium aliquod periculosum invito patre tentavit, cujus felix fuit exitus et lucrum 8000 f. Nunc autem mortuo patre absque testamento, plus sibi ex justitia deberi prætendit Titius quam aliis filiis: et exigit ante omnia tum 10000 f. pro 10 annis laboris, tum 8000 f. illius prædicti lucri cujus specialis auctor fuit. — An et quare ad dictas summas jus strictum habet?*

R. Præsens casus, etsi forsan in loco citato *Coll. Brugen.* ad litteram comprehensus non videatur, quia illic de minorenni, hic vero de majorenni filio sermo est, ad normam tamen eorumdem principiorum solvendus est, et quidem a fortiori juribus Titii insistendo, cum ratione ætatis suæ sub paterna dependentia multo minus jam constituatur.

Itaque primo in memoriam revocandum legem nostram civilem jura filiorum, circa lucrum communi cum patre industria comparandum, non restringere nisi concessis parentibus usufructu et administratione de quibus in art. 384 et 389 C. C.; adeo ut reliqua quæstio ex solo jure naturæ dirimenda sit. Insuper, cum Titius circa res paternas et nomine patris non socium agat in commercio, sed quasi mandatarium ad instar extranei, notandum ipsi nullum jus ad partem in beneficiis competere, seclusa utique conventione de qua in nostro casu nulla mentio apparet.

a/ Quibus præmissis, dicendum quod Titius majorennis jus strictum *per se* habet ad aliquod stipendium pro labore impenso, quantum scilicet pro eodem labore

extraneo daretur. Ex natura enim rei, titulo nimirum ipsius laboris, jus illud exurgit; nec demonstratur filium hujusmodi in pejori conditione versari debere quam quilibet extraneus. Practice vero videndum utrum indirecta forsan solutio seu æquivalens compensatio aliunde Titio non obtingat, necnon utrum per accidens jus ipsius non extinguatur.

Quoad primum: ipsæ jam casus circumstantiæ excludunt compensationem in hoc consistentem quod Titius, vivente patre vel per testamentum, speciale donum acceperit; aut quod alii filii in commercio paterno laborem æque notabilem impenderint, adeo ut in hæreditatis augmento quisque justam operæ mercedem inveniat. — Insuper, nec solæ sustentationis Titii expensæ mercedem adæquant ad quam jus habet pro strenuo labore de quo agitur; quamquam in deductionem stipendii computari debent (1).

Sed et alia forsan commoda specialia ipsi obvenerunt, quæ sunt deducenda: sic forte peritia specialis quam negotiando pro patre acquisivit; necnon ipsum patris commercium, quod nunc forsan cum clientela sibi addicta proprio jam nomine aget.

Quoad secundum: nulla apparet ratio per accidens quæ contra jus Titii opponi possit: nimirum nec ratio pietatis, nec renuntiatio filii, nec negatio patris. Non ratio pietatis, quasi pater ob egestatem opera filii vere indiguerit, quod utique impediret ne jus strictum Titio nascatur; etenim illa hypothesis extra casum versatur. Nec silentium quod, vivente patre, Titius servavit: nam ex una parte ob ipsum laborem aliunde indebitum natura sua jus exurgit, quin voluntas explicita exigendi

(1) Equidem potuisset pater ipsum a solvendis propriis expensis dispensare, simul ipsi integrum stipendium concedendo. Sed talis intentio non est præsumenda: « quia videtur esse voluntas patris, casu quo » filius postea stipendium sui obsequii exigat, ut sicut filius noluit gratis » patri inservire, sic nec pater voluerit gratis filium alere ». Lugo: *De Justitia et Jure*, I, disp. V, sect. 2, n. 42.

apud filium requiratur; et ex alia parte juri jam acquisito per solum silentium nondum fit renuntiatio, necdum volitio renuntiandi manifestatur, ubi simpliciter omittitur actus exigendi (1). Nec tandem prævisa forsan dispositio patris, qua petenti filio stipendium negasset: quia pater ex Titii silentio et jure stricto nullum passus est damnum quod secus impedire potuisset: cum ipse ob provectam ætatem non jam valeret laborare, nec alium, ut suppono, invenisset minori stipendio laborantem (2).

Solutio ergo sit: deductis hinc secundum dicta deducendis, illinc vero computata mercede ordinaria extranei, simul cum auctario seu fructibus, numerandum est ad quantam summam jus Titii se extendat pro 10 annis laboris sui: utrum nempe ad 10000 f. quos exigit, an forsan ad plus sive ad minus (3).

b Verum, quod attinet ad 8000 f. quos insuper reclamat, ratione felicis exitus negotii periculosi invito patre peracti, nullum jus strictum in hanc summam

---

(1) Ill^{mus} WAFFELAERT: *De Justitia*, I, n. 119.

(2) Et propterea, etsi de facto et explicite pater negavisset stipendium, adhuc jus Titii integrum maneret, nisi pater ipsi simul permisisset laborem suum minuere usquedum solum valorem sustentationis æquaret. Tunc utique, si in strenuo labore suo filius libere perseveravisset, ipse, si non verbis, manifestasset se juri suo renuntiare. Et sane, hujusmodi renuntiationes factis exprimi posse non infitiamur; verum in singulo casu sunt probandæ, non autem a priori supponendæ. De qua monet GENICOT, *Theol. Moralis*, I, n. 472 in nota: « Hoc dijudicetur inspectis omnibus adjunctis, consuetudine regionis, genere laboris filii, ejus ætate, quantitate lucri; utrum pater, si sciviset nihil lucrari velle, potius ipse laborasset, vel alium invenisset qui minorem postulasset remunerationem etc. ».

(3) Imo videndum esset utrum nihil insuper computandum esset pro labore Titii ante majoritatem præstito; de quo judicandum secundum eadem principia. Facilius sane ab aliunde compensatur hujusmodi labor, sive per sustentationem cum aliis commodis, sive per æqualem aut fere æqualem aliorum filiorum laborem, prout hic casus esse videtur. Quodsi vero non compensetur, talis labor saltem nonabilis per se jus tribuit ad stipendium etiam minorenni, sub solis restrictionibus usufructus et administrationis parentum de quibus supra.

habet, saltem prout res in casu exponitur. Apparet enim Titium illud negotium non secus ac alia ex pecunia paterna et nomine patris tentavisse; sed graviter sane peccando contra justitiam, ratione notabilis summæ periculo expositæ contra voluntatem domini (1).

Per accidens tamen, in hujusmodi casibus, posset res aliter sese habere. Sic posset filius pecuniam patris quasi furari, intendens illam sibi propriam facere, et cum illa proinde proprio jam nomine proprioque periculo agere mercaturam: de quo si constaret certe peccavisset, verum in totum lucrum jus exclusivum haberet, nec plus patri deberet reddere quam capitalem summam simul cum damno emergente et lucro cessante ex defectu illius pecuniæ in negotio patris ortis.

c) Corollarii instar notetur jus illud filiorum, qui soli apud parentes per notabile tempus manent et laborant, facile postea difficultatibus et dissidiis ansam præbere, ubi ad bonorum partitionem devenitur. Quare, etsi conventiones parentes inter et filios generatim non sint consulendæ, in hujusmodi tamen casibus curandum est ut fiant, et ut aliis innotescant filiis, salvis utique omnium juribus.

E. Hosten.

V

Q. *Ostende homini, utpote rationalis naturæ, proprium esse agere propter finem.* S. th. I-II, q. I, art. 1-2.

Prænota. Postquam in responso superiore demonstravimus hominem ex voluntate Conditoris *destinari* tamquam ad finem ultimum ad Deum cognoscendum, amandum atque reciproce ipsum beantem (2), jam

(1) Quamquam tunc æquum foret, si extraordinarium istud lucrum aucto adhuc labore et industria fecerit, nihil interim remittendo de ordinaria cura, ut pro illo speciali remuneratione donetur.

(2) Vide supra, p. 631 ss.

aggredimur ostendere Deum esse ultimum terminum *tendentiæ* hominis. Duplex autem est illa tendentia: *altera* est *necessaria*, naturalis, appetitus scilicet seu pondus naturæ, ad bonum ut sic, ad perfectionem in genere, ad beatitudinem in confuso; hæc tendentia, quæ ipsa est indeterminata quoad objectum, subest omni appetitioni particulari. De illa prius quæstio fiet. *Altera* tendentia *libera*, specialis, ad bonum aliquod determinatum in quo homo libere reponit suam perfectionem et beatitudinem, postea considerabitur, ubi ostendemus solum Deum vere constituere summam hominis perfectionem et beatitudinem adeoque ab homine esse libere (1) eligendum tamquam finem ultimum concretum (2).

R. Duplici parte constat præsens responsum: 1° Homo in omnibus suis actibus humanis agit propter finem. 2° Proprium est creaturæ rationalis agere propter finem.

1° *Homo in omnibus suis actibus humanis agit propter finem,* seu intendit aliquod bonum quod ipsum appetitu sui movet (3).

Etenim « omnes actiones quæ procedunt ab aliqua potentia, causantur ab ea secundum rationem sui objecti. Objectum autem voluntatis est finis et bonum. Unde oportet quod omnes actiones humanæ [utpote « quæ ex voluntate deliberata procedunt »] propter finem sint. » Art. cit. in corp.

Explicatur. Quæstionem, quæ in titulo modo generali de omni actione hominis ponebatur, restringit sanctus Doctor in corpore ad solas actiones proprias homini, seu stricte

---

(1) Libertate scil. physica, non vero morali.

(2) Cfr. Ill. ac Rev. Waffelaert, *Exposé sommaire des principes généraux de la science sociale*. Bruges, Beyaert, 1894, p. 13, 24; I-II, qu. 1, introductio: « quia ultimus finis humanæ vitæ ponitur esse beatitudo, oportet *primum* considerare de ultimo fine in communi, *deinde* de beatitudine. »

(3) I-II qu. 1, art. 1: Utrum homini conveniat agere propter finem. Cfr. Pègues, *Commentaire français littéral*, etc., t. VI, p. 12 ss. Postea ostendemus quomodo in omnibns suis actibus humanis homo agat propter *ultimum* finem. Cfr. etiam Billuart, *Tractatus de ultimo fine*, art. 2.

humanas, eas nimirum quarum homo per rationem et voluntatem dominus est, seu quæ ex libero arbitrio aut voluntate deliberata procedunt, exclusis a consideratione ceteris actionibus quæ ab homine active quidem procedunt, sed non in quantum homo est, agens modo distincto a brutis, et quæ ideo *hominis actiones* vocantur (1). Jure quidem meritoque, quum theologia moralis, docens hominem active ordinare vitam suam ad Deum finem ultimum, de iis tantum actibus hominis directe (2) agat quibus ipse homo tendere possit ad Deum: hi autem actus sunt ii solum quorum homo dominium habet. De ceteris vero, ut sunt motus intellectus et voluntatis indeliberati, motus passionum primo-primi, motus corporales spontanei aut reflexi, non ponitur quæstio utrum homo in iis agat propter finem, siquidem eos motus homo non active ordinat, sed potius eos patitur. Item ipsa adeptio seu fruitio finis et beatitudo seu quietatio appetitus in bono possesso, non est propter finem, ut videtur, cum sit ipsa *finis quo* (3).

Ad majorem. « Passivæ potentiæ objectum id formaliter est quod actus ejus est principium et causa movens. » (4) Inde patet quod nulla actio procedens ab aliqua potentia potest ferri extra objectum adæquatum hujus potentiæ; sic nulla visio nisi circa colorem, objectum formale potentiæ visivæ, nulla cognitio nisi circa verum, objectum adæquatum potentiæ cognoscitivæ (5).

Ad minorem. Objectum autem voluntatis est bonum, seu perfectum ipsi conveniens, quod apprehensum intellectu movet voluntatem, excitato in ea suî appetitu: bonum autem alliciens est finis. Ergo objectum voluntatis est bonum ut finis.

Homo ergo quando agit tamquam homo, id est cum ratione et voluntate, numquam agit sine aliqua ratione

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 7.

(2) Sane etiam de passionibus tractat theologia moralis sed tantum in ordine ad actus stricte humanos, in quantum nimirum vel in voluntatem liberam influunt, vel ab ea dependent.

(3) Cfr. Billuart, *l. c.*, ad 2.

(4) De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, p. 194 in nota.

(5) Cfr. Billuart, *l. c.*, Prob. 2.

agendi : hæc vero ratio semper est aliquod bonum, sive verum sive existimatum; seu ordinat suum actum ad aliquem finem quem hoc actu attingere intendit. Jam autem, nonne ita omnia agentia agunt? Et quomodo tunc agere propter finem proprium homini dici potest? **Hæc quæstio sub 2° solvitur.**

2° *Proprium est creaturæ rationalis agere propter finem* (1), nimirum formaliter propter finem et movendo se ad finem. Ratio est, quia ipsa sola cognoscit finem ut finem et proportionem mediorum ad finem, atque sola habet dominium suorum actuum, quo libere se moveat ad finem.

Explicatur. Requidem vera « omnia agentia necesse est agere propter finem », uti supra jam explicavimus (2). Aliis verbis, omne agens creatum — nam de hoc solo nunc sermo fit — agit propter aliquam indigentiam, propter imperfectionem status sui præsentis, cui indigentiæ supplere, quam imperfectionem complere intendit per perfectum sibi conveniens quod est bonum ipsius ad quod actione sua tendit. (3). Idem hisce verbis exprimit S. Thomas. « Omne agens quodcumque sit, agit quamcumque actionem ex aliquo amore (4). »

---

(1) **I-II qu. 1, art. 2. Cfr. Pègues, o. c., p. 16 ss., Billuart, l. c., art. 3.**

(2) **Hoc tomo p. 632.**

(3) S. th. I. qu, 44, art. 4. ad 1um. Cfr. E. Janvier. O. P., *Exposé de la morale catholique, La béatitude.* Carême 1903. Paris, Lethielleux, p. 21. « Nul ne sort de son repos sinon pour atteindre une fin et acquérir un bien. Les êtres se meuvent..... Et pourquoi... ne restent-ils pas en eux-mêmes, en l'état qui est le leur, contents de ce qu'ils possèdent, gardant à l'intérieur et à l'extérieur la position qu'ils tiennent? C'est qu'ils ne trouvent pas en eux ni dans leur forme actuelle tout ce dont ils ont besoin; quelque chose leur manque; sans cela ils ne chercheraient pas, ils ne seraient pas altérés de changement. Donc ce qui les presse d'agir, c'est leur pauvreté, et cette imperfection se manifeste par des signes plus violents à mesure que l'on monte dans l'échelle des créatures. » — Hanc conscientiam suæ imperfectionis, hanc indigentiam Dei studiose in se excitare ac nutrire conantur qui perfectioni christianæ anhelant ut inde efficaciter moveantur ad Deum solum totis viribus prosequendum. *Beati pauperes spiritu. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Cfr. H. Mahieu, ***Probatio charitatis*, 1ª ed., p. 416, 2ª ed., p. 400.**

(4) I-II, qu. 28, art. 6. in corp. Cfr. Card. Mercier, *A mes Séminaristes,*

Attamen non uno modo omnia actione sua tendunt ad finem. 1° Alia enim tendunt in finem sicut ab alio mota in finem, sive motu violento ab extra accepto, sive inclinatione naturali intrinseco impressa ab Auctore naturæ : ita creaturæ irrationales quæ « nihil in finem ordinare possunt, sed solum in finem ab alio ordinantur. .. sive in finem apprehensum, sicut bruta animalia, sive in finem non apprehensum, sicut ea quæ omnino cognitione carent. » Art. cit. in corp. Hoc primo modo ad finem tendunt ea quæ ratione carent, seu quæ non cognoscunt finem formaliter, id est rationem finis, sed materialiter tantum (1).

2° Alia vero agunt propter finem quasi seipsa moventia, ducentia ad finem. Duo ad hoc requiruntur : a° ut cognoscant finem formaliter qua finem, seu rationem finis, et proportionem mediorum ad finem ; b° ut habeant dominium suorum actuum.

Sola autem creatura rationalis hanc cognitionem et hoc dominium habet, quia illa proportio inter finem et media est aliquid intelligibile et non sensibile, et quia illud dominium nihil aliud est quam liberum arbitrium.

« Et hoc proprium est naturæ rationalis ut tendat in finem quasi se agens vel ducens in finem. » Art. 2 in corp.

A. Legrand.

---

p. 143. H. Mahieu, *Prælectiones thomanæ*, 1re éd., p. 396, 2e éd., p. 361. Ut supra dix non rationalia appetunt Deum appetendo suam perfectionem : « Omnia appetunt Deum et finem, appetendo quodcumque bonum. » S. th. I, qu. 44, a. 4, ad 3um.

(1) Hanc distinctionem mirabile exponit Billuart, l. c., initio. « Cognoscere finem materialiter tantum est cognoscere bonitatem finis ut quid convenientis et appetibile in intendo. Cognoscere finem formaliter est..... etiam cognoscere proportionem finis ad appetentem et ad media, et e converso proportionem mediorum et appetentis ad finem, finem esse dignum quod tale illum prosequatur et talia media ponantur, vicissim talia media esse congrua et proportionata huic fini. »

VI

Q. *Quibusnam juxta Decretum* Quam Singulari (8 aug. 1910) *jus competit admittendi pueros ad primam privatam communionem? Paucis jus illud describe.*

R. Huic quæstioni directum et apertum habetur responsum in articulo IV° citati Decreti (1), qui sic sonat :

« Obligatio præcepti Confessionis et Communionis, quæ puerum gravat, in eos præcipue recidit qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium et institutores et in parochum. *Ad patrem vero, aut ad illos qui vices ejus gerunt et ad confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem.* »

Quæ ut rite intelligantur, exponamus: 1°/ quid *admissio* hic significet et quousque requiratur; 2°/ cur *patri* et *confessario* tribuatur (2).

I. De ipso jure admittendi.

Admittere sane hic formaliter est sumendum idemque dicit ac *permittere* seu *assentiri* ut pueri ad sacram synaxim accedant; quod luculenter apparet ex articulo V°, ubi quæstio movetur de pueris qui « parentum confessariive *consensu*... jam... primitus de altari sancta libarunt ».

Sed jus illud admittendi non est intelligendum ac si

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XV, p 574.

(2) Cfr J. Mahieu, *De eerste H. Communie der Kinderen. Pauselijk Decreet en Bisschoppelijke Onderrichtingen*, Brugge, Beyaert, 1911, nec non ejusdem auctoris *Le Décret sur la première Communion* apud *Collat. Brug.*, t. XVI, 1911, p. 122 ss., 222 ss., 279 ss.; M. Lecler, *De juribus et obligationibus parochorum quoad primam communionem privatam* apud *Collat. Namurc.*, t. XI, p. 137-144; Vermeersch, *De Religiosis, Periodica*, t. V, 170-180; Boudinhon, *Le cas de conscience sur l'âge de la première Communion* in *Le Canoniste Contemporain*, t. XXXIII, p. 641, 705; t. XXXIV, p. 5, 65, 129; J. Besson, *L'âge de la Première Communion*, in *Nouv. Rev. théologique*, t. XLII, 1910, p. 648, 741; Card. Gennari, *Sulla Età della Prima Comunione* in *Monitore ecclesiastico*, 1910, 312-327.

in positiva parentum vel confessarii permissione juridice fundaretur obligatio et jus correlativum puerorum ad sacram Communionem recipiendam. Nullo enim, stricte loquendo, consensu hic indigent pueri, siquidem in baptismo jus fundamentale acquisierunt ad Eucharistiam percipiendam, atque eo momento quo legis sunt capaces, ipsi stricte obligari incipiunt ideoque jus habent ne quis eos a lege adimplenda prohibeat.

Nec posset Summus Pontifex alicujus consensum prærequirere tanquam conditionem sine qua non Sacræ Communionis prima vice recipiendæ, siquidem non agitur de sua lege sed de *lege divina* (1) cujus ambitum extendere aut restringere non est in potestate Ecclesiæ (2).

Attamen Ecclesiæ officium est: leges divinas proponere et declarare in quantum necesse est, necnon omnem curam et media apta adhibere ut fideles iis legibus satisfaciant. Ita 1°/ optimo sane jure Pius X, in articulo allato Decreti *Quam Singulari*, attendens ad ordinarie contingentia, sollicitudinem de obligatione Sacram Communionem recipiendi, quam pueri per se solos non solent habere, iis omnibus declarat incumbere

---

(1) Quod ipse Summus Pontifex declaravit in suis Litteris ad Card. Archiep. Coloniensem, 31 dec. 1910, hisce verbis: « Gratum est etiam quod significas, vos, Decreti Nostri *Quam Singulari* exsequendi gratia, statuisse per communem epistolam docere populum et admonere quid generatim fieri oporteat, ut pueri quam primum Mensam Eucharisticam participent. In quo velimus probe intellegant Christifideles non tam illud agi ut præcepto Romani Pontificis obtemperetur. *quam ut ejusmodi officio satisfiat quod ab ipsa Evangelii doctrina sponte nascitur,* atque adeo ut vetus et perpetua Ecclesiæ consuetudo, ubi intermissa est, ibi revocetur. » *Acta Ap. Sedis,* t. III, p. 18. Cfr. etiam Fr. Müller, *Ist der Erlass Pius X über die erste hl. Kommunion der Kinder ein blosser Kirchengesetz?* in *Zeitschrift für Kath. Theol.,* 1913, p. 504-537.

(2) De facto nulla clausula Decreti vetat ne puer sine confessarii aut parentum consensu communicet. « Supponas itaque, scribit Vermeersch, parentes esse communionis incuriosos, confessarium vero præjudiciis impediri ne præsenti legi docilem obædientiam exhibeat; vir quilibet prudens posset puero, quem dispositum noverit, jus suum et officium communicandi proponere et declarare ». *O. c.,* p. 176.

qui de vita spirituali puerorum curam habere debent. Sed ut in hac re gravissimi momenti parvulis adjumentum afferatur, non sufficit consilio, adhortatione et instructione efficere ut debito modo præparentur, ut nempe acquirant elementarem cognitionem fidei et capacitatem cibum eucharisticum a communi dignoscendi. Pueri enim judices in propria causa esse non valent seu æstimare non possunt utrum necne sint dispositi: ideoque 2°, sapienter etiam providet Summus Pontifex observationi legis divinæ et saluti puerorum, ubi declarat munus esse parentum et confessarii rem dirimendi seu *admittendi puerum ad primam Communionem*.

Ex his igitur apparet *consensum* patris vel confessarii nihil aliud esse quam *judicium definitivum de capacitate pueri*, illudque non esse concessionem juris aut conditionem juridice requisitam, sed juris existentis tantum *declarationem*, ita tamen in ordinarie contingentibus requisitam, ut de facto *admissio* dici possit (1).

II. **De personis quibus jus admittendi competit.**

Cur autem parentibus (2) et confessario formalis admissio addicatur ex ipsa rerum natura habetur. Parentes enim sunt naturales filiorum procuratores et melius quam extranei judicare possunt de intimis dispositionibus filiorum quos perpetuo in familia observant. Confessarius autem munere suo judex est, agitur enim de re fori interni, fori conscientiæ, quod præcipue provinciam confessarii constituit (3).

---

(1) Quod optime et breviter exponit BOUDINHON, *o. c.*, t. XXXIV, p. 12, hisce verbis: « En somme, l'enfant qui va faire sa première Communion n'est pas un membre de la société spirituelle dont la loi aurait restreint les droits, jusqu'à ce qu'elle lui en accorde le plein usage; il n'a besoin, pour en jouir d'aucune concession légale; il lui suffit d'être dans les conditions voulues, et c'est à constater qu'il est dans ces conditions que se borne l'intervention de ceux qui ont autorité sur lui... »

(2) Art. IV habet: « ad patrem » sed ex textu art. V jam citato supra, apparet genitores ambo idem jus habere. Cfr. MARIEU, *o. c.*, p. 62.

(3) Si quæratur utrum *conjuncte* an *separatim* admissio ista utrique, id est patri et confessario, addicatur, cum P. Vermeersch, respondemus:

Et ita quidem reinstauratur jus commune, quod hisce tradit Catechismus Concilii Tridentini, ad quem alludit artic. IV: « Qua vero ætate pueris sacra mysteria danda sit, nemo melius constituere potest quam pater et sacerdos, cui illi confiteantur peccata. Ad illos enim pertinet explorare et a pueris percunctari, an hujus admirabilis sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant ».

Ita de jure. De facto sæpenumero pueri admittuntur a parocho, non tantum quatenus est confessarius puerorum, sed etiam quatenus parentes ipsi suas partes instruendi, præparandi et admittendi puerum committunt. Ipsum cæteroquin Decretum insinuat alios aliquando parentum partes agere; hi præsertim sunt, juxta Instructiones Episcoporum, « sacerdotes qui pueros catechisant necnon etiam institutores et institutrices vere christiani » (1). Non obliviscantur vero hi omnes, præsertim parochus, res aliter procedere posse (2).

Corollarium. Ex supra dictis liquet quamnam mutationem induxerit Decretum *Quam Singulari* in juribus quæ generatim apud nos relate ad primam Communionem puerorum parochis tribuebantur.

Antea *consuetudine* inductum erat in pluribus catholicis regionibus, ut admissio ad primam Communionem esset functio exclusive parochialis, salvis tantum quibusdam exceptionibus. Et praxis qua pueri ejusdem parochiæ nonnisi post determinatam ætatem, et præ-

---

« Ipsa rerum natura suadet ut collatis consiliis parentes et confessarius de re ista decernant ». Attamen quum, stricte loquendo, nullus consensus requiratur, certe tuto procedi posset ubi alterutrius permissio tantum haberetur. VERMEERSCH, *o. c.*, p. 176; MAHIEU, *o. c.*, p. 62 indicat quomodo practice sana principia applicanda sint.

Si autem confessarius cum parentibus rem agit, caveat ne sigillum sacramentale violet, declarando, v. gr. nimiis instantiis, adesse in puero peculiarem necessitatem moralem quam noverit ex confessione. VERMEERSCH, *ibid.*

(1) Vide has *Instructiones* in *o. c.* MAHIEU, p. 102.

(2) *Collat. Namurc.*, l. c., p. 139.

missa communi præparatione, ad primam Communionem admitterentur, firmata erat decretis quorumdam Conciliorum provincialium et plerumque statutis diœcesanis præscripta. Nunc autem juxta præcitatum Decretum 1°, jam non pertinet ad *parochum qua talem* puerum admittere ad primam Communionem. 2° Nec amplius parochus jus habet exigendi ut pueri catechesi cuidam parochiali assistant, vel examen coram ipso subeant, antequam ad primam Communionem privatam accedere possint; sufficit enim ut judicio parentum et confessarii scientiam et dispositiones requisitas habeant; nec aliquid ulterius requirunt Instructiones Antistitum Belgii (1). 3° Demum prima Communio privata, nisi sit Communio paschalis, non est in ecclesia parochiali recipienda (2).

Hæc notare non inutile duximus, quum in hunc sensum mutanda sint quæ AA. Juris Canonici de prima Communione scripserunt ubi de juribus parochorum (3).

R. De Schepper.

---

(1) Attamen, ut notat M. Lecler (*o. c.*, p. 131), sunt Instructiones episcopales aliarum regionum ubi examen coram parochi præscribitur. Ita Instructiones Episcoporum Provinciæ Rothomagensis, quæ exigunt examen parochi post petitionem parentum, ante vero judicium confessarii, qui ita solus denique admittit pueros. Hæ Instructiones fuerunt Litteris apostolicis approbatæ: « Patet enim, scribit Summus Pontifex, id vos agere, ut et præscriptionibus Decreti nostri *Quam Singulari* religiose apud vos satisfiat et diœcesium vestrarum institutis, quantum potest, conserventur. Utrumque autem propositum commode hoc pacto effici posse videtur. Quare ejusmodi rationem Nos comprobamus. » Hæc igitur in dictis regionibus special: approbatione R. Pontificis observari possunt; sed non possunt imponi apud nos, siquidem non requiruntur vi Decreti, nec vi Instructionum nostrarum Antistitum.

(2) Communio enim *privata* fieri potest in quacumque ecclesia vel oratorio ubi S. Communio licite administratur. Cfr. Besson, *l. c.*, p. 744. Mens tamen videtur tum S. Pontificis, tum Antistitum nostrarum ut pueri intersint generali Communioni quam parochi pluries in anno habere debent. Cfr. *Decretum*, art. V, *Instructiones*, I. 2.

(3) Ita, inter alios, De Brabandere-Van Coillie (ed. 7ª, t. I, p. 872).

Circa Vinum in Missæ celebratione adhibendum.

Non semel S. Sedes peculiari Episcoporum vigilantiæ commendavit vinum in sacrosancto Missæ sacrificio usurpandum, ut in hac summi momenti re, per præscriptiones edendas et cautiones sacérdotibus præscribendas, observantiæ legum Ecclesiæ huc spectantium efficaciter providerent, utque imprimis omne periculum nullitatis a Missæ sacrificio præcaverent (1).

Et sane non sufficit ab usu removere omne vinum quod certò non sit genuinum; sed rejiciendus est, secluso necessitatis casu, omnis liquor de cujus genuitate dubitatur: ubi namque agitur de valore sacramentorum, noscitur tutior via esse sequenda (2). Imo, valore in tuto posito, seduló servandæ sunt conditiones *licéitatis*, et in specie aliud non est pro Missæ celebratione adhibendum vinum nisi purum et integrum.

Porro quod spectat materiam **licitam**, stricte loquendo, non posset ulla commixtio fieri, nec ullius elementi heterogenii additio, etiamsi exinde non sit timendum pro valore; supponimus utique commixtionem aliquatenus notabilem, cum parum pro nihilo reputetur. Potest tamen, urgenti de causa, permitti ut ab hac norma recedatur; et de facto opportunum duxit S. Sedes, ad obviandum variis incommodis, concedere quas-

---

1 Ita, inter alia, Litteræ encyclicæ S. C. de P. Fide, 10 Martii 1861 (*Collectaneæ*, n. 1209), et Litteræ C. S. O. ad Ordinarios de SS^æ Eucharistiæ specierum genuitate et conservatione curanda (*Collat. Brug.*, **VII, p. 57**).

2 S. C. de P. F. consulta circa quamdam speciem vini Siamensis, ex uvis sylvestribus, anno 1819, respondit: « *Non constare* liquorem de quo agitur esse verum vinum, *ideoque* non licere eo uti in sacrificio Missæ, **donec aliter fuerit judicatum** ». *Collectaneæ*, **n. 732.**

dam mitigationes, nonnullas admixtiones permittendo, salvis certis cautelis sedulò servandis.

Juvat hîc breviter indicare, attentis recentioribus declarationibus et Instructionibus S. Sedis, disciplinam Ecclesiæ circa frequentiores applicationes hujus tolerantiæ: quod nempe spectat additionem certæ quantitatis *alcoholi* vel *sacchari*. Et quidem

A. Quoad **alcoholum** (1):

Licet addere portionem alcoholi, modò hæ tres cautiones observentur: ut nempe

1° adhibeatur alcoholum *e genimine vitis extractum* (2);

2° commixtio fiat, non postquam vinum est confectum, sed « quando vinum est valde recens » (decr. C. S. O., 30 julii 1890), i. e., juxta declarationes posteriores, « *quando fermentatio sic dicta tumultuosa defervescere incœperit* » (3).

3° quantitas addendi alcoholi, « una cum ea quam

---

(1) Additio alcoholi ad hoc potissimum inservit ut vini conservationi consulatur, si contingat illud esse debilius seu minori quantitate alcoholica præstans, quod maximè urget si agatur de vino ad exteras oras transvehendo. Etiam, uti notat *R. th. fr.*, 1905, p. 626, « cette opération a souvent pour but d'arrêter la fermentation, avant que le sucre de raisin soit tout détruit, et d'avoir ainsi des vins blancs *doux* ».

(2) Notat iterum *R. th. fr.*, l. c., p. 623: « L'industrie fait aujourd'hui des alcools avec toutes sortes de matières; c'est ainsi que nous avons des alcools de grains, de betterave, de mélasse, de bois, etc. Pour le vin de messe il faut, de toute rigueur, n'enployer que l'alcool extrait du fruit de la vigne, vin ou marc... Cet alcool est dénommé alcool de vin, mais encore faut-il, pour être matière apte, qu'il soit le produit de la distillation *d'un vin naturel* ».

(3) Hac scil. ratione « l'alcool ajouté s'assimile à l'alcool produit par la fermentation du moût et ne constitue ensuite avec lui qu'un vin, un tout homogène, par la combinaison intime de l'alcool avec les autres éléments du vin ». *Ibidem*, p. 626.

Hæc assimilatio locum non haberet si, post fermentationem absolutam, vino jam confecto superadderetur quædam quantitas alcoholi; et ideo tantopere insistunt decreta in illa cautela urgenda, ut nempe fiat commixtio in ipso fermentationis exordio. Cf., præter decreta illicò invocanda, decretum sub fine hujus disputationis adducendum, de die 4 Maii 1887 (*Collectanea*², n. 1672).

vinum de quo agitur naturaliter continet, haud excedat *duodecim pro centum* » (1).

Hujus commixtionis liceitas, simul ac trium cautionum necessaria observantia, inculcatur in decretis C. S. O., 30 Julii 1890 (2), 25 Junii 1891 (3), 5 Aug. 1896,

---

(1) C. S. O., interrogata ab Episcopo Tarraconensi (in Hispania) circa vinum illius regionis, utrum nempe, cum jam contineat ultra 12 gradus alcoholi pro centum, addi posset alcoholum in proportione decem partium pro centum, ad conservationi vini consulendum, respondit, die 15 Aprilis 1891: « *negative*, in ordine ad Missæ sacrificium ». (*Collectanea*², n. 1752). Ad novam vero instantiam laudati Episcopi, petentis utrum, in ordine ad conservationem et transvectionem, posset ad vinum regionis addi alcoholi quantitas talis ut vina naturaliter 15 circiter gradus habentia ad 18 pertingant; responsum est datum, die 5 Aug. 1896, ad 1^{m}, sequentis tenoris: « Attentis noviter deductis, posse fieri additionem alcoholi, salvis conditionibus in superioribus decretis memoratis, ita tamen ut proportio totalis non excedat 17 vel 18 pro 100 ». *Collectanea*², n. 1950.

Notandum autem hoc responso non proponi normam sequendam, sed potius *derogationem* afferri normæ, ratione peculiarium adjunctorum. Revera proportio 12 graduum pro 100, a decretis anni 1890 et 25 Junii anni 1891 imposita, ipsa eadem die (5 Aug. 1896) quo responsum datur ad Episcopum Tarraconensem, urgetur in solutione data pro Brasilia; ac in decreto posteriori S. C. de P. Fide, diei 10 Julii 1897, dicitur standum esse decretis C. S. O. 25 Junii 1891 et 5 Aug. 1896. Cf. etiam *R. th. fr.*, 1896, p. 727 et 1905, p. 625.

(2) In pluribus Galliæ partibus, maxime si eæ ad meridiem sitæ reperiantur, vinum album, quod incruento Missæ sacrificio inservit, tam debile est ac impotens ut diu conservari non valeat, nisi eidem quædam spiritus vini (alcool) quantitas admisceatur. Quæritur:

1. An hujusmodi commixtio licita sit.

2. Et, si affirmative, quænam quantitas hujusmodi materiæ extraneæ vino adjungi permittatur.

3. In casu affirmativo, requiriturne spiritus vini ex vino puro seu ex vitis fructu extractus et ejusdem coloris?

R. Dummodo spiritus (alcool) extractus fuerit ex genimine vitis et quantitas alcoolica addita una cum ea quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem duodecim pro centum, et admixtio fiat quando vinum est valde recens, nihil obstare quominus idem vinum in Missæ sacrificio adhibeatur.

(3) Quum difficile sit meracum emere vinum in Europa, et difficilius adhuc illud pretio haud modico comparatum in Sinas transvehere quin in via fraude adulteretur, jam abhinc pluribus annis tutius necnon facilius missionarius hujus Vicariatus visum est vinum pro Missæ sacri-

pro Brasilia (1), necnon ex decreto S. C. de P. Fide,

---

ficio in hac ipsa regione confici. Uvæ vero quas in septentrionalibus Sinensis imperii partibus reperire est, sacchari quantitatem nimis exiguam continent; ex quo fit ut vinum ex his ad sacrificium Missæ expressum alcoolis portionem infirmam tantum habeat, et propterea vix incorruptum asservari possit, attentis præsertim diuturnis intensisque æstivi temporis ardoribus corruptioni quam maxime faventibus.

Tollitur incommodum obtineturque vinum tuto servabile, necnon oculis, gustui olfactuique haud ingratum, si centum libris uvarum mox contusarum addantur decem libræ *sacchari ex canna* (id est planta graminea, botanice *saccharum officinarum*, gallice vulgo *canne à sucre* nuncupata) hæcque massa deinde more solito fermentetur. Quæ cum deferbuerit, ex centum libris massæ (novem sacchari libras juxta exposita continentibus) obtinentur sexaginta septem vini libræ, quæ ut ex calculo chimico conjicere licet, practice ad summum quatuor libras cum dimidia (id est circiter quintam decimam ponderis totalis partem) alcoolis ex saccharo geniti continent. Aliis verbis supradicta operatione obtinetur vinum ex vite verum, cujus centum partes sex vel septem alcoolis heterogenii seu non ex vite producti admixtas habent. Quam praxim eo libentius retinuimus quo major in dies evadit nobis impossibilitas spiritum vini (alcool) ex vite genitum comparandi. Nunc autem, aliquo exurgente dubio, humiliter quæritur:

1. An hæc praxis ad obtinendum vinum pro Missæ sacrificio tuta sit. Si negative:

2. An valida?

3. Quid si hujusmodi vinum adhibitum fuerit in Missis, *ex justitia?*

R. Vino pro sacrosanctæ Missæ sacrificio addendum potius esse spiritum seu alcool qui extractus fuerit ex genimine vitis, et cujus quantitas una cum ea, quam vinum de quo agitur naturaliter continet, haud excedat proportionem duodecim pro centum. Hujusmodi vero admixtio fiat quando fermentatio sic dicta tumultuosa defervescere inceperit. — *Collectanea*[2], n. 1757.

(1) In Brasilia difficillimum est verum vinum habere ad s. Missæ sacrificium conficiendum, et fere impossibile illud ab adulterino distinguere, nisi in ipsa eadem regione confectum. Jamvero uva his in locis adeo debilis et aquosa est ut, ad tolerabile vinum habendum, aliquid sacchari e planta, quam vulgo *canna de assucar* appellamus, musto admisceri debeat; et hoc quidem modo fabricatum quoque est vinum, quo sacerdotes in s. Missæ sacrificio passim utuntur. Nunc vero, cognita responsione S. Rom. et Un. Inquisitionis feria V, loco IV, die 25 Junii 1891 lata, dubitationes et conscientiæ anxietates ortæ sunt. Quapropter *quæritur:* Utrum sic confectum vinum pro s Missæ sacrificio tuto adhiberi valeat nec ne.

R. Loco sacchari extracti e canna saccharina vulgo *canna de assucar* addendum potius esse spiritum seu *alcool*, dummodo ex genimine vitis extractus fuerit, et cujus quantitas, addita cum ea quam vinum, de quo

10 Julii 1897 (1).

B. Circa **saccharum**:

Plus semel fuit quæstio coram S. Sede posita, utrum et quousque liceat vino addere portionem sacchari, vel ad obviandum nimiæ acerbitati vini, vel ad augendam ejusdem vim alcoholicam, ex sacchari fermentatione.

Jamvero si non expressis verbis reprobatur hæc methodus, *ad minus dissuadetur*, ipsique iteratis vicibus declaratur præferenda commixtio alcoholi, ad normam modò dictorum. Cf. in hunc sensum, decreta suprà relata C. S. O., 25 Junii 1891, 5 Aug. 1896, pro Brasilia, necnon decretum S. C. de P. Fide, 10 Julii 1897.

Nec juvat opponere hanc implicitam reprobationem additionis sacchari attingere solum saccharum e materia heterogenea, puta e canna, extrahendum, non autem illud saccharum quod ex uva fuerit depromptum. Si namque fatendum est, in modò invocatis decretis anni 1891 et 1896, agi de saccharo e canna saccharina extrahendo, in decreto anni 1897, urgetur solutio anteriorum decretorum etiam contra additionem sacchari ex uvis deprompti.

Equidem exstat responsum S. C. de P. F. ad Episcopum Trifluvianensem (in Canada), de die 11 Nov. 1892, ex quo responso posset prima fronte videri quod pro-

---

agitur, naturaliter continet, haud excedat proportionem duodecim pro centum: hujusmodi vero admixtio fiat quando fermentatio tumultuosa, ut aiunt, defervescere incœperit. — SS^{mus} adprobavit. — *Collectanea*², n. 1949.

(1) En rescriptum ad Episcopum (de Valleyfield) consulentem:

Ill^{me} ac Rever^{me} Domine,

Amplitudo tua in litteris diei mox præteriti mensis Junii quærit: An vino pro sacrosancto Missæ sacrificio admisceri possit parva (relative) quantitas sacchari; et quatenus affirmative, an saccharus debeat esse ex uva extractus, vel esse possit ex alia qualibet planta, ex gr., ex ea quæ vulgò betterave dicitur?

Verum hac in re standum decretis Suprema Congregationis S. Officii quæ sic habent:... »; et citatur tenor suprà descriptus decretorum 25 Junii 1891 et 5 Aug. 1896, pro Brasilia. — Ita apud *R. th. fr.*, 1898, p. 23 s.

betur praxis saccharum addendi. Quæsitum fuerat « utrum liceat uti in sacrosancto Missæ sacrificio vino cura cujusdam parochi istius diœceseos confecto, et in cujus fermentatione certa quantitas (sacchari) musto adjuncta fuerat (1). Responsum est autem quod Episcopo « fas erit ut vinum de quo agitur in Missæ celebratione adhibeatur ».

Atvero integer tenor responsi, collatis quæstionis positæ terminis, speciem exhibet solutionis datæ pro casu particulari, quæ non posset in normam agendi assumi, eo vel magis quod agebatur de vino bona fide jam præparato, quodque ratio fuerit peculiaris permittendi, attentis expensis factis, usum hujusmodi vini præter normam præparati (2).

Conclusio igitur est tutò adhiberi posse, pro Missæ celebratione, vinum cui, in musti fermentatione, addita est, juxta descriptam proportionem, pars aliqua alcoholi de vite; a Missæ vero sacrificio removendum esse vinum cui commixtum est saccharum cujuscumque speciei, etiamsi servatæ fuerint cautelæ a S. Sede propositæ pro additione alcoholi, speciatim quod spectat additionem faciendam momento tumultuosæ fermentationis: quæ solutio magis adhuc valeret pro casu quo adderetur sacchari portio ad vinum jam fermentatum et confectum (3).

---

(1) « Un des curés de son diocèse, ita exponit Episcopus, ayant acheté une quantité considérable de raisin, dans le but de préparer lui-même le vin qui lui est nécessaire pour la messe, en a extrait 25 gallons (un gallon équivaut à 4 1/2 litres) d'un jus très-pur, auquel il a ajouté de bonne foi, en vue d'aider la fermentation, une petite quantité de sucre, savoir 12 1/2 livres, soit une demi-livre de sucre pour chaque gallon de jus ». *R. th. fr.*, 1898, p. 21 s.

(2) Cf. *R. th. fr.*, 1898, p. 23, et 1905, p. 628.

(3) Pariter dissuadenda est methodus nonnunquam usurpata, quatenus, ad medendum vini aciditati, quæ ex excessu acidi tartrici (acide tartrique) provenit, addunt nonnulli « tartrate de potasse », ex vino extractum (ce sel forme avec l'acide tartrique en excès un bitartrate de potasse, qui tombe au fond du fût).

Interrogata circa hanc praxim, C. S. O. respondit, 9 Maii 1892: « *non expedire* ». *R. th. fr.*, 1896, p. 721 s.

Caveant igitur parochi ne, pro Missæ celebratione, sibi comparent vinum quod noverint sacchari quantitate, maximè post vini confectionem, adauctum; caveant a fortiori ne suadeant suo vini mercatori ut saccharum superaddendum curet, neve ipsi, Instructionibus Romanis contradicere nolenti, valedicant, alium minus scrupulosum adituri.

*
* *

Nota. Ulterius postulari potest quænam foret methodus opportunè adhibenda in casibus ac locis, in quibus ex una parte debiliora sunt vina ibidem producta, et insufficienti vi alcoholica prædita ut conservari valeant, ex alia parte non potest practicè recurri ad commixtionem alcoholi: contingit nempe, in regionibus præsertim missionum, quod alcoholum deficiat. nec venumdetur, quodque missionario non sit opportunitas illud propria industria e vino distillando extrahere, quia præ manibus non habet instrumenta necessaria, vel ea absque obloquiis movendis sibi comparare nequit et in usum adhibere.

Jamvero *duplex* potissimum relinquitur methodus possibilis: vel *prima*, quæ consistit *in evaporatione musti* (1), per decoctionem, eamque talem quæ fermentationem haud excludat, ita ut, ad tramites decreti C. S. O., 5 Aug. 1896, ad Episc. Tarraconensem, sub 2° (2), « fermentatio naturaliter obtineri possit et

---

(1) Evaporatione minuitur quantitas musti et augetur ipso facto relativa vis alcoholica.

(2) Ad quæstionem. « Utrum licitum sit ad s. Missæ sacrificium conficiendum uti vino ex musto obtento, quod, ante fermentationem vinosam, per evaporationem igneam condensatum est »; respondetur:

« Licere, dummodò decoctio hujusmodi fermentationem alcoolicam haud excludat, ipsaque fermentatio naturaliter obtineri possit et de facto obtineatur ». — *Collectanea*², n. 1950.

Ad hoc autem responsum simpliciter remittit C. S. O., die 2 Maii 1901 (*Collectanea*², n. 2113), in rescripto ad dubium sequens:

de facto obtineatur » (1); vel *secunda*, ut, ad mentem decreti C. S. O., 25 Junii 1891, sacerdos sibi procuret uvas passas (rozijnen) ex aliena regione comparandas, easque misceat cum uvis suæ regionis, curando ut simul fermentationi subjiciantur (2).

Beatissime Pater. — Archiepiscopus N., ad pedes Sanctitatis V. provolutus, humiliter exponit:

In regionibus nostris admodùm difficile est verum et genuinum vinum pro ss^mo Missæ sacrificio mihi comparare. Fidere namque debeo mercatoribus extraneis et ignotis, qui aliquando jam non genuina merce defraudarunt. Nunc ab aliquo tempore in ipsa civitate N., quidam vir ex uvis nostræ regionis vinum parare cœpit. Sed, cum hæc uva egentissima sit materia saccharina, et consequenter vinum inde proveniens, non multum « alcool » contineat, curatione aliqua opus est ut vinum elevetur ad illum gradum « alcoolicitatis », quem ejus conservatio requirit. Hunc in finem laudatus vir methodum evaporationis musti adhibere proponit, ad vinum pro ss^mo Sacrificio parandum, ea quidem ratione ut liquor ex uvis expressus, ad dimidium decoctus, vinum producat quod 14 vel 16 gradus « alcool » habeat.

Ad omnem tamen in re tanti momenti dubitationem tollendam, Archiepiscopus orator humiliter declarari postulat: Utrum licitum sit ad ss^mum Missæ sacrificium offerendum hujusmodi vino uti.

(1) Omninò salvanda est addita conditio, cum mustum non fermentatum materia ad minus illicita sit pro sacrificio. Non licet proinde eousque perducere operationem ut occidatur in ipso musto omne fermentum ipsaque fermentatio impossibilis evadat.

Quæ evaporationis methodus, juxta normam propositam, non videtur vitiari ex eo quod, ut suggerit Episcopus missionarius de hac re consulens, « l'on réserve une proportion plus ou moins grande de moût naturel et non cuit, que l'on mélange ensuite au moût cuit, pour favoriser le départ de la fermentation »; supponitur scil., uti innuitur a consulente, mustum decoctum fermentationis naturalis adhuc esse capax, et musti crudi commixtionem fermentationem reddere tantum facilliorem et promptiorem. Quo supposito non videmus cur reprobanda foret praxis quæ suggeritur: ut nempe assumantur « trois barriques de moût que sa densité indique comme pouvant donner du vin a 10 degrés d'alcool; laissant de côté une de ces trois barriques de moût, on met le contenu des deux autres dans une marmite, on le fait bouillir et on le laisse réduire de moitié par la cuisson. La barrique du moût ainsi obtenue est ensuite mélangée à celle qui n'avait pas été soumise à la cuisson, et le tout fermente ensemble comme à l'ordinaire. On obtiendra ainsi deux barriques de vin pesant 15 degrés d'alcool ».

(2) In citato decreto, *ad mentem*. Mens scil. est, juxta traductionem e textu italico, apud *R. th. fr.*, 1896, p. 726, propositam, « que les mis-

Quodsi efficaciter provideri possit vini conservationi, illud « pasteurisando », uti dicitur, quatenus scil. vinum confectum (non mustum nondum fermentatum, uti in casu de quo modò suprà) igni admoveatur, illudque ad 65 circiter graduum calorem elevetur, ut nocivæ fermentationi ulteriori aditus præcludatur: et hæc tertia methodus posset tutò in praxim deduci. Huc spectat decretum C. S. O., de die 4 Maii 1887 (1), in quo, proposito duplici medio ad vini corruptionem præcavendam, per additionem scil. alcoholi ad vinum confectum, vel per vini ebullitionem usque ad 65 altitudinis gradus, respondetur: « Præferendum vinum prout in secundo loco exponitur ».

A. De Smet.

---

sionnaires, s'ils ne peuvent se procurer par eux-mêmes de l'alcool de vin en distillant le vin du pays, ne recourent pas aux vins étrangers, mais mêlent des raisins secs (uvas passas) aux raisins du pays, et fassent fermenter le tout ensemble ». — *Collectanea*², n. 1757.

(1) *Collectanea*², n. 1672.

ACTA PII PP. X

MOTU PROPRIO.

DE OFFICIIS DIVINIS NOVO ALIQUA EX PARTE MODO ORDINANDIS.

PIUS PP. X.

Abhinc duos annos, cum Constitutionem Apostolicam ederemus *Divino afflatu*, qua id proprie spectavimus, ut, quoad fieri posset, et recitatio Psalterii absolveretur intra hebdomadam, et vetera Dominicarum Officia restituerentur, Nobis quidem alia multa versabantur in animo, partim meditata, partim etiam inchoata consilia quæ ad Breviarii Romani, susceptam a Nobis, emendationem pertinerent; sed ea tamen, cum ob multiplices difficultates tunc exsequi non liceret, differre in tempus magis commodum compulsi sumus. Etenim ad compositionem Breviarii sic corrigendam ut talis existat, qualem volumus, id est numeris omnibus absoluta, illa opus sunt (1): Kalendarium Ecclesiæ universalis ad pristinam revocare descriptionem et formam, salvis tamen pulcris accessionibus, quas ei mira semper Ecclesiæ, Sanctorum matris, fecunditas attulerit; Scripturarum et Patrum Doctorumque idoneos locos, ad genuinam lectionem redactos, adhibere; sobrie Sanctorum vitas ex monumentis retractare; Liturgiæ plures tractus, supervacaneis rebus expeditos, aptius disponere. Jam vero hæc omnia, doctorum ac prudentum judicio, labores desiderant cum magnos, tum diuturnos; ob eamque causam longa annorum series intercedat necesse est, antequam hoc quasi ædificium liturgicum, quod mystica Christi Sponsa, ad suam declarandam pietatem et fidem, intelligenti studio conformavit, rursus, dignitate

(1) Sedulo notet lector in quatuor immediate subsequentibus indicari futuram Breviarii definitivam reformationem post « longam annorum seriem », ut infra dicitur, perficiendam.

splendidum et concinnitate, tamquam deterso squalore vetustatis, appareat.

Interea ex litteris et sermone multorum Venerabilium Fratrum cognovimus ipsis et permultis sacerdotibus esse optatissimum, ut in Breviario una cum Psalterio nova ratione disposito suisque rubricis adsint mutationes omnes, quæ ipsum novum Psalterium vel jam secutæ sunt vel sequi possunt. Quod cum instanter a Nobis peterent, simul significarunt se vehementer cupere, ut (1) et Psalterium novum usurpetur frequentius, et Officia Dominicarum serventur eo studiosius, et incommodis Officiorum translationibus occurratur, et alia quædam quæ bonum videatur mutari, mutentur. Hujusmodi Nos vota, utpote rerum veritati innixa Nostræque admodum consentanea voluntati, grate equidem accepimus: iis autem obsecundandi nunc esse tempus arbitramur. Certiores enim facti sumus officinatores librarios, qui sacrorum Rituum Congregationi inserviunt, exspectantes dum Breviarium Romanum decretorio modo ac definitivo corrigatur, in eo esse ut novam interim ipsius Breviarii editionem adornent. Hac uti occasione visum Nobis est; propterea, implorato divinæ Sapientiæ lumine, consultatione habita cum aliquot S. R. E. Cardinalibus, rogataque proprii cujusdam Consilii sententia, hæc Motu Proprio statuimus, edicimus:

I. Secundum priscam Ecclesiæ consuetudinem, ne facile Officia Dominicarum prætermittantur. — Itaque nullum festum, ne Domini quidem, statuatur posthac Dominicis celebrandum; ex his tamen excipiatur, ob peculiarem ipsius naturam (2), ea quæ a die prima ad quintam Januarii occurrat: quam recolendo sanctissimo Nomini Jesu, propter conjunctionem quam habet cum mysterio Circumcisionis, assignamus. — Festa vero, quibus usque adhuc dies Dominica attributa erat, omnia, præter festum sanctissimæ Trinitatis, in aliam diem perpetuo transferantur. — Ne forte autem per Quadragesimam aliquod omittatur ex Dominicarum Officiis, quæ mire facta sunt ad excitandam in animis christianam

(1) In quatuor immediate subsequentibus indicatur *scopus* in reformatione intentus et etiam novæ ordinationis *indoles*.

(2) Est enim Dominica *vacans* officio proprio.

pænitentiam, ejus temporis secundam, tertiam et quartam Dominicam ad gradum I Classis promovemus.

II. Cum recitationi Psalterii celebratio Octavarum sit impedimento, id ut rarius contingat, in posterum sola duplicia I Classis, quæ Octavas integras habent, eas conservent: verum in hisce ipsis Octavis, exceptis privilegiatis, Psalmi de Feria currenti usurpentur. — Octavæ autem duplicium II Classis solo Octavo die celebrentur et quidem ritu simplici.

III. Lectionibus de Scriptura occurrenti semper adhæreant Responsoria de Tempore.

IV. Nulla, ne perpetua quidem, Festorum, quæ in Ecclesia universali celebrantur, translatio fiat, nisi duplicium I et II Classis.

Jam, quæ hic a Nobis præscripta sunt, ea quemadmodum adduci ad effectum debeant, et quid præterea novi non modo in Breviarium, sed etiam in Missale, quod cum illo congruat oportet, indidem emanet, sacra Rituum Congregatio, peculiaris *Commissionis* a Nobis institutæ consulta sequens, propriis decretis constituet, eademque tum Breviarii tum Missalis novam editionem typicam faciendam curabit (1).

Has ipsas quidem præscriptiones volumus, statim ut hoc Motu Proprio promulgatæ sint, valere. Sed tamen, ratione habita vel Kalendariorum quæ jam sunt confecta in annum proximum, vel temporis quod typographi requirunt, sinimus eos, qui ad officium persolvendum Romano utuntur Breviario, tum e Clero sæculari tum e regulari utriusque sexus, his præscriptionibus non teneri nisi a Kalendis anni MCMXV. Qui vero aliud legitime usurpant Breviarium a Romano diversum, iis sacra Rituum Congregatio definiet intra quos terminos ad easdem præscriptiones accommodare sese debeant.

Cuilibet autem liceat comparare sibi atque ad horas canonicas recitandas etiam nunc adhibere Breviaria quæ sunt in usu, dummodo tamen peculiari in libello habeat, unde Constitutioni *Divino afflatu* ac decretis quæ illam subsecuta sunt, obtemperare possit, ac simul quæ hoc Motu Proprio Nos statuimus et quidquid eandem in rem sacra Rituum Congregatio decreverit, diligenter observet.

---

(1) Infra decursum anni 1914 apud domum editricem Pustet, ut ferunt.

Atque hæc omnia constituimus, edicimus, contrariis quibuscumque, etiam specialem mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXIII mensis Octobris MCMXIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

PIUS PP. X.

S. Congregatio Rituum

DECRETUM GENERALE.

SUPER MOTU PROPRIO « ABHINC DUOS ANNOS ».

Cum Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, mandaverit, ut quæ Motu Proprio *Abhinc duos annos*, die 23 præsentis mensis octobris decreverit, ab hac sacra Rituum Congregatione, juxta votum specialis Commissionis Liturgicæ, opportune apteque applicarentur, hæc eadem S. R. C., voluntati Sanctitatis Suæ, qua par est observantia, obsequens, hæc declaranda et statuenda censuit:

I. — De Dominicis et Festis hucusque Dominicis diebus affixis.

1. Dominicæ quævis assignationem perpetuam (1) cujuslibet Festi excludunt: idcirco Festa tam universalis Ecclesiæ quam alicujus loci propria, quæ hucusque Dominicis assignata fuerunt, celebrentur die fixa mensis qua in Martyrologio inscribuntur, si hæc habeatur (2): secus prima die qua

1. Festa Dominicis assignata perpetuo illa sunt quæ *quotannis* in Dominica celebrantur quia aliam sedem non habent quam Dominicam; v. g. SS. Nominis S. Familiæ, Pretiosissimi Sanguinis, Solemnitatis S. Joseph, etc. Non dicta Dominica necessario removebuntur festa quæ habent sedem fixam in die mensis et quæ, ut patet, ob mutationem litteræ dominicalis *annuatim mutantur* in Dominica. Illa in hoc casu vel amplificabuntur vel, si sint duplicia I aut II cl., celebrabuntur, nisi cadant in Dom. relative majorem, quo casu transferentur.

2. V. g. festum S. Joannis Baptistæ, die 24 junii.

occurrere potest Dominica in qua hucusque celebrata sunt. Excipiuntur tamen:

a/ Festum Ss^mæ^ Trinitatis, quod Dominicæ I post Pentecosten assignatum manet (1).

b/ Festum Ss^mi^ Nominis Jesu, quod ab omnibus celebrabitur in Dominica quæ occurrat a die 2 ad 5 januarii, et, si ea non occurrerit vel impedita fuerit ab Officio nobiliori, die 2 ejusdem mensis.

c/ Solemnitas S. Joseph, Sponsi B. Mariæ Virg., Conf. et Ecclesiæ universalis Patroni, quæ assignabitur Feriæ IV ante Dominicam III post Pascha occurrenti, et in ea cum sua integra Octava recoletur (2), redacto ad ritum Duplicem II classis (3) alio Festo S. Joseph diei 19 martii.

d/ Festum S. Joachim, fixe celebrandum die 16 augusti, inde in sequentem diem 17 translato Festo S. Hyacinthi.

e/ Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, quod, seorsim ab Anniversario Dedicationis aliarum Ecclesiarum Diœcesis (4), in tota Diœcesi die ipsa anniversaria celebrabitur, si ea innotescat: secus alia die fixa arbitrio Episcopi, audito tamen Capitulo Cathedrali, semel pro semper designanda.

f/ Anniversarium Dedicationis propriæ Ecclesiæ, quod

---

(1) Meritissimo jure servatur hoc festum in Dominica, sicut fuit ab ipsis festi exordiis. Est enim quævis dies Dominica specialiter sacra SS. Trinitati ejusque quasi festum hebdomadarium. Inter ceteras dies hebdomadæ electa fuit ut dies « Domini » ob memoriam et in honorem: a/ maxime resurrectionis Christi, *Filii* Dei, b/ inchoantis creationis quæ tribuitur Deo *Patri*, c/ adventus *Spiritus Sancti* in apostolos. Unde die Dominica tantum recitandum est Symbolum *Quicumque*.

(2) Hæc solemnitas est igitur nunc indubitanter festum *principale* S. Joseph. Cf. quæ suprà p. 179. ex cl. Piacenza, notavimus de hac re. Fatendum tamen est, si non esset hoc festum quasi « solemnitas » festi diei 19 martii in quadragesima occurrentis, locum proprium festi S. Patris nutritii Jesu, potius esse quærendum prope cunabulum divini Infantis, in cyclo Nativitatis potius quam in cyclo Resurrectionis.

(3) Ergo cessat hac die prohibitio missæ exequialis et etiam ad diem « Solemnitatis » transferetur probabiliter obligatio celebrandi pro grege.

(4) Seorsim ergo et diebus diversis jam celebrandum erit ab unoquoque festum Dedicationis: a/ ecclesiæ propriæ, modo sit consecrata; b/ ecclesiæ cathedralis diœcesanæ; c/ ecclesiæ cathedralis totius Orbis christiani, basilicæ S. Joannis Lateranensis (9 Nov.). Ita inculcatur reverentia religiosa hierarchiæ ecclesiasticæ debita.

pariter, si hucusque sua propria die a singulis Diœcesis celebratum est, ipsa die celebrari pergat: si vero in tota Diœcesi vel Instituto unica die recoli consuevit Dedicatio omnium Ecclesiarum Diœceseos (1), hæc, extra Ecclesiam Cathedralem, in Ecclesiis consecratis tantum (2), non vero in aliis recoli poterit, die ab Ordinario, ut supra, designanda, quæ tamen alia sit a die Dedicationi Ecclesiæ Cathedralis recolendæ assignata. Quæ item observentur de Anniversario Dedicationis omnium Ecclesiarum alicujus Ordinis seu Congregationis, quod hucusque in Dominica celebrari consueverit.

5. Festa Sanctorum vel Beatorum, quorum mentio non fit in Martyrologio, quæ tamen celebranda sunt, juxta Rubricas, die eorum natali, si agnoscatur, dummodo per Litteras Apostolicas alius dies non fuerit assignatus.

6. Festa quæ certis Dominicis post Pascha vel post Pentecosten affixa sunt, sunt, quæ semel ab Ordinario, ut supra, assignanda erunt congruentiori Feriæ infra Hebdomadam immediate præcedentem.

2. Ub: Solemnitas externa Festorum quæ hucusque (3) alicui Dominicæ perpetuo affixa erant, in ipsa Dominica celebratur, de Solemnitate Festi Duplicis I classis permittuntur Missæ omnes, præter Conventualem et Parochialem, semper de Officio diei dicendas; de Solemnitate vero Festi Duplicis II classis permittitur tantum unica Missa solemnis vel lecta. Excipitur Solemnitas externa Ss^mi Rosarii, quæ Dominica I Octobris celebrari poterit cum omnibus Missis, præter Conventualem et Parochialem, de Ss^mo Rosario, ut supra dictum est de Duplicibus I classis.

Omnes Missæ de his Solemnitatibus in Dominica celebratis semper dicantur ut in ipso Festo de quo agitur Solemnitas, addita Oratione de Officio diei et aliis omnibus quæ dicendæ

---

(1) Ut apud nos.

(2) Ergo jam non in ecclesiis solemniter benedictis tantum ut nunc. Et merito quidem, quum in his ecclesiis non adamussim serventur verba liturgiæ (v. g. orationis) et minus conveniens est celebrare anniversarium eventus qui reapse non evenit.

(3) Ergo vi verborum non sunt hæc applicanda solemnitatibus quatuor festorum, jussu Em. Card. Caprara celebrandis. Sed exoptandum est ut inducatur regula uniformis.

essent, si Festum ipsa Dominica incidisset. Prohibentur tamen in omnibus Dominicis majoribus, et in aliis Dominicis in quibus fiat Officium nobilius ipso Festo cujus Solemnitas externa peragitur; sed in casu, præterquam in Duplicibus I classis Domini Ecclesiæ universalis, in omnibus Missis quæ alioquin de Solemnitate externe celebrata permitterentur, addatur ejus Oratio sub unica conclusione cum prima. Ubi tamen adest obligatio Missæ conventualis, non permittitur in casu alia Missa solemnis, sed Oratio de Festo externe tantum celebrato addi poterit, uti supra, in ipsa Missa Conventuali.

3. Dominicæ II, III et IV Quadragesimæ, ad gradum Dominicarum I classis evectæ, nulli in posterum cedent Festo, neque etiam Duplici I classis (1).

Dominica autem quæ occurrat die 2, 3 vel 4 Januarii, si in ea celebrandum non sit, juxta Rubricas, Festum Ss^mi Nominis Jesu aut aliud Festum Domini, et dummodo de ipso Domino nulla fiat Commemoratio neque occurrens neque concurrens, commemoretur in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa, per Antiphonas, Versus et Orationes Dominicæ infra Octavam Nativitatis, sed de ea non dicitur IX Lectio Homiliæ nec legitur Evangelium in fine Missæ.

Officium vero Dominicæ quæ post Epiphaniam, superveniente Septuagesima, vel post Pentecosten, superveniente Dominica XXIV, anticipari debet, celebretur in Sabbato præcedenti ritu Semiduplici, cum omnibus privilegiis Dominicæ tam in occursu quam in consursu ad I Vesperas (2). Omnia dicentur de Sabbato, et in I Vesperis, de Feria VI præcedenti, præter Orationem, Lectiones, Antiphonam ad *Benedictus* et Missam propriam; et post Nonam nil fit amplius de Dominica anticipata.

II. — De Octavis.

1. Octavæ Paschatis, Pentecostes, Epiphaniæ, Ss^mi Corporis Christi, Nativitatis Domini et Ascensionis sunt privilegiatæ (3), et de eis, si quando integrum faciendum non sit

(1) Hucusque erant tantum II classis, et cedebant festis dupl. I classis.

(2) Notabiliter ergo ampliantur privilegia illius Dominicæ.

(3) Octavæ Paschatis et Pentecostes, juxta *Mutationes in Breviario* hoc

Officium, semper tamen fit Commemoratio in Laudibus, Missa et Vesperis. Eorum Officium integre recitatur ut in die Festo præter ea quæ suis locis adsignantur (1).

2. In Officio autem tum de die infra Octavam, tum de die Octava aliorum quorumlibet Duplicium I classis, etiam Domini, Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum dicantur de occurrenti hebdomadæ die (2), et Lectiones I Nocturni, nisi habeantur propriæ, vel, Lectionibus de Scriptura deficientibus, sumi debeant de Festo aut de Communi, dicuntur cum suis Responsoriis de Tempore, ut infra dicetur. Dies autem Octava hujusmodi, etiam Domini (3), tam in occursu, quam in concursu, cedit cuilibet Dominicæ.

3. De Octavis vero Duplicium II classis universalis Ecclesiæ nihil fit nisi in die Octava (4), et quidem sub ritu Simplici (5): ita ut si occurrat in eo aliquod Officium Duplex

---

anno editas, dicebantur octavæ privilegiatæ I ordinis; Epiphaniæ et SS. Corporis Christi privilegiatæ II ordinis; tandem octava Nativitatis erat sola privilegiata III ordinis cui nunc annumeratur octava Ascensionis quæ gaudebit itaque privilegiis ac octava Nativitatis Domini. Quamvis remaneat diversitas jurium pro triplici gradu diverso, sex illæ octavæ *sunt nunc I ordinis.*

(1) Ergo non ad modum officii *ordinarii* sed festivi *excepti.*

(2) Et merito: cedere enim debebant dies infra octavam festis duplicibus majoribus aut minoribus, imo et semiduplicibus, in quibus adhibendi erant antiphonæ et psalmi de feria occurrente. Deinceps celebrabuntur ad modum officii *ordinarii,* non vero officii festivi *excepti.*

(3) Hucusque officium Dominicæ minoris cedere debebat officio dici octavæ *Domini.*

(4) Videte gradationem: *I ordo:* octavæ privilegiatæ (trium graduum); *II ordo:* octavæ communes integræ; *III ordo:* octavæ redactæ ad diem festi cum sola die octava. Hæc ultima species intelligenda videtur ad modum quo octavæ Sanctorum dicuntur celebratæ fuisse antiquitus, cujus exemplum, juxta multos, habemus servatum in Breviario pro festo S. Agnetis, quod celebratur plene die 21 Januarii et quod recolitur *secundo,* post octo dies, 28 Januarii. (Censet tamen R. P. Jubaru cum aliis hic agi de alia Sancta Agnete). Quod si ita sit intelligenda nova dispositio, patet *dies intermedias* jam non pertinere ad ipsam octavam: in eis non tantum octavæ omittenda est commemoratio, sed etiam doxologia aut præfatio aut hymnorum conclusio propria, aut *Credo,* aut inclinatio capitis ad nomen Sancti in canone.

(5) Ergo quæstio erit utrum omittendæ sint preces et suffragium et quænam sint *tres* lectiones et *tria* responsoria ex *novem* nunc in usu.

vel Semiduplex, etiam repositum vel translatum, aut Feria major vel Vigilia, de die Octava hujusmodi fiat tantum Commemoratio juxta Rubricas. Festa vero Simplicia occurrentia commemorantur in Officio de die Octava: cui cedit etiam Officium S. Mariæ in Sabbato, in casu omittendum.

Idem servatur de Octavis Duplicium II classis alicujus Diœcesis vel particularis Ecclesiæ, quæ pariter, nisi penitus omitti velint, tantum in die Octava, et sub ritu Simplici celebrandæ erunt.

4. Octavæ Festorum particularium post diem Nativitatis Domini non amplius impediuntur.

5. Lectiones II et III Nocturni singulis diebus per Octavas Festorum Duplicium II classis Ecclesiæ universalis hucusque assignatæ, inserantur in Octavario Romano: non vero Lectiones I Nocturni, etiam si habeantur propriæ.

III. — De Responsoriis de Tempore, de Lectionibus e Scriptura occurrenti, et de aliis partibus Officiorum propriis.

1. In Officiis tam novem quam trium Lectionum, quandocumque sumuntur Lectiones de Scriptura occurenti, cum eis adhibeantur Responsoria de Tempore (1): ita tamen ut Lectiones Dominicæ cujuslibet, etiam si reponantur infra hebdomadam et simul cum Lectionibus de Feria dicantur (2), sumant semper Responsoria de I Nocturno ipsius Dominicæ; Lectiones vero de Feria, si transferantur vel anticipentur,

---

(1) Gratissima sane mutatio quæ in multorum votis erat. (Cf. *La Réforme du Bréviaire*, p. 51). Nam a/ obtinebitur delectabilior varietas; b/ in se spectata, plura ex iis responsoriis sunt veræ gemmæ, v. g. pulcherrima responsorii Adventus; c/ responsoria de tempore, ut Breviarium recitantibus patebit, solent plane convenire cum lectionibus de Scriptura iisdem temporibus occurrente et ita melius attingitur primarius finis responsorii, ut nempe modo magis dramatico repræsententur facta in lectionibus narrata, vel modo magis lyrico cantentur affectus quos lectiones in animum legentium induxerunt.

(2) Quod accidit quando, festo I vel II cl. occurrente in Dominica in cujus officio esset legendum *Initium* aliquod, illud *Initium* debet transferri in feriam quæ similiter habet *Initium* (quod facile occurrere potest in ultima hebdomada Novembris): tunc duo *Initia* in eodem nocturno sunt legenda. Quo casu statuitur sumenda responsoria de Dominica.

dummodo tamen simul cum Lectionibus Dominicæ non dicantur, sumant Responsoria de Feria currenti, in Feriis Temporis Paschalis noviter disponenda. Excipiuntur tamen:

a/ Lectiones de Scriptura occurrenti infra Octavas privilegiatas Ecclesiæ universalis recitandæ, quæ semper dicuntur cum Responsoriis de Octava.

b/ Lectiones de aliquo Initio Scripturæ occurrentis, quæ necessario ponendæ sint, juxta Rubricas, in Officiis Lectiones proprias vel de Communi assignatas habentibus, quæque dicuntur cum Responsoriis propriis de hujusmodi Officiis, si habeantur, secus cum Responsoriis de Tempore, numquam vero de Communi.

c/ Lectiones de Scriptura in Dominicis post Epiphaniam positæ, quæ si infra hebdomadam transferantur, dicuntur cum Responsoriis de Feria currenti (1).

d/ Responsoria Feria II infra Hebdomadam I post Epiphaniam et Feriæ II infra Hebdomadam I post Octavam Pentecostes, quæ, si sua die impediantur, ulterius transferuntur, juxta proprias Rubricas (2).

2. Responsoria quæ in Festis S. Luciæ Virg. et Mart., Ss. Joannis et Pauli Mm., et S. Clementis Papæ et Mart. in I Nocturno habentur propria, ponantur in II Nocturno, loco Responsoriorum de Communi, et in I Nocturno di-

---

(1) Sunt respons. eadem pro omnibus hebdomadibus post Epiph.

(2) Sic sonant, juxta recentes « *Mutationes in Breviario* » illæ rubricæ: Post primam Lectionem *Feriæ II infra hebdomadam I post Epiphaniam:* « In hac et sequentibus feriis, si infra octavam Epiphaniæ occurrant, officium fit de octava et de ea dicuntur Responsoria, ut supra: si vero extra eam incidant, officium fit integrum ut in Ordinario et in Psalterio et sumuntur Responsoria singulis feriis assignata, ut infra... Prima tamen die qua, in hac vel sequentibus hebdomadibus ante Septuagesimam, officium de feria aut de Dominica (*intellige nunc:* officium in quo adhibenda sunt responsória de tempore) fieri contingat, omissis aliis Responsoriis ea die secus recitandis, sumuntur ea, quæ in hac feria II ponuntur ». Et hac feria II post Dom. I post. Epiph. ponenda sunt Responsoria e I nocturno Dominicæ II post Epiphaniam.

Ante I Responsorium *feriæ II post octavam Pentecostes:* « Responsoria hujus feriæ, si hac nocte dici non potuerint, ponuntur in prima insequenti die... in qua officium de feria vel Dominica (*vel* de Sancto in quo adhibenda sunt responsoria de tempore) fieri contingat, omissis aliis Responsoriis secus recitandis ».

cantur Lectiones de Scriptura occurrenti cum Responsoriis de Tempore (1).

3. Similiter omnia quæ in Festo S. Elisabeth Reginæ et Viduæ, habentur propria, præter Invitatorium, Hymnos, Lectiones II Nocturni, Versus ad utrasque Vesperas et Laudes, Antiphonas ad *Magnificat* et ad *Benedictus*, et Orationem, expungantur, et in I Nocturno item dicantur Lectiones de Scriptura occurrenti cum Responsoriis de Tempore (2).

4. In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, Psalmi ad Completorium et alias Horas minores, non amplius sumantur de occurrenti hebdomadæ die, sed proprii assignentur.

IV. — De occurrentia et translatione Festorum, eorumque concurrentia.

1. Festa Duplicia I et II classis, tam Ecclesiæ universalis quam alicujus loci propria, impedita etiam perpetuo, quocumque sublato privilegio hucusque certis Festis concesso (3), transferantur in primam sequentem diem non impeditam a Dominica quavis vel Vigilia Epiphaniæ, ab alio Festo Duplici I vel II classis, vel ab Officiis ejusmodi Festa respective excludentibus. Eadem Festa, tam I quam II classis, in II Vesperis non admittunt Commemorationem sequentis diei infra Octavam, neque cujusvis Officii Simplicis, etiam si postera die integrum de eis celebrandum sit Officium (4).

2. Festa vero Duplicia majora vel minora aut Semiduplicia, quæ in universa Ecclesia celebrantur, si accidentaliter vel perpetuo impedita fuerint, non transferuntur (5), sed de

---

(1) Illa festa habent enim responsoria propria cum lectionibus de communi, in primo nocturno, lectiones vero proprias cum responsoriis de communi in secundo nocturno: dispositione hac nova servantur ergo omnia propria, quin omittantur sive lectiones de scriptura sive responsoria de tempore eis respondentia.

(2) Est enim hoc festum (7 jul.) tantum ritus semiduplicis nec tanti videtur momenti ut habeat officium fere ex integro proprium.

(3) Concesso v. g. festis Purificationis et Annuntiationis B. M. V. et Commemorationis S. Joseph. Cf. *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 137, note 3.

(4) Regula antea valens pro solis festis dupl. I classis extenditur nunc ad dupl. 2 classis quæ magis ac magis ad dupl. 1 cl. appropiant.

(5) Hoc valebat antea tantummodo in casu impedimenti *accidentalis;*

eis fit Commemoratio juxta Rubricas, et legitur IX Lectio historica. Si tamen Festum impediens fuerit Duplex I classis Domini universalis Ecclesiæ, nil fit de Festo ut supra impedito: si vero fuerit aliud Duplex I classis, de Officio impedito fit Commemoratio tantum in Laudibus et in Missis privatis, et non legitur IX Lectio. Idem servatur de Festis propriis alicujus Nationis, Diœcesis, Ordinis vel Instituti, quæ pariter, si in aliqua particulari Ecclesia suo die fuerint impedita, commemorantur vel omittuntur, ut supra. Festa autem propria alicujus Nationis, Diœcesis, Ordinis, Instituti vel particularis Ecclesiæ, quæ in tota Natione, Diœcesi, Ordine, Instituto vel in sua particulari Ecclesia impediantur, si impedimentum sit accidentale, pariter commemorentur vel omittantur ut supra: si impedimentum sit perpetuum, reponantur in proximiorem diem, ab Officio Duplici, a Festo Semiduplici, a Vigiliis privilegiatis et ab Octavis II ordinis non impeditam.

De hujusmodi vero Festis Duplicibus majoribus seu minoribus vel Semiduplicibus, quæ perpetuo vel etiam accidentaliter impediantur, dici poterunt Missæ privatæ ad libitum sacerdotis, dummodo Officium impediens non fuerit Duplex I vel II classis, Dominica quævis, Octava I et II ordinis, dies Octava III ordinis, Feria aut Vigilia privilegiata. Hæc Missa dicitur ritu festivo, cum 2ª Oratione de Officio diei et aliis de Commemorationibus forte occurrentibus.

---

in casu vero impedimenti *perpetui*, h. e. singulis annis recurrentis, debebant transferri in aliam diem determinatam, quæ dicebatur *dies fixa*. V. g. occurente in diœcesi Brugensi festo S. Amandi, dupl. maj., singulis annis in 6 februarii, festum duplex universalis Ecclesiæ, S. Titti transferebatur in *diem fixam* 9 februarii: deinceps de S. Tito fiet commemoratio et 9 lectio in officio S. Amandi: 1º Hoc decernitur tantum de *festis Ecclesiæ Universalis* quia, si hæc sint impedita in uno loco (v. g. in diœcesi Brugensi) non deficit eorum cultus sed in aliis locis recoluntur juxta calendarium Ecclesiæ universalis. 2º Eadem regula et ratio valet pro *festis alicujus Nationis, Diœcesis, Ordinis vel Instituti*, quæ *non ubique* sed in aliqua ecclesia particulari *impediuntur*. 3º Quod si hæc festa impedirentur *perpetuo per totam extensionem ditionis* in qua recolebantur, applicatio præcedentis regulæ æquivaleret universali suppressioni vel simplificationi ejusmodi festi, et ideo hæc festa debent reponi in diem proximiorem liberam *fixam*. Pro festis igitur *Proprii diœceseos*, manet substantialiter antiqua regula de jure translationis.

3. Festa quæ hucusque tam in Ecclesia universali, quam in particularibus locis sub ritu Semiduplici ad libitum sunt celebrata, reducantur ad ritum Simplicem, de eisque fiat Commemoratio quoties impediantur, ut fit de aliis Simplicibus juxta Rubricas. Festum tamen S. Canuti cedit Festo Ss. Marii, etc. Mm., ideoque in ejus Officio commemoratur.

4. Si Patronus loci secundarius, vel alius Sanctus proprius, descriptus sit in Kalendario cum aliis Sanctis, ab eis non separetur, sed de omnibus simul celebretur Festum sub ritu Duplici majori vel minori, aut Semiduplici, juxta Rubricas, nisi sub altiori ritu in Kalendario sit descriptum.

5. Quando Festum aliquod Duplex majus aut minus, vel Semiduplex occurrat in die Octava Duplici majori non privilegiata ejusdem Personæ, Officium fiat de Festo, sub ritu diei Octavæ convenienti, omissa vel addita Commemoratione ejusdem Octavæ, juxta Rubricas.

V. — De reformatione Kalendariorum particularium.

1. Ut vero omnia quæ hoc decreto præscribuntur rite exsecutioni mandentur, singuli Ordinarii, etiam Ordinum Regularium, et Moderatores generales Institutorum cujusvis generis quæ Kalendario proprio utuntur, supplicem libellum, juxta Instructionem hujus S. R. C. diei 12 decembris 1912, in *Actis Apostolicæ Sedis* die 1 martii præsentis anni editam, ad eamdem S. C. infra proximum mensem martium anni 1914 transmittant. Qui tamen post editam Constitutionem *Divino afflatu*, proprii Kalendarii jam obtinuerint reformationem, ex officio novam ab eadem S. Congregatione sine ullis expensis recipient.

2. In hac Kalendariorum reformatione, præter ea quæ superius disposita sunt de Festis quæ hucusque Dominicis affixa erant, sequentes serventur normæ:

a/ Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, etiam ubi hucusque die fixa celebrari consuevit una cum Dedicatione aliarum Ecclesiarum, seorsim celebretur, juxta superius decreta de eisdem Anniversariis hucusque diei Dominicæ affixis.

b/ Festa propria (1), nisi aliter per Apostolicas Litteras

(1) Intelligenda sunt festa *vere propria* juxta recentiorem disciplinam

dispositum fuerit, celebranda erunt ipsa die natali, si agnoscatur; secus, ponantur in aliqua die quæ libera sit in Kalendario.

c/ Duo vel tres Sancti qui sub eodem Communi comprehendantur, sicubi occurrant eadem die et sub eodem ritu sint celebrandi, unico Festo recolantur, adhibitis iis singulorum Communium partibus, quæ pro pluribus Sanctis qualitatis ejusdem assignantur (1), et contractis Lectionibus historicis III Nocturni (2), quæ tamen huic S. R. C. adprobandæ submittentur. Eadem norma servetur pro Festis ejusdem Communis, quæ ab anterioribus diebus sint reponenda.

d/ Festa S. Bartholomæi Ap. et S. Ludovici Regis Conf., in omnibus et singulis Kalendariis, Romano non excluso, fixe diebus 24 et 25 augusti respective assignentur, nonobstante quacumque consuetudine aut privilegio. Ubi vero solemnitas externa die 25 et 26 respective celebretur, his diebus permittitur unica Missa cantata vel lecta de ea Solemnitate, ut supra statutum est pro Festis diei Dominicæ hucusque affixis.

e/ Privilegium quibus nonnullæ Diœceses vel Instituta gaudent, sese scilicet conformandi Kalendario Cleri Romani, aut alicujus Ordinis seu Congregationis, et alia hujusmodi, penitus aboletur.

Quæ omnia, per infrascriptum hujus S. Rituum Congregationis Secretarium, sanctissimo Domino nostro Pio Pp. X in audientia diei 26 præsentis mensis octobris relata, Sanctitas Sua dignatus est approbare, et ab omnibus servari mandavit (3). Consulens autem eadem Sanctitas Sua pauperum

---

(qualia sunt generatim quæ in calendario Brugensi nunc notantur: *In Proprio Diœceseos*), non vero festa alicui diœcesi aut ordini concessa ex indulto (qualia sunt quæ in eodem calendario notantur: *In Appendice Breviarii et Missalis:* illa enim in proxima reformatione calendarii nostri expungenda erunt).

(1) Ex quibus intelligi potest in novo Breviario addenda esse *Communia* nova pro *pluribus* Sanctis ejusdem qualitatis, v. g. Confessoribus Pontificibus et non Pontificibus.

(2) Intellige lectiones historicas quæ in *secundo* nocturno legebantur.

(3) Quum Proprium diœceseos Brugensis nondum sit reformatum, de præfatis novis regulis *nihil* applicabitur in Calendario liturgico anni 1914

præsertim clericorum indemnitati, Apostolica benignitate permittit, ut hi, pro prudenti arbitrio Episcopi, Breviaria quibus in præsenti utuntur, sine novi libelli additione, adhibere adhuc valeant, dummodo, juxta Rubricarum præscriptum, novum ordinem Psalterialem omnino servent. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 octobris 1913.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., *Secretarius.*

Sed moveri potest quæstio utrum singuli sacerdotes non possint novas rubricas servare? Censemus respondendum: non possunt proprio marte mutare ordinem calendarii auctoritate episcopali statutum, sicut nec ipse Episcopus potest sine approbatione S. Sedis expungere e Proprio Diœceseos ea festa non stricte propria quæ juxta recentes regulas expungenda sunt. Ergo omnia quæ spectant translationem festorum aut reformationem calendarii proprii diœceseos (cap. I, IV, V) non valent inducere.

Cetera vero, in quantum compossibilia sunt cum ordine calendarii approbati, a singulis sacerdotibus in recitatione saltem privata jam nunc applicari posse censemus, quia jam nunc «valent» regulæ in *Motu Proprio* et Decreto generali S. R. C. statutæ. Applicari ergo possunt a singulis quæ statuuntur in cap. III de responsoriis de tempore et in nn. 1, 2 et 4 capitis II de octavis, notatim de recitando ad modum officii *ordinarii* officia dierum infra octavas II ordinis (n. 2); non vero applicari possunt quæ regulant octavas III ordinis.

BULLETIN SCRIPTURAIRE

I. Questions d'Introduction.

1. **C. Telch.** *Introductio generalis in scripturam sacram.* Ratisbonæ, Pustet, 1908. In-8, XVI-462 pp.

2. **H. Merchelbach.** *L'inspiration des divines Écritures. Questions de principe et questions d'application.* 2e édit. Liége, Dessain, 1913. In-8, 96 pp.

3. **V. Geerebaert,** C. SS. R. *De ingeving der heilige Schrift.* (Coll. *Geloofsverdediging, Antwerpen*). Antwerpen, De Winter, 1913. In-12, 60 pp.

4. **L. Schade.** *Die Inspirationslehre des Heiligen Hieronymus.* (Coll. *Biblische Studien*). Freiburg i/B., Herder, 1910. In-8, XVI-288 pp.

5. **A. Schulz.** *Doppelberichte im Pentateuch.* (Coll. *Biblische Studien*). Freiburg i/B., Herder, 1908. In-8, VIII-96 pp.

6. **A. Schulz.** *Geschichte und Erbauung im Alten Testament.* Braunsberg, Grimme, 1911. In-8, VIII-60 pp.

7. **V. Zapletal,** O. P. *Hermeneutica biblica.* 2a ed., Friburgi Helvet., 1908. In-8, XII-198 pp.

8. **C. Griwnacky,** O. S. B. *Hermeneutica biblica.* Brunæ, 1911. In-8, 108 pp. — Pr. 2,30 kr.

9. **X. M. Le Bachelet,** S. J. *Bellarmin et la Bible Sixto-Clémentine. Étude et documents inédits.* Paris, Beauchesne, 1911. In-8, XII-210 pp.

1. L'ouvrage de M. **Telch** que nous plaçons en tête de notre bulletin, tout en étant intitulé *Introductio generalis in sacram scripturam*, ne vise point cependant à être un exposé complet de toutes les questions que l'on peut ranger sous ce titre; l'auteur en effet a voulu seulement donner une « *brevissimam synopsim* » pour autant que l'exige la formation apologétique, dogmatique, exégétique, catéchétique et ora-

toire du clergé. De fait on pourrait désirer par endroits soit un exposé plus complet et plus précis des différentes questions, soit une mise en valeur plus nette de certaines démonstrations : nous aurions même préféré que l'auteur s'en tînt plutôt aux principes généraux, à la partie dogmatique, essentielle à une Introduction générale, et abandonnât aux traités spéciaux des questions de fait, telles que l'authenticité des livres de l'Ancien et du Nouveau Testament, leur intégrité, leur sincérité et veracité. Il est évidemment impossible de traiter d'une façon convenable l'authenticité et l'intégrité de tous ces livres, en cinq pages (pp. 378-383). — La question de l'Herméneutique sacrée, et en particulier la question si importante de l'inerrance des divines Écritures, aurait pu, à notre avis, être traitée d'une façon plus exacte et plus objective; sans doute, pour notre part, nous n'hésiterions pas un instant à rejeter, telles que M. T. les expose, certaines théories au sujet de l'inerrance dans les choses historiques; mais l'auteur est-il bien sûr d'avoir toujours saisi et rendu exactement les théories qu'il combat?

2. Au sujet de ces mêmes questions, si importantes et si délicates, l'inspiration et l'inerrance qui en découle, nous sommes heureux de pouvoir recommander à nos lecteurs l'excellente brochure publiée déjà en 2de édition, par le distingué professeur de Liége, M. **Merckelbach**. L'auteur a voulu grouper dans une synthèse méthodique et suffisamment complète, les résultats acquis et les solutions vraisemblables qui sont le fruit des discussions et des travaux antérieurs. Il le fait, d'ailleurs dans un langage simple et concret, tant pour les questions de principe que pour les questions d'applications.

Nous aurions désiré, pour la première partie, un exposé plus net et plus personnel de la question préliminaire si importante : *D'après quelles données* peut-on établir la nature et l'étendue de l'Inspiration. Nous aurions voulu notamment que l'Auteur développât davantage et défendît contre plusieurs auteurs modernes, le principe que nous trouvons en note à la p. 4 et qui est plein de vérité : « Quoique l'étude de la Bible soit d'un grand apport dans la question d'inspiration, il fut toujours admis que l'*existence* et *la nature* de celle-ci ne peuvent être connues avec certitude que *par la Tradition* ».

Les erreurs concernant la notion et l'étendue de l'inspiration, les opinions actuelles et le jugement que l'auteur croit devoir porter sur elles, tout cela est exposé d'une façon claire et méthodique. L'auteur défend l'*inspiration verbale*, et restreint la lumière intellectuelle que comporte l'inspiration au seul jugement *pratique* par lequel l'auteur conçoit les choses pour les écrire : ne serait-il pas préférable de l'étendre également au jugement *théorique* par lequel l'auteur conçoit les choses en elles-mêmes et comme vraies? Nos sténographes, qui mettent par écrit le discours qu'ils entendent, forment continuellement des jugements pratiques : Il me faut écrire telle chose, de telle façon ; peut-on dire qu'ils sont les *auteurs* du livre ainsi écrit? Ne faut-il pas, pour vérifier le concept d'*auteur* qu'on ait au préalable pensé soi-même les choses à écrire? Et Dieu par conséquent serait-il l'auteur du livre s'il intervenait *seulement* dans le jugement pratique formé par l'auteur humain? — Dans la deuxième partie, qui traite des applications, nous pourrions peut-être relever quelques points de terminologie ; mais pour les choses elles-mêmes, nous croyons que l'Auteur a fait œuvre excellente, ce que nous aimons d'autant plus à relever, qu'il s'agit précisément dans ces applications de toutes les questions épineuses qui se posent au sujet de l'inerrance scripturaire. Nous osons recommander à nos prêtres la brochure de M. Merchelbach, comme une des meilleures que nous connaissions sur la matière.

3. Le dogme de l'inspiration est un de ceux que la presse impie, dans ses journaux, pamphlets et brochures, ne cesse d'attaquer. C'est pourquoi, il est de toute utilité que du moins le chrétien instruit ait une connaissance exacte de la nature et des conséquences de l'inspiration. Le P. **Geerebaert** a voulu contribuer à cette fin. — Sans doute nous pourrions relever certains détails, moins corrects à notre avis : un livre cesserait-il d'être inspiré, parceque l'auteur sacré aurait été privé de sa liberté (p. 27)? — l'inspiration comprend-elle nécessairement un influx divin et surnaturel sur l'imagination et la mémoire de l'homme (p. 31)? — ne comprend-elle pas, sinon un influx direct sur les puissances exécutrices, du moins une assistance divine, pour que ces puissances remplissent fidèlement le travail que l'intelligence

et la volonté leur prescrivent *(ibid.)*? Nous pourrions regretter également que l'auteur à négligé presque entièrement la question essentielle, et qui somme toute est le point de mire des attaques des incroyants, bien plus que la théorie speculative de l'inspiration : la question de l'*inerrance* scripturaire. Cependant nous croyons savoir que l'auteur se propose d'éditer prochainement une nouvelle brochure sur cette question. A en juger par les qualités de la brochure présente, elle ne pourra que faire du bien.

4. Quelle fut, au sujet de l'inspiration et de l'inerrance scripturaire *la doctrine de S. Jérôme?* Question importante, vu l'autorité incontestée du saint docteur, et les controverses qui ont surgi à ce sujet. M. **Schade**, dans un ouvrage publié dans la collection *Biblische Studien,* s'est chargé d'élucider cette question, tout comme, avant lui, Haidacker et Zöllig avaient tâché de synthétiser la doctrine de S. Jean Chrysostome (1897) et d'Origène (1902). L'auteur s'attache à établir successivement le sentiment de S. Jérôme au sujet des questions suivantes : le *fait* de l'inspiration ; — sa *nature :* deux facteurs concoururent à la rédaction du livre inspiré ; le facteur divin est à l'avant-plan, le facteur humain à l'arrière-plan ; l'intelligence et la volonté de l'homme, tout en conservant leurs capacités naturelles et la liberté, sont au service de Dieu ; — les *conséquences* de l'inspiration en particulier, l'*inerrance* du livre saint : S. Jérôme a soutenu, tant en théorie qu'en pratique, l'inerrance absolue, et jamais il ne s'est écarté de ces vues. Pour établir cette conclusion, M. S. rapporte tous les endroits scripturaires, où S. Jérôme a rencontré des difficultés ou des contradictions apparentes : jamais il n'a admis la moindre erreur (pp. 48-83). M. S. s'attache surtout aux textes sur lesquels Zöckler, Sanders, et d'autres ont voulu se baser pour attribuer à S. Jérôme des vues plus larges à ce sujet. — Quant à l'*extension* de l'inspiration, S. Jérôme a soutenu l'inspiration réelle, mais non l'inspiration formelle, c'est-à-dire qu'il a regardé comme inspirées toutes les « choses » contenues dans l'Écriture Sainte, mais non pas « la forme », la manière dont ces choses sont exposées. Quant au *canon* des livres saints, S. Jérôme a regardé le texte original comme le seul texte inspiré ; et notamment il s'est élevé contre l'opinion d'après

laquelle les Septante auraient été inspirés en tant que version ; il a fini par exclure les deutérocanoniques de l'Ancien Testament. — L'ouvrage de M. S. constitue une excellente contribution, tant à la doctrine qu'à l'histoire du dogme de l'Inspiration, puisqu'il nous fait connaître les idées de celui que l'Église appelle *Doctorem maximum in exponendis Sacris Scripturis.*

5. Une question qui se rattache étroitement à celle de l'inspiration et de l'inerrance, est la question qu'on est convenu d'appeler « *des doublets* ». Que l'auteur du Pentateuque ait fait usage de *documents écrits* cela semble bien ne plus faire de doute; la Commission biblique, en date du 27 Juin 1906 (1), a déclaré que la question est entièrement libre, en ce sens qu'elle ne s'oppose nullement à l'authenticité mosaïque du Pentateuque. Mais est-il vrai que l'auteur sacré aurait emprunté à des sources differentes des *récits doubles* d'un même évènement, récits concordants quant à la *substance* des faits, mais divergents quant à certains points de *détail ?* M. **Schulz** se prononce résolûment pour l'affirmative, conclusion basée sur l'examen minutieux de plusieurs récits tels qu'ils se rencontrent dans la Genèse : les récits de la création (*Gen.* I, 1-II, 4^a = II, 4^b-25), du déluge (VI, 5-IX, 17), de l'histoire de Joseph, etc.

On se demande naturellement comment, la théorie des « doublets » (2), peut se concilier avec l'inerrance scripturaire. M. S. ne traite pas cette question *ex professo,* et se

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 529, ad 3.

